

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
1 B
31

PHILOSOPHIA PERIPATETICA

Tomis Quatuor divisa.




PHILOSOPHIA
PERIPATETICA
Tomis Quatuor comprehensa,

AUTHORE

JO: BAPTISTA
DE BENEDICTIS

E SOCIETATE JESU.



TOMUS PRIMUS.

LOGICA.






VENETIIS, MDCCXXIII.

Ex Typographia Balleoniana.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



Ad Lectores
Peripateticos.

Quicumque estis, qui novandi libidine non dum tacti, pro Lycei dignitate, & magni Stagiritæ placitis tamquam pro aris, & focis certatis adhuc, vos ipsos paucis volo, quibus in operis hujus vestibulo totam consilii mei rationem exponam. quid enim? Lectoremnè sperem unum aliquem ex contemptoribus istis, quibus Democritus, Epicurus, Cartesius, Gassendus Philosophi sunt, cæteri simplex, & credulum vulgus? Aristotelem cœco impetu sequuti ducem aut pravum, aut depravatum? Non equidem nova naturæ phænomena, novum Orbis systema, novam philosophiæ methodum in lucem profero: rerum arcana in phantasiæ peculio non numero: animantium motus ad mechanicas leges non refero: ignem è sphærulis, aquam ex anguillulis, ex dissolutis corpora atomis non compono; verbo, fabulas non do, nec somnia vendito. quid porrò ab his fastidiosis expectem, quibus alia omnia obsoletum, putidum, insulsum sapiunt? Adeste vos ergo paulisper animis, quos melior mens afflavit, dum institutum meum non multis aperio. Paucis ab hinc annis, cum publice Philosophiam profiterer, in Atomistas, quorum factio è parvis initiis

ad ſummam celebritatem id temporis adducta erat, cœpi inquirere diligentius, ut qua parte Ariſtoteli infeſti imminent, occurrerem pro virili. tum verò quæ ſcripſeram, ſecundis curis luſtrans, & ad incudem, limamque revocans, amicorum inſtinctu facile perſuadentium, quod genius ante probaverat, non ea ſolum, quæ in iſtos conceperam, ſed alia etiam Novatoribus intentata, univerſamque adeo Peripateticam Philoſophiam edere conſtitui. Hanc primùm humanitati veſtræ commendo, & à tenuis ingeniis fœtu in veſtros ſe cœtus perfricta fronte immittere non verentis meritas audaciæ pœnas deprecor. tum, quod caput eſt, oro quæſoque, ut, quod ego in præſenti pro viribus ſequor, aſſequamini vos aliquando, Peripateticas partes adverſus improbos quorundam conatus ſerio, ſeduloque ſuſcipientes, non, ut hactenus, per tranſennam, & quaſi aliò properantes. Hoc equidem habebo pretium operæ non pœnitendum, ſi cotis vice fungar, vobiſque laureolæ in hoc muſtaceo quærendæ ſim author; non ut depoſitis, ſed ut intermiſſis ſeverioribus ſtudiis, ad hæc blandiora divertere ſubſecivis (iſta enim ſatis ſuperque) identidem velitis. Impunè olim iſtos contempſimus, dum, æmulis conſepultis, Ariſtotelis nomen, ac dignitas, ut merita fuerat, rerum potiretur. nunc quandò Democritus revixit, regnumque Atomorum, & licentia rediit: his ſcolæ, his atria fervent; ædeſ-

que

que, & fora Epicuro, & Lucretio personant; an non pudet cessare diutius, manumque in sinu habere, cum interim hac timoris, ignaviæque specie ad suum isti decus abutantur, silentiumque nostrum pessimæ causæ confessionem interpretentur? An verò re ipsa quidquam ab his metuamus, qui sola plerumque in nos dimicant ignorantia? non enim validius, non crebrius telum coniiciunt, quàm leve illud, & hebes (nisi quatenus adjecto joco non nihil acuitur, ut vellicet, non ut feriat) dum jactant scilicet, se, quæ dicimus, non intelligere. At certè si, quæ inter nos exercemus dissidia, pusillum quiescant, donec junctis viribus, excurrimus in alienum, & amentata, mutuisque de plagis acutiora jacula in hostibus Peripatetici nominis experimur; intelligent profecto, nihil ipsis superesse, nisi ut latebras respiciant, qui neque à Logicis, neque à Metaphysicis instructi, clypeo proindè penitus exuti, toto corpore ad cladem patent. Nec terreat experimentorum illa in immensum exaggerata substructio, qua veluti muro, ac propugnaculo se protegunt, iners enim est, & bruta moles, quæ sponte sua corruit, dum recta philosophandi ratione quasi spiritu destituitur. quin etiam illa eadem inventa, quibus se involvunt, pro laqueo erunt, quo citius irretiantur, si solidum ex iis veri specimen proferre pergimus, rerumque naturam per ea docentem audire, atomorum nihil minus, quàm examina patien-

tem. Expertò credite, dum ista tractant, tot se fallaciis implicant, ut credibile vix sit de viris, qui inter suos Doctissimi, Clarissimi, aliisque id genus amplificatis vocabulis nominantur. an non ridebitis, dum fuisse invenietis (id unum sit omnium instar) qui calori nativo coquendi cibos in stomacho munus planè detraxerit, quod esse apud Indos piscem narret, cujus ventriculo recens dissecto tantum frigoris insit, quantum ferre manus admota vix queat; & inde insultare in Aristotelicos pergat, quasi animalis œconomiæ ignaros? Hujusmodi sexcenta passim occurrent, quæ equidem apertiora pro tempore adnotavi; vos verò quo estis ingenio solertissimo, plura deprehendetis, quæ loco movere oporteat; ut cogatur demum in ordinē illa pictoribus dumtaxat, poetisque concessa olim, nunc à philosophis usurpata quidlibet audendi potestas. Excitet nos denique illud, quod ludibrio prætereà istis sumus, traducimurque apud plebem; nam apud istam, aut eos, qui suprà plebem loco, non animo assurgunt, doctrinæque famam, quam non merentur, emunt, totus istorum triumphus est. hoc volunt scilicet, dum Peripaticam Fratrum, seu Monachorum Philosophiam non sine cachinno appellant, & hoc putant uno convicio debellatum. Quamquam quem illi contemptum, equidem metum interpretor. norunt siquidem, quantas ab hac ipsa, quam in speciem negligunt, Philosophia auxiliarem manum Theolo-

giæ submittente, clades accederint sui Fœderati; pace enim bonorum, quos bona fides, & novandi usque ad aram animus Atomistarum scholæ inseruit, Athæos, Hæreticos hoc nomine comprehenderim. huc sanè spectare videtur illud metaphysicæ odium, studiumque ex toto ad experimenta translatum, à quibus nihil Fides divina subsidii possit in posterum expectare. Hæc habui, quibus vos in limine morarer. Quod reliquum est, ut novi non me gratiam huic labori meruisse, sed veniam, ita utramque de vestra mihi humanitate facilem spondeo, speroque prolixam.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato; *Philoſophia Peripatetica Authore Jo. Baptiſta de Benedictis è Societate Jeſu*, non eſſervi coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi; concediamo licenza, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 29. Novembre 1729.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Rif.
(
(Pietro Grimani Kav. Proc. Rif.

Agoſtino Galdaldini Segr.

IN-

INDEX

Titulorum Tomi Primi.

QUAESTIO PROOEMIALIS. *In universam Aristotelis Philosophiam.* pag. 19
Cap I. *De nomine, notione, divisioneque Philosophiæ.* 20
Cap. II. *Singularum Philosophiæ partium nomen, natura, divisio.* 23
Cap. III. *Ad quem habitum intellectualem Philosophiæ partes pertineant.* 28
Cap IV. *Quæ partes Philosophiæ speculativæ, quæ practicæ sint.* 34
Cap. V. *Singularum Phylosophiæ partium subjecta inquiruntur.* 48
Cap. VI. *De ordine partium Philosophiæ inter se.* 63

PROOEMIUM. 77

LIBER I. *De Logicis perception.* 79

QUAESTIO I. *De notionibus ad Logica præcepta prerequisitis.*
Cap. I. *De Terminis.* 79
Cap. II. *De Terminorum proprietatibus.* 81
Cap. III. *De propositionibus.* 84
Cap. IV. *De proprietatibus propositionum.* 87
Cap. V. *De consequentia, ejusque speciebus.* 90

A 6 Cap.

Cap.VI. *De partibus Syllogismi.* 93
Cap.VII. *De modo perfecto, & imperfecto, deque reductione imperfecti ad perfectum.* 96

QUAESTIO II. *De regulis logicis* 99

Cap I. *Regulæ suppositionum.* 100
Cap.II. *Regulæ ampliationum, & Appelationum.* 107
Cap.III. *Regulæ Exponibilium.* 110
Cap. IV. *Generales Consequentiæ leges.* 122
Cap. V. *Particulares Consequentiæ leges.* 130
Cap.VI. *Leges Conversionis.* 138
Cap.VII. *Regulæ oppositarum.* 148
Cap.VIII. *De principiis Syllogismi regulativis.* 150
Cap.IX. *Leges Syllogisticæ gen.* 152
Cap.X. *Leges singularum figurarum propriæ.* 158
Cap. XI. *Leges Syllogismorum modalium.* 161
Cap.XII. *Regulæ ad fallacias dignoscendas.* 165
Cap.XIII. *De regulis obligationum.* 169
Cap.XIV. *Definitionis, ac Divisionis leges.* 171
Cap.XV. *De argumento mirabili.* 175

LI-

LIBER II. *De iis, quæ ſpectant ad ſimplicem intelligentiam.* 178

QUAESTIO I. *De Univerſalibus in communi.* 178

Cap.I. *Quid ſit, & an ſit univerſale Metaphyſicum.* 179

Cap.II. *An ſit univerſale metaphyſicum in re ſeparatum à ſingularibus.* 183

Cap.III. *An ſit in re univerſale completum per formalem inexiſtentiam in ſingularibus.* 187

Cap.IV. *An ſit in re natura univerſalis negativè, & per indiff.* 192

Cap.V. *An ſit in re natura univerſalis in ſtatu anteceſſionis.* 196

Cap.VI. *An nulla ſit in re natura univerſalis.* 199

Cap.VII. *An, & qua ratione intellectus faciat univerſalitatem in rebus.* 207

Cap.VIII. *An ad logicum univerſale conſtituendum ſimplici aliqua comparatione ſit opus.* 216

Cap.IX. *Qua ratione cum prædicabilitas rebus principaliter competat, nomina tamen ſecundæ intentionis ad inferiora primæ non deſcendant.* 221

Cap.X. *An univerſale, dum prædicatur, univerſalitatem retineat.* 225

QUAESTIO II. *De uniuerſalibus in particulari.* 232

Cap.I. *Numerus univerſalium, ſeu prædicabilium aſſignatur.* 232

Cap.

Cap.II. *De genere.* 236
Cap III. *De specie.* 240
Cap.IV. *De Individuo.* 243
Cap.V. *An genus requirat essentialiter multitudinem specierum sub se, & species individuorum.* 247
Cap.VI. *De differentia.* 252
Cap.VII. *Quid sit differre specie.* 256
Cap.VIII. *An omnis specifica differentia importet inæqualitatem perfectionis.* 261
Cap.IX. *De proprio, & accidente.* 265

Quaestio III. *De Ante Prædicamentis.* 267
Cap.I. *De Æquivocis.* 268
Cap.II. *De Univocis.* 272
Cap.III. *De Denominativis.* 277
Cap.IV. *De divisione entis in decem prædicamenta.* 283
Cap.V. *Utrum ens analogicè, an univocè ad prędicamenta descendat.* 290
Cap.VI. *Infertur ex modo dictis Deum in prædicamento non esse.* 303

Quaestio IV. *De Prædicamentis.* 304
Cap.I. *De substantia.* 304
Cap.II. *De quantitate.* 308
Cap.III. *De qualitate.* 312
Cap.IV. *De Relatione. Quid sit, & quotuplex.* 314
Cap.V. *Quo pacto relatio prædicamentalis à transcendentali secernitur, & an sit realis.* 317
Cap.VI. *An relatio prædicamentalis sit*

pro-

proprium genus entis ab entibus aliorum prædicamentorum secundum rem distinctum. 324
Cap. VII. *Num relationes primi generis sint completè reales.* 332
Cap. VIII. *Deciduntur quæstiones aliæ circa relationem.* 338
Cap. IX. *De Post-Prędicamentis.* 341

LIBER III *De iis, quæ spectant ad intelligentiam compositam.*

QUAESTIO I. *De vocali enunciatione, qua ratione, quo ordine sit significativa.* 345.
Cap I. *Quid est signum.* 345
Cap II. *Naturaliter, an ad placitum voces significent.* 349
Cap. III. *Unde habeatur formaliter in vocibus vis significandi.* 352
Cap. IV. *Res, an conceptus immediatius, ac principalius à vocibus significentur.* 359

QUAESTIO II. *De Mentali enunciatione.*
Cap. I. *In quo stet propria ratio enunciationis mentalis.* 372
Cap. II. *Utrum enunciatio in affirmationem, negationemque divisa distinguatur à judicio diviso in assensum, & dissensum.* 379

QUAESTIO III. *De Propositionis veritate.*

Cap.I. *Quid sit veritas, & an sit enunciationis propria.* 389
Cap.II. *Num veritas sit adequatè intrinseca actui vero.* 394
Cap.III. *Num veritas suscipiat magis, & minus.* 399
Cap.IV. *An possit veritas simul esse cum falsitate in eodem actu.* 402
Cap.V. *An possit veritas, & falsitas esse successivè in eodem actu.* 409

QUAESTIO IV. *De veritate propositionum singularium de futuro contingente.* 421.
Cap.I. *Status quaestionis, & authorum placita.* 421
Cap.II. *An futurum sit formaliter per se, non verò per ullam causae, praesentem dispositionem futurum juxta Philosophum, & D. Thomam.* 417
Cap.III. *An secundum veritatem praeter futurum in causa sit necessariò admittendum futurum in se, quod tale sit formaliter praecisa, quavis actuali dispositione causae.* 434
Cap.IV. *Objectis in praecedentem doctrinam occurritur.* 440
Cap.V. *Num veritas determinata, aut determinata falsitas insit propositionibus singularibus de futuro contingente.* 444

Cap.

Cap. VI. *Satis fit adversariorum argumentis.* 451

LIBER IV. *De iis, quæ spectant ad intelligentiam illatam.*


Cap. I. *Explicatur natura Sillogysmi.* 458
Cap II. *An, & quis ordo intercedat præmissas inter, & conclusionem.* 459
Cap. III. *An conclusio reflectat in præmissas.* 463
Cap. IV. *An ad assensum conclusionis prærequiratur judicium de bonitate consequentiæ.* 471
Cap. V. *Num positis assensibus præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis.* 475

Quaestio II. *De Demonstratione.*

Cap. I. *Quid, & quotuplex sit demonstratio.* 492
Cap. II. *De propositione per se nota.* 496
Cap. III. *De medio, præcognitionibus, & præcognitis potissimæ demonstrationis.* 500
Cap. IV. *An sit possibilis regressus demonstrativus, & in quo differat à circulo.* 504

QUAESTIO III. *De scientia demonstrationis effectu.*

Cap.I. *An sit scientia, & an de novo.* 505
Cap.II. *In quo differat scientia ab opinione.* 510
Cap.III. *Quid sit formido, & an sit de essentia opinionis.* 511
Cap.IV. *An circa idem objectum contingat eundem intellectum scire simul, & opinari.* 518





IN UNIVERSAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM QUÆSTIO PROŒMIALIS.



Nſitum cuique ſciendi deſiderium, quod ab ipſis cunabulis cum luce hauſimus, eò demum ſpectat, ut, niſi deſerere per ſummam ignaviam ingenii impetum malumus, ſtudio, ac diligentia egregiè muniti, in rerum naturalium notitiam, totiuſque Philoſophiæ poſſeſſionem, in quam dati à natura ſumus, hæreditario veluti jure pervadamus: ſine qua ſcilicet, ut verè Seneca, non fuerat operæ pretium naſci. Hanc nos aggreſſuri per partes, nonnulla in anteceſſum non modo; quæ Philoſophiæ generatim conveniunt, verum etiam, quæ de ipſius præcipuis partibus diſputari ab authoribus ſolent, unum veluti ſub aſpectum congeremus, ne ſit opus hærere in ſingularum veſtibulo, eademque ſæpius non ſine Lectorum faſtidio iterare.

CA-

CAPUT I.


De nomine, notione, divisioneque Philosophiæ.

PHilosophiæ nomen Pythagoræ verecundia invenit. cum enim ad ejus ætatem ambitiosum Sapientis vocabulum in literatos suos jactabunda de more Græcia contulisset, primus Pythagoras sapiens esse, quàm dici maluit, nomenclationemque sibi ab amore, studioque sapientiæ imposuit. cujus deinceps modestiam imitati, quotquot ipsum subinde consecuti sunt, Philosophi nomen commune jam sapientiæ professoribus efficere.

Philosophiam alii aliter definiunt. Plato mortis ipsam affectum, & commentationem dixit, quod animum non quidem à corpore, ut ineptè Cleombrotus nescio quis interpretatus est, qui propterea ex alta se turri præcipitem egit, sed à vitiis, cupiditatibusque corporeis secernat, & avocet. Alii Philosophiam animi medicinam, omnium matrem artium, donum, inventum, imitationemque Deorum, rhetorico potius more laudaturi, quam phylosophico indagaturi naturam appellavere. Vetus illa magis ad definitionem accedit, quod sit scilicet Philosophia rerum omnium humanarum, divinarumque cognitio, & scientia. quæ quidem definitio non descendit ad singulas partes subiectas, nisi secundum distributionem accommodam; neque enim quælibet Philosophiæ pars de quolibet agit. Brevius, & exactius ex Aristotele Damascenus Philosophiam definit *Eorum, quæ sunt, prout sunt cognitionem*. Nomen cognitionis habitum hic appellat, non actum: reduplicatio autem illa notitiam rei non modo intimam, & secundùm essentiam, sed etiam per sua principia, causasque

sasque designat; cum enim ex admiratione, cognitione scilicet effectuum, & ignoratione causarum, cœperint homines philosophari, seù causas inquirere, ut habet Aristoteles 1. Metaph. t.c.10. perfectus is erit Philosophus, qui rerum omnium causas sit affecutus.

In hac universalitate accepta Philosophia dividitur in Rationalem, Moralem, & Naturalem. Hujus divisionis rationem tradit D. Th. initio Comment. in Ethica Nicomachia; cum enim sapientia sit potissima perfectio rationis, cujus est cognoscere ordinem, consequens est, ut pro multiplicitate ordinis sapientia dividatur. atqui ordo iste duplex est: primus, quem ratio considerat, & non facit, qualis est rerum omnium naturalium, quarum effectio, ac dispositio à nostra cognitione non pendet: alter, quem ratio considerando facit in propriis actibus: tertius, quem facit in operationibus voluntatis: quartus, quem facit in exterioribus artefactis. Hic postremus ad artem spectat. primi consideratio naturalem Philosophiam, secundi rationalem: tertii moralem constituit. Paulò aliter eamdem Philosophiæ tripartitam divisionem explicat, & probat Augustinus lib.8.de Civ. cap. 4. & lib. 11. cap. 25.



Porrò naturalis Philosophia, cuius nomine venit speculativa facultas ea dumtaxat obiecta contemplans; quæ nostram cognitionem ut regulam non agnoscunt, triplicem & ipsa habet partem, Physicam, Methaphysicam, & Mathematicam. quam divisionem per triplicem abstractionem à materia ex Divo Thoma opusc. 70. super lib. Boet. de Trin. si paucis expono. Aliquis recessus à materia communis est omni speculabili, quod debet necessariò esse universale, adeoque & abstrahere à materia singulari, & signata. sed hoc ipsum tamen speculabile potest de sua natura esse à materia dependens, idque dupliciter; vel enim

se.

secundùm esse, & intellectum, ut sunt omnia naturalia, quæ & sunt ipsa in sensibilem materiam immersa, & secundùm hanc rationem sunt physicæ considerationis, in qua proinde ab experientia sensibili itur in notitias universales; & à sensibus externis veritas ad intellectum derivatur. Vel pendet secundùm esse, & non secundùm intellectum, ut quantitas, quæ immergitur quidem in sensibilem materiam, sed non ita à mathematico consideratur, qui propterea exterioribus sensibus, eorumque experimentis ad speculandum non indiget, nisi forte in materiis quibusdam mediis, quæ Physicomathematica nuncupantur. Vel demum materiam omninò reiicit, sivè quod sine materia sit, ut Deus, & Intelligentiæ, sivè quòd materiam in suo conceptu non involvat, ut ens, ac decem suprema genera: quæ omnia ad metaphysicam pertinent.

Hanc divisionem cum sua probatione non ita equidem accipio, ut aliter institui à primis scientiarum inventoribus non potuerit, sed ut ità instituta fuerit convenientissima, & maximè rationi consentanea. nec me movent Arriagæ cavillationes disp. 1. Log. sect. 3. subsect. 3. operosè contendentis, non posse scientias dividi per abstractionem; quia, inquit, in abstractione duo sunt, & actus abstrahens, & objectum abstractum. per primum si scientiæ distiguuntur, distinguuntur per actus suos; quod quidem licet verum sit, non tamen ità declaratur divisio scientiarum, sed confunditur. si verò distinguantur per objecta, hoc debuit à principio dici, nec recurri ad terminos illos obscuros triplicis abstractionis. Addit prætereà valdè impropriè dici abstractionem à materia signata, & singulari non esse item abstractionem à materia sensibili; neque enim materia communis, & universalis sentiri potest, licet possit intelligi.

Sed

Sed utraque hæc instantia probat scientiam de universalibus non esse; cujus oppositum ab omnibus Philosophis meritò asseritur: universale enim dicit abstractionem intellectus, & rem, quæ abstrahit. de abstractione non est scientia realis, sed ad summum rationalis. si vero sit res ipsa subiectum scientiæ, quid opus est dicere, scientiam esse de universali? quod si hoc tamen certum est, quis prohibet juxta variam abstractionem, & universalitatem scientias distingui? Dicendum ergo scientias dividi per obiecta, sed juxta recessum diversimodum à materia, & variam considerationem magis, minusvè universalem. neque ista consideratio actus est scientiæ, sed obiectum, neque enim est conclusio, sed subiectum conclusionis scientiæ, eo quod rem constituat in esse talis subiecti. Improprietas autem quę loquẽdi sit in hac materia non video; nisi fortè improprium Arriagæ videatur, quod homo in sua universalitate sumptus dicatur rationalis, cum tamen homo universalis discurrere non possit, sed debuisset advertere, quod materia universalis stare potest in suppositione simplici; atque in ea sensibilis non est, sicuti nec homo in illa suppositione rationalis, quamvis & materia sensibilis, & homo rationalis sint in ea suppositione. cæterùm si stet materia in suppositione personali, sensibilis est, ut homo in eadem est rationalis.

CAPUT II.

Singularum Philosophiæ partium nomen, natura, & divisio.

INcipio à rationali Philosophia, quæ reliquas naturæ, doctrinæque ordine præit. Ea dicitur Logica, quod idem sonat, ac rationalis, seù ratiocinativa, dicitur Dialectica, seù disce-

disceptativa quo nomine solam eam Logicæ partem, quæ est de Topico, seu probabili syllogismo, Aristoteles inscribit; quamquam ex communi jam Philosophorum usu ad totam Logicam extendatur. Dicitur modus sciendi, vel quia tradit sciendi modum per artem syllogizandi; vel quia ipsa est sciendi modus, hoc est regula, ac norma, qua instructi ad reliquas scientias comparandas adeamus. Dicitur demum organum, seu instrumentum, quod nomen Logicæ suæ primus apposuit Aristoteles, quòd sternat ad scientias viam easque in suis operationibus adjuvet. Est autem rationalis Philosophia facultas, quæ rectè differendi præcepta scientiis omnibus communia tradit, quæ est definitio Logicæ artificialis; naturalis enim, quæ divinæ mentis est radius cuiusque ingenio per naturam infossus, sine reflexione ad regulas artis discursum conficit, ut videre est in rudibus, & imperitis.

Dividitur in Docentem, & Utentem. Docens est, quæ modum tradit construendi definitionem, syllogismum; aliaque sciendi instrumenta; adeóque hæc est simpliciter Logica. Utens est ipsa definitio, divisio, & syllogismus contexta conformiter ad præcepta. quare dicitur Logica per extrinsecam denominationem à forma, & à regula præconcepta, ac dirigente: nisi fortè usus sit circa propriam huius facultatis materiam, ut cum definitur syllogismus, aut syllogizatur circa definitionem. Quamquam non desit, qui neget usum Logicum in aliena materia, physica v. g. aut mathematica, posse utentem Logicam appellari. Sed in hac lite, quæ tota est de voce, loquatur quisque ad arbitrium: quia tamen usus communior Doctorum obtinuit, ut hic etiam usus Logica dicatur, ita loquendum: tantò magis ita loquutus videtur August. apud Hurtadum disput. 2. Log. tract. 4. dum D. Paulum, aliosque Theol.

Dia-

Dialecticos appellavit, quod si rectè syllogizantes in Theologica materia Dialectici dicuntur, rectus syllogismus, in quacumque demum materia construatur, Dialectica dici potest, ut constat per locum à conjugatis.

Deindè Philosophia moralis, seu Ethica, quod perindè est, operationes humanas, in quantum humanæ sunt, contemplatur, & ordinat in finem felicitatis, sunt autem humanæ operationes propriè, quæ voluntatis dominio secundum ordinem rationis subiacent; cæteræ verò, quæ non patiuntur arbitrium, sed omnimoda naturæ necessitate proveniunt, ut sunt omnes animæ vegetativæ operationes, quamquam sint hominis, humanæ non dicuntur. Eædem propterea morales appellantur, quod mores gignant: est autem mos habitus, & consuetudo operandi, qua homo bonus, vel malus simpliciter dicitur, hoc est aptus, aut ineptus ad felicitatem consequendam, quæ est ultimus ejusdem finis.

Hinc moralis Philosophia definitur doctrina rectè vivendi, quæ scilicet, determinato hominis fine, docet, quo pacto ad ejus consecutionem vita, moresque sint instituendi.

Tres habet species, monasticam, œconomicam, & politicam, cum enim homo animal sit non solitarium, sed sociale, ut potè qui plurimis indiget ad vitam, & virtutem, quæ sibi ipse præstare non potest, naturaliter cujuspiam communitatis est pars. Communitas autem duplex, vel imperfecta, & insufficiens, qualis est familia, vel sufficiens, & perfecta, qualis est Civitas, aut regnum, hinc triplex data existit moralis Philosophiæ species. Prima, quæ partes communitatis secundum se perficit, eas erudiendo in operationibus tùm absolutis, ut temperantiæ, tum respectivis ad alios, ut justitiæ; & dicitur Monastica. Altera, quæ communitatem ordinat ad suas partes, easque me-

liorum regimine continet in officio, quod si hæc ordinatio sit communitatis imperfectæ, familiæ nim. cujus princeps natura est pater, habetur Oeconomica: si sit communitatis perfectæ, civitatis nim. aut regni, cujus princeps arbitrio, & electione est Senatus, aut Rex, habetur Politica. Ex quibus demum constat, Ethicæ species cum quodam respectu, & ordine se respicere, secundùm quòd objecta ipsarum sibi subordinantur; nam & monastica indiget œconomica, & hæc politica; familiæ enim peccata, Patris est, ut coerceat; &, ubi hic non potest, Principis.

Tertiò loco consideranda est Physica, quæ primum habet locum inter partes naturalis Philosophiæ. ea vero propriissimè naturalis appellatur, ut nomen declarat, quòd de rebus propriissimè naturalibus agat, sunt autem res naturales in rigore, quæ sensibilis motus principium in se habent, ut sunt omnia generabilia, & corruptibilia, imò omnia omninò corporea, ac sensibilia, etiam, si qua sunt, generationi, ac corruptioni minimè obnoxia, ut cœli, elementa, & mixta omnia tum viventia, tum non viventia. Porro Physica specialem divisionem non habet, quæ hic consideratione indigeat, nisi eam dumtaxat, quam sortitur ratione objecti sui, quod tractat modo in universum, modo ad singulas ejus species descendendo juxtà methodum doctrinę ab Aristotele diligenter pręscriptam, diligentiusque servatam.

Deindè Mathematica, quæ alterum tenet locum inter naturalis Philosophiæ species, nomen omnibus scientiis commune proprium sibi fecit; idem enim sonat, ac disciplina, seù doctrina, quod quidem juxta Pythagoricos ei potissimum convenit propterea, quia ipsius beneficio, quę noster animus in alio olim corpore didicerat, veluti excitatus reminiscitur, ut Plato in Menone pueri cujusdam, cætera inerudìti, experi-

petimento probare contendit. Sed isthæc tamen deliramenta sunt. Verius nomen disciplinæ, ac scientiæ mathesi tributum, quod non alia certiùs, evidentiusque ad veritatem nititur, quum reliquæ per obscura, per ambigua repent; & ut aliquando colliment, plerumque aberrant. Apta etiam est Alstedii ratio ex eo putantis disciplinæ vocabulum mathematicæ impositum, quod à primis annis in Græcorum scholis ab omnibus fermè discebatur; nec assequi eam potest, nisi qui ingenium per se optimum adiuvet non mediocri discendi diligentia. Est autem mathematica facultas tractans de quantitate terminata à materia sensibili abstracta.

Jam verò sic accepta adæquatè dividitur in Arithmeticam, & Geometriam: prima agit de quantitate discreta, secunda de continua; atque hæc est pura mathematica; sed est alia item mixta, quæ a sensibili materia planè non abstrahit, cum sensuum experimentis ad suas demonstrationes tamquam fundamentis utatur, talis est Astronomia, Musica, Optica, Statica, Mechanica, & sim.

Postremum ordine, sed principem dignitate locum obtinet Metaphysica, quæ propterea Sapientia, prima, & divina Philosophia nuncupatur. Dicitur metaphysica, vel quasi, ut quidam volunt, postnaturalis; quia præviam habet, ac veluti ancillantem rerum naturalium cognitionem: vel quasi, ut alii interpretantur, transnaturalis, seu supernaturalis, quia supra sensibilem naturam elevata, Intelligentias, Deumque ipsum complectitur inquantum naturaliter cognoscibilem: ex quo naturalis Theologiæ nomenclationem sortita est, imò verò, si credimus D.Th. 3. cont. Gentes c. 25. hic est potissimus metaphysicæ propositus finis, ut ad Dei notitiam perducat, & ex hoc divina scientia nominatur. Huic etiam, ut de physica dictum

est, deest specialis divisio, secundum quam varia nomina accipiat, sed ente, quod est ejus subjectum; universim considerato, atq; in summa genera diviso, in substantiis demum immaterialibus sistit.

CAPUT III.

Ad quem habitum intellectualem Philosophiæ partes pertineant.

HAbitus est qualitas quædam à frequentatis cujusque actibus relicta, facilitansque potentiam ad similes in posterum actus eliciendos, constat siquidem experientia, ab operationibus in facultate aliqua iteratis relinqui in nobis stabilem inclinationem, facilitatemque ad operationes ejusmodi repetendas, quam habitum nominamus: qui sanè tum in intellectu, tum in voluntate haberi potest, prout facilitas ex consuetudine aut in agnoscendo, aut in amando est. Constat autem Philosophiam inter habitus voluntatis non numerari, quare superest, ut sit habitus intellectualis.

Rursus ex habitibus intellectum perficientibus alii virtutes sunt, alii non. Virtus est dispositio perfecti ad optimum, hoc est disponens potentiam, quam perficit, ad optimam operationem, naturæque ipsius maximè consentaneam, & quia perfecta intellectus operatio ea est, quæ nos infallibiliter cum veritate conjungit, ille habitus, qui ad e.m. operationem disponit, virtus appellatur, qui verò disponit ad actum vel falsum, vel ex modo tendendi indifferentem ad verum, & falsum, licet plerumque cum vero conjunctum, ut habitus erroneus, vel opinativus, virtus non dicitur.

Habitus deinde intellectuales, qui virtutes sunt, quinque numerantur à Philosopho 6. Ethic.

Ethic. c. 3. Intellectus, Scientia, Sapientia; Prudentia, & Ars. Hæc divisio ab objectis derivatur hoc pacto. Omnis cognitio aut circà necessaria, aut circà contingentia versatur Rursum necessariæ veritates vel sunt primæ, atque ex suis terminis notæ: & habitus, qui circà illas est, dicitur intellectus: præcipuus enim actus potentiæ cognoscitivæ est circà principia. ut præcipuus volitivæ est circà finem; unde & illi nomen intellectus, & huic voluntatis absolutè tribuitur. Vel sunt veritates secundæ, & à primis per demonstrationem deductæ: & habitus, qui ad illas se habet, dicitur scientia. Complexum ex utroque habitu, intellectu nim. & scientia, sapientia est; quia sapiens dicitur, qui neque circa principia errat, neque circa conclusiones. Addit insuper sapientia utrique eminentiam quandam, vel quia est de altissimis rebus, & à sensu remotioribus; vel quia est universalissima, & aliis præest, quibus tradit communia quædam ad demonstrandum principia: & talis Philosopho est Metaphysica.

Contingentia verò alia sunt agibilia, alia factibilia. agibilia sunt, quorum est actio: actio autem est operatio manens in suo agente, ut videre, intelligere, velle. factibilia sunt, quorum est factio: factio autem est operatio transiens in exteriorem materiam, ut ædificare, secare, & hujusmodi. Habitus ergò, qui est de agibilibus, Prudentia dicitur, & definitur Habitus cùm recta ratione activus: qui est de factibilibus, dicitur Ars, & definitur Habitus cum vera ratione factivus. Differunt, quod prudentia requirit appetitum rectum, & morali virtute instructum, non item ars; illa enim, non hæc versatur circà fines, ad quos ordinat per consilium media; proindè exigit appetitum rectè se habentem ad finem, quod præstat virtus. Hinc est, quod qui in arte volens peccat, minus peccat, quam qui nolens, & ignorans;

cum tamen oppositum contingat in prudentia, ut notat idem Philosophus loc. cit. c. 5.

Venio nunc ad rem præsentem, & ostendo omnes Philosophiæ partes ad habitum scientiæ pertinere. Quod ut præstem, præmitto, scientiam propriè dictam esse habitualem notitiam certam, & evidentem veritatis necessariæ per suam causam, quare tria sunt ad scientiam requisita. primum ut sit in materia necessaria: ex quo capite juxtà Philos. 6. Metaph. t. com. 5. & 6. de contingente omninò, quod dicitur ab ipso ens per accidens, scientia non est; sed necessitas ista non est opus ut sit absoluta, qualis uni Deo competit: satis est, si sit conditionata: quare licet non sit simpliciter necesse, ut triangulus tres habeat angulos æquales duobus rectis, quia non est simpliciter necesse, ut triangulus sit; sufficit tamen ad scientiam necessitas, quam habet triangulus, ut tres ipsius anguli duobus rectis congruant ex suppositione, quod sit. Alterum ad scientiam requisitum, ut sit cognitio rei per causam; hoc enim est scire ex 1. post. t. com. 7. rem per causam cognoscere. Tertium, ut sit certa, & evidens, per certitudinem distinguitur ab opinione, quæ nitens probabili motivo, intellectum in vero non immobilitat, per evidentiam distinguitur à fide, quæ nitens extrinseco motivo, obscuritatem aliquam habet in suo assensu. Hæc omnia melius constabunt l. 4. Log.

Probo nunc Logicam docentem esse scientiam; habet enim enumeratas omnes conditiones ad scientiam requisitas. Veritates enim ipsius universales de modis sciendi habent omninò eam necessitatem conditionalem, quam satis esse diximus ad scientiam, ut patet consideranti. Præterea demonstrat per causam; procedit enim à definitione syllogismi v. g. ad ejusdem passiones probandas, & sic de aliis, ex quo postremo fit, ut certa sit, & evidens; omnis enim noti-

tia

tia de rebus necessariis per veram demonstrationem collecta certa, & evidens sit, oportet. Conf. si Logica demonstrativè non procederet in suis præceptis, nulla alia scientia sic procederet; omnes enim in suis discursibus nituntur regulis Logicis quæ proindè infallibiles, evidentesque non essent, conclusiones in iis fundatæ evidentiam, ac firmitatem habere non possent, certificat ergò Logica de istis regulis intellectum: quod non fit, nisi per demonstrationem; neque enim sunt veritates primæ, & ex terminis suis notæ.

Hoc idem manifestum est de morali Philosophia, quæ plurima de fine ultimo, de operationibus virtutum ad finem conducentibus, de virtutibus ipsis, de amicitia, de felicitate demonstrat; quæ quidem omnia tam præclare, tam evidenter assequutus est saltem in plurimis Aristoteles, ut cum in physicis, ac metaphysicis reliquos, in moralibus ipsum etiam Aristotelem superaverit. Differt autem Ethicæ habitus à Prudentia, quæ cadit à propria scientiæ ratione, quia non determinat de necessariis, & universalibus, ut Ethica, sed imperat in particulari, & attentis individuis circumstantiis, quid hic, & nunc agendum sit in ordine ad finis ultimi consecutionem.

Idem dicendum de naturalis Philosophiæ partibus; nam & Physica plurimos effectus per experientiam notos ad suam causam reducit; ut cum è rerum transmutabilitate materiam (quæcumque ea sit) materiæque proprietates indagat; & rursum ex materia per regressum transmutabilitatem demonstrat; aut cum è corporum continuitate infinitam divisibilitatem ostendit, aliaque hujuscemodi multa. De mathematicis quis hoc in dubium vocet, qui ea vel à limine salutarit? quare irridendi potius, quam impugnandi videntur nonnulli innominati apud Fonsecam 6. met. c. 1. q. 6. sec. 2. qui Mathe-

sin è numero scientiarum expungere conati sunt; si qua enim apud nos absoluta est ex omni parte scientia, ea certè mathematica est, quæ nihil, nisi vel per se notum, vel ex per se noto evidenter collectum assumit. Postremò Metaphysica non solum scientia, sed sapientia est; nam & entis universalissimas passiones demonstrat, & prima principia ab erroribus, si qui irrepsere, purgata scientiis reliquis tradit tum ad entis divisiones, ac summa genera descendit methodo semper scientifica, parique in omnibus certitudine, & evidentia.

Unum est, quod adversus dicta opponi meritò potest, plurima scilicet in his scientiis esse, quæ non demonstrativè, sed opinativè dicuntur, cujus rei testes sunt contentiones, & dissidia philosophorum, in alias aliis sententias abeuntibus: quod non potest contingere in demonstratis. Hoc quidem verissimum est; sed tamen in his scientiæ nomen desumitur à potiori; & quia omnes habent scientificam methodum; habent subjectum scibile, de quo passiones inquirunt per naturam, & definitionem, quæ est medium demonstrationis potissimæ, scientiæ jure optimo appellantur, quamquam in pluribus ex humani intellectus defectu, atque imbecillitate non semper assequentis propositum, ad quod dirigitur, à scientiæ rigorosæ perfectione deficiant. Atque hoc unum fortasis voluere magna illa Philosophorum nomina, Socrates, Pythagoras, Plato, dum nihil sciri posse asseverabant, ut indicarent scilicet, tam esse arduam veræ Philosophiæ adeptionem, ut id, quod scimus, præ eo, quod ignoramus, aut nihil, aut exiguum omninò sit. Accedit etiam illud, quod non omnia demonstrata, præsertim metaphysico more, ea sunt, quæ in dubium revocari à protervo non possint, propterea quod eorum principia à sensibus, & vulgi intelligentia remotissima sunt, quod si dissidium

dium argumento semper esset veritatem non demonstrari, probaret dubium primi principii complexi, quod à Protagora, aliisque veteribus Philosophis, si Aristoteli credimus, negatum fuit.

Ultimo loco duo circa Logicam adverto: primum, scientiam non esse, nisi Logicam docentem; Utens enim, si stet pro formali, notitia, adeoque scientia non est, cum non sit, nisi dependentia à directione Logica, quæ modus est operationis, non operatio, si vero stet pro materiali, quandoque scientia est, quandoque opinio, prout Logicæ doctrinæ usus in materia scientifica est, vel probabili.

Alterum, quod adverto, est, eam partem Logicæ Aristotelicæ, quæ Topica appellatur, scientiam non esse, quare videtur inter logicæ partes verè non numeranda, sed dicendum cum Alexandro, Philopono, Simplicio, ac Boetio specialem facultatem per eam constitui, in qua præcepta traduntur, & argumenta opinandi, & proprio vocabulo Dialectica nuncupatur. Quod non sit scientia, manifestum mihi ex eo est, quod methodo scientifica non procedit, licet enim de syllogismo topico possit esse scientia, assumendo ejus definitionem, indeque probando proprietates; id tamen de facto non præstat topica aristotelica, ut constabit eam attentè pervolutanti, primo enim libro, præmisso fine, utilitateque topicæ facultatis, de dialecticis rationibus in universum tractat; sex deindè sequentibus communes locos, sedesque argumentorum ostendit ad rationes conficiendas, quibus de quovis proposito problemate in utramque partem syllogizare possimus, octavo demum libro agit de dispositione dialecticarum disputationum, quæ quia interrogando, ac respondendo fiunt, quo pacto interrogandum, quo respondendum præcipit Stylus, ac methodus horum librorum eadem plane, quæ

servatur in rhetoricis, ad artem potius quam ad scientiam accommodata. Ex hoc præterea fit, Topicam Logicæ partem non esse (quis enim artem cum scientia in unum habitum cogat?) sed facultatem specialem Rhetoricæ affinem, à qua tamen differt, quod topica universalius vagatur cum rhetorica restringatur ad tres solum partes, judicialem, deliberativam, ac demonstrativam, topica solis rationibus utitur ad suadendum, cum rhetorica in affectus etiam invadat, topica demum forma utitur arguendi breviore, quæque vim rationis statim objiciat, cum rhetorica amplificationibus argumentum dilatet; undè Zeno Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat. De hac demum Dialectica, non de Resolutoria loquutus videtur Philos. 1. Rhet. ipso c. initio, dum, ait. *Rhetoricam Dialecticæ æquipollere: nam de iis utraque est, quæ omnium quodammodo communia, & nullius determinatæ scientiæ esse cognoscuntur, quapropter omnes etiam utriusque aliquo modo participes sunt: quippè omnes aliquousque, tum quærere, ac reddere rationem, tum defendere, & accusare conantur.*

CAPUT IV.

Quæ partes Philosophiæ speculativa, quæ practica sint.

PHysicam communis authorum sensus speculativam statuit, itemque Metaphysicam; Mathematicam ex parte practicam, ex parte speculativam. Moralem omninò practicam. De Logica ingens dissensio; Scotus enim cum Thomistis non paucis merè speculativam: Occham, Aureolus, Conimbricenses merè practicam; Suarez, & Ruvius partim practicam, partim speculativam: D. Th. apud Alamannium in Log. q. 1. ar. 4. nec practicam in rigore, nec specula-

culativam, sed introductoriam, & adminiculatricem utriusque constituit. Totalis ex eo provenit, quod nomen practici, ac speculativi ab aliis aliter usurpatur, quapropter antequam ad decisionem controversiæ accedo, de his vocabulis decerno authoritate, usuque Aristotelis, ac Philosophorum, qui unus in hujusmodi quæstionibus pro ratione est.

§. I.

Practicum à speculativo in quo differat.

PRimum omnium videndum, quid sit praxis, à qua practicum denominatur: deindè quid sit cognitio practica: postremò quid sit habitus practicus. Ex vi vocis praxis est operatio: sed ea operatio propriissimè dicitur praxis quæ nata est elici conformiter ad rationem dirigentem, & in hoc est primum discrimen practicæ à speculativa notitia, quod sicuti practica respicit praxim à se distinctam, & à se directam, non item speculativa speculationem, quæ scilicet ab ipsa distincta non est. Addit Scotus in prol. q.4. ad rationem praxis requiri, ut sit actus alterius potentiæ ab intellectu, quare si tota directio sit notitiæ ad notitiam, negat haberi practicum, aut praxim. Fundatur in Philosophi authoritate 3. de an. t.49. ex quo illud axioma circumfertur, *Intellectus extensione fit practicus*, stando autem præcisè in actibus intellectus nulla est extensio; neque enim tendit intellectus extra, nisi cum actum respicit extraneæ potentiæ. Præterea omnis practica notitia vel de actione est, vel de factione, actus autem intellectus neque factio est, cum non sit immediatè circa exteriorem materiam, neque actio, quæ in solis actibus voluntatis habetur, ut sæpè ait Philosophus. Ex his praxim Scotus definit, actum alterius potentiæ ab intellectu,

natum elici conformiter ad rationem rectam.

Ista tamen arbitraria planè est hujus vocis acceptio, tam enim supra suos, quàm suprà voluntatis actus versari directivè potest intellectus, & quidem eodem prorsus modo quoad esse regulativum, & regulatum, practicum autem sonat operativum per regulam, & directionem: praxis sonat operationem directam: si ergo habetur in intellectu directivum, & directum, habetur practicum, & praxis, saltem irrationabiliter nomina ista intellectui denegantur, cui res illis subjecta conceditur. Neque allata ex Aristotele contrarium probant, non primum, quia in eo textu Philosophus nihil tale habet, sed solùm distinguit intellectum practicum à speculativo per finem, atque hæc fortasse extensio est practici propria, non de potentia ad potentiam, sed de actu ad actum, & de habitu ad habitum: quod speculativo intrà se sistenti non competit, non secundum; actio enim si strictè sumatur, & idem sonat, ac electio, ad intellectum non pertinet; cæterum dici etiam communiter actionem de notitia dubium non est, cum dicatur universim de quocumque actu vitali, cujus est ut sit operatio manens in agente. Videatur Greg. q. 5. prol. ar. 1. multis hanc Scoti sententiam refellens.

A praxi ad practicam notitiam accedo. Jam verò ut praxis idem est, ac operatio, ità practicum idem est, ac operativum, triplex autem vis operativa potest in notitia considerari, prima est operativa efficienter: atque ità omnis actus, omnisque habitus scientificus est operativus: habet enim actus vim producendi habitum, & habitus actum in intellectu scientis, secunda est vis operativa veluti formaliter, quatenus una cognitio, vel assensus informans intellectum ad aliam cognitionem, aliumque assensum ipsum determinat; atque ita prin-

principia omnia operativa sunt conclusionum. Secundùm duplicem hanc vim operativam ex communi omnium Doctorum sensu practica à speculativa cognitione non secernitur. Tertia est vis operativa idealiter, & per modum formæ, ut loquitur Aureolus, ac regulæ præconceptæ, ad cujus exemplum, & imitationem aliquid fit, eo modo quo ars pingendi v.g. cooperatur manui pictoris, non quidem quia ars est causa effectiva picturæ unà cum manu, sed quia est forma exemplaris, ac directiva, quam imitatur artifex, dum pingit.

Eam igitur dico practicam cognitionem, quæ est objecti sui operativa exemplariter, in hac enim cognitione reperio conditiones omnes, quæ ex Philosopho, ac reliquis ad practicam notitiam requiruntur, quæque juxta D. Th. 1. p. q. 14. ar. 16. ad tres reducuntur, objectum, finem, & modum cognoscendi.

Ex propria autem ratione idealis causæ primum colligo, objectum ipsius debere esse aliquo modo operabile ab ipso cognoscente, cognitio enim dirigit agens, & ita accipit rationem ideæ, non potest autem dirigere subjectum in quo non est, sed illud solùm, in quo est, illud ergò debet esse agens, adeoque objectum debet esse operabile à cognoscente. Hæc porrò conditio requisita omninò est ad practici rationem; 6. enim met. t. com. 1. in hoc distinguitur practica à speculativa scientia, quod *Factivarum est in faciente principium, aut intellectus, aut ars, aut aliqua potentia, & activarum in agente electio*. Idem habetur 11. met. summa 3. c. 1. ubi, *Cum aliqua*, inquit, *sit scientia de natura, patet, quod ab activa, & effectiva diversa erit, effectiva namque in faciente, non in eo, quod fit, motus principium est. & hoc aut ars quadam, aut alia vis est, similiter activa non in eo, quod agitur, sed magis in agentibus motus est, naturalis verò scientia circa ea, quæ in se ipsis habent ... sis motus*

motus principium, est, quod itaque neque activam, neque effectivam, sed speculativam esse naturalem scientiam necesse sit, ex his patet. Dixi objectum debere esse aliquo modo operabile à cognoscente; neque enim est necesse, ut operatio directa immediatè ab ipso ponatur, sic operationum artificialium, quæ à brutis fiunt, in quantum subjiciuntur imperio rationis humanæ; ars est, & practica cognitio non in brutis, sed in homine, hoc tamen satis est, ut hominis notitia brutorum directiva, artificialis, & practica nominetur; quia sic earum operationum est in homine cognoscente principium: & idcirco illæ plus homini, quam brutis ipsis tribuuntur.

Colligo prætereà practicæ notitiæ finem esse opus, speculativæ veritatem; ex quo capite speculativum à practico discrevit Philosophus 2. met. t. c. 3. Et quidem aliter comparatur objectum speculativæ ad speculativam: aliter objectum practicæ ad practicam cognitionem, speculativa respicit objectum suum, ut mensuram, cui se conformando vera dicitur: mensuratum autem finis est mensuræ, non è contrario; est enim mensura propter mensuratum, non mensuratum propter mensuram, quare cognitionis in quantum veræ objectum non finis est, sed medium: quod voluit Philosophus, dum ait verum, & falsum esse in anima, non in re; ut alibi explicabitur. At cognitio practica ipsa est mensura objecti sui, si sumatur non ut vera, sed ut practica; opus enim, quod est objectum practici intellectus, est rectum, quia conformatur notitiæ dirigenti, ac tenenti se in priori ad ipsum in quo stat causalitas ideæ: sed notitia non est recta, quia operi conformatur. Hinc fit, ut speculativa, cum directiva non sit, sed solum vera, objectum suum non respiciat sub ratione finis: practica verò quà talis objectum, quod est opus, ut finem habeat; cum in prima sit

ordo objecti ad cognitionem, in secunda cognitionis ad objectum, quare in prima cognitio, seu potius intellectus se habet, ut subjectum, adeoque ut finis cui, veritas autem ut forma, & ut finis qui, objectum ut medium, in secunda objectum se habet, ut subjectum, & finis cui, rectitudo ut forma, & finis qui, cognitio, ut medium.

Tertiò demum colligo notitiam practicam habere specialem modum cognoscendi objectum suum, inquantum scilicet illud est operabile, adeoque secundum modum, & formam operationis. Hæc conditio requiritur etiam necessariò ad practici rationem; quia de objecto operabili à nobis haberi potest notitia speculativa, ut advertit D. Th. q. 3. de veritate ar. 3. ut si artifex consideret domum investigando præcisè essentiam, & passiones ipsius; utque de facto Geometra considerat triangulum in suis theorematis, & Animasticus potentiarum vitalium actus, etiam illos, qui in sua sunt potestate, ac dominio: quæ omnis consideratio inter speculativas vulgo censetur: debet ergò cognosci à practica objectum operabile quà tale: quod tunc fit, quando in ipso considerantur omnia quæ ad ejus esse, & fieri requiruntur. Hoc etiam deducitur ex eo, quod ista notitia sit idea; quia hinc fit, ut debeat ea esse, quæ agens ad opus per artem exequendum sufficienter juvare possit, ac dirigere; notitia autem, quæ de objecto operabili quà tali non est modo explicato, non potest juvare, ac dirigere agens, quid enim dirigatur artifex ad ædificandum à definitione domus, si modum ignoret, quo lapides rectè colligantur ad structuræ soliditatem, &c.? aut quid dirigatur ad statuam conficiendam, si sciat, quid sit statua, sed nesciat, quo pacto cœlum marmori adhibeatur, aut erudiatur æs ad figuram accipiendam?

Deindè hic modus explicandi practicam no-

titiam, quod sit objecti sui exemplariter operativa, præter quam quod expresse videtur doceri à D. Th. l. cit. de veritate, & expressius ab Aureolo quodl. 15., colligitur manifestè ex ipso vocabulo practici, & operativi, quod aliquam causalitatem importat, & quidem talem, quæ speculativo non competat, non est, autem alia assignabilis, nisi idealis, & exemplaris. Accedit, quod Aug. & Philosophus, ut explicarent vim artis operatricem, non aliter quam per exemplar exposuerunt. Ille quidem de cogn. veræ vitæ ait, quod cum artifex domum facere cogitat, jam domus est in ipsa arte, quam postmodum manus exequendo, ædificat ad illius exemplar. Idem fuse prosequitur Arist. 7. met. t. com. 23. exemplificans etiam in medicina, quæ scientia practica communiter existimatur, aitque inter alia, quod *ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo; quæ sine materia, eam quæ habet materiam, ars enim medendi, & ædificandi est forma* (hoc est exemplar) *sanitatis, & domus*.

Ex data, confirmataque notione practicæ notitiæ nonnulla inferemus, & quædam dubia resolvemus, quæ solent à Doctoribus moveri circà ipsam. Primum est, ad rationem notitiæ practicæ non requiri, ut sit formaliter enunciativa, multò minus ut sit enunciativa præceptivè, & per gerundium, v. g. syllogismus ità est conficiendus, domus ità est ædificanda. Ill. est cont. Greg. q. 5. prol. ar. 2. Prob. ex dictis: quia simplex apprehensio operis non solum absolutè, sed etiam ut operabilis, adeoque secundum modum, & qualitatem operationis, habet rationem operativi per modum ideæ, ac formæ exemplaris, ad quam attendens artifex operatur, ergò habet rationem practici, neque verò quod sequatur judicium, tollitur ab ea cognitione vis directiva, ut constat. Altera pars, quod non oportet præceptive, ac per gerundium

dium enunciari, manifestum est ex eo, quod secus si artis præcepta, & notitiæ artificiales per experientiam collectæ sine eo modo efferantur, ars practica non erit; quod nemo dicat, similiter conclusiones à mathematicis demonstratæ in problematis sine isto modo enunciantur, nisi quod post totam demonstrationem additur, quod erat faciendum; & illæ tamen conclusiones juxtà communiorem sensum verè practicæ sunt. Rursus si in eo præcisè modo enunciandi staret essentialis ratio practici, ut videtur velle Gregorius, arbitrarium cuique foret scientias, & artes practicas, aut speculativas efficere, quare & physica poterit practica evadere, si ejus conclusiones per gerundium efferantur; & medicina omnis speculativa, si ejus conclusiones efferantur sine modo gerundiali, ac præceptivo. Videtur ergò hæc sententia voluisse, quod est proprium speciei, transferre ad genus, & dictamen Prudentiæ, quæ est species notitiæ practicæ, & eo modo præceptivo procedit, commune omnibus practicis notitiis efficere. Adde, quod singularis est, nec præter Gregorium, paucosque Recc. ipsum sequutus est, qui modum hunc præceptivum necessarium esse ad practicam asseveret, quod quidem unum satis est, ut sententia aliqua rejiciatur, dum sumus in vocum acceptione.

Infero secundò praxim, & operationem, quam respicit notitia practica, non debere esse formaliter liberam, nec immediatè subjectam dominio voluntatis. Ratio est; quia cognitio potest esse forma exemplaris operationis etiam necessariæ; si enim artifex à Deo prædeterminaretur ad opus artis suæ, & ille operaretur cum dependentia ab artificiali notitia dirigente, adhuc ista notitia practica esset in actu secundo, quamvis opus esset necessarium; neque enim in practicæ definitione libertas explicatur, similiter Christi Domini dictamen de morte subeun-

eunda practicum est; & tamen juxtà plerosque libera ejus voluntas non erat ad mortem non acceptandam, supposito mortis præcepto. Id ipsum apparet in motibus primis, & indeliberatis, qui fiunt ab habitu, ut cum citharœdus, vel dormiens, vel attendens ad alia pulsat scitè citharam, quod quidem vidit, ac docuit Philosophus 2. phyl. t. c. 86. dum ait; *quod ars non deliberat*. Neque oppositum voluit 6. eth. c. 4. dum ait; *neque eorum est ars, quæ ex necessitate vel sunt, vel fiunt*, iis enim verbis id solum contendit, artem, ut à scientia distinguitur, de particularibus esse, & de contingentibus, non verò de necessariis, & universalibus: quod stare potest cum hoc, quod actio sit naturalis, non quidem naturalis in eo sensu, quo dicitur lapis naturaliter moveri deorsum, hoc est independenter à propria cognitione; istæ enim operationes sub artem non cadunt: sed prout naturale dicitur etiam de actibus à cognitione regulatis.

Infero tertiò, quod, cum ad completam denominationem practici requiratur vis effectiva operis in subjecto cognoscente, ut dictum est; hæc autem possit dupliciter deesse vel per se vel per accidens; primus defectus tollit à cognitione rationem practici, non secundus. Utraque pars prob: prima quidem; quia non potest appellari operativa cognitio, quæ per se habet, ut operari non possit. atqui dum subjectum per se operis non est effectivum, cognitio etiam per se operis ideativa non est, ergò non potest appellari operativa, nec practica. Hoc autem assero in suppositione, quod cognitio affixa sit de sua natura subjecto suo: si enim oppositum supponatur, tunc certè, ut per accidens est notitiæ, ut sit in hoc subjecto impotente operari, ita per accidens eidem est, ut non possit ideare: secunda etiam patet; quia potentia per accidens impedita ab operando, non amit-

tit denominationem potentiæ, ut patet generali inductione, hinc fit, ut, si cithatœdus manum amittit, ars ipsius practica adhuc maneat; sicuti enim ipse retinet aptitudinem saltem remotam ad habendam manum, adeoque ad pulsandam manu citharam, item ars retinet aptitudinem ad regulandam manum citharizantem: quod satis esse videtur, ut ars practica dicatur. Atque hinc ulterius fit, ut cognitio practica non possit transire in speculativam, nec è converso; quia non potest subjectum transire à per se habente potentiam operis effectricem ad per se non habentem; neque ipsa notitia, vim per se operis ideatricem si habet, deperdere potest.

Infero quartò, quod quamvis in aliquo sensu omnis practica notitia sit simul speculativa, si tamen speculativum in rigore sumatur, nulla cognitio potest esse practica simul, & speculativa respectu ejusdem: utraque pars constat ex dictis; speculativum enim est, quod habet pro fine veritatem: hoc autem competit omni propositioni, in quantum veræ, sed cognitio practica potest & ipsa esse vera, ac proindè secundum istam rationem respicere opus ut medium, non ut finem; atque ita induere aliquam rationem speculationis. Cæterum quia communiter speculativa notitia accipitur pro ea, quæ opus regulare non potest, manifestum est eandem non posse esse practicam relatè ad idem; quia non potest ad idem comparari ut directiva, & non directiva simpliciter.

Infero demum quintò, notitias practicas, & speculativas in nobis, si invicem componantur in nobilitate, & perfectione, se habere sicut excedens, & excessum; superant enim practicæ secundùm perfectionem operativitatis: sed superantur primò in objecto, quia operabile à nobis imperfectius est non operabili, statura v. g. Angelo, aut Deo: secundò, quia practi-

cæ ordinantur ad operationem, adeoque expetuntur ut media: speculativæ sunt tantum propter se, & appetuntur ut finis. Hinc est in Deo perfectissima ratio cognitionis practicæ, depurata scilicet ab imperfectionibus, quas ea in nobis admiscet; divina enim intellectio est rerum omnium operativa exemplariter, & simul est de objecto nobilissimo, & est gratia sui, non operationis, aut creaturæ.

His ità stabilitis, accedo ad habitum, & quæro, undè is practicus denominetur. Sed cum denominatio in habitum ex actibus derivetur, manifestum est, illum esse practicum habitum, cujus actus practici sunt. Est tamen in hoc specialiter animadvertendum, ad hoc, ut habitus dicatur simpliciter, & absolutè practicus, aut speculativus, non esse opus, ut omnes omninò ipsius conclusiones, & notitiæ practicæ sint, aut speculativæ, sed satis est, si præcipuæ, & finaliter in habitu, & facultate intentæ. Quare habitus eas denominationes accipit à fine. sed finis potest esse duplex: alter omninò accidentalis, eique ab addiscente appositus, ut si quis physicam compararet, ut eam alios docendo stipendium lucretur; aut si quis medicinæ studeat solius notitiæ gratia, & non ut eam medendo exerceat. atque hic finis non variat juxtà communem usum habitus denominationem. Alter est finis scientiæ, aut facultati ex natura rei ab instituente attributus; & hic unicè inspiciendus, ut videatur, utrum habitus sit practicus an speculativus simpliciter appellandus; sic prudentia dum consultat de medio, eligendum ne sit, an secus, multa de eo cognoscit speculativè, quæ sufficientia non sunt ad directionem, nec propterea prudentiam rectè speculativam appellabimus. sic ars considerat naturam materiæ, circà quam versatur, ut marmoris, aut æris, eamque colligit vel per rationem, vel per experientiam, quæ sanè

co-

cognitio speculativa est; nec tamen artem quia speculativam dicit vel ex parte. Sic medicina multas conclusiones, statuit merè speculativas de corporis humani partibus, de generibus febrium, & complexionum, aliisque hujusmodi pluribus; quia tamen ejus finis est sanitas inducenda, ut dicitur 1. Eth. c. 1. simpliciter ab Averroe l. 1. Colliget c. 1. nuncupatur ars operativa, & à Philos. 7. met. t. 23. dicitur ars medendi forma sanitatis, ut ars ædificandi forma domus, ea vero pars ipsius, quæ theorica nominatur, non est illa quidem in rigore speculativa, sed imitatur speculativam, quatenus est de universalibus, remotisque ab operatione, ut contendit Aureolus, vel si speculativa est, & dicitur seorsim accepta, si sumatur per modum unius cum reliquis medicinæ partibus, practica simpliciter erit. Stat igitur habitum denominari practicum à fine principaliter intento, & ad quem institutores facultatum notitias in ea contentas ordinarunt.

§. II.

Resolvitur principale quæsitum.

EX his facile erit decernere, quæ partes Philosophiæ practicæ sint, quæ speculativæ. Et primò tres partes naturalis Philosophiæ speculativas statuit Aristoteles 11. met. sum. 3. c. 1 de physica sanè, & metaphysica nullum dubium; contemplantur enim rerum sivè naturalium, sivè transnaturalium causas sine ullo prorsus ordine ad operationem, & praxim: neque earum notitiæ sunt sufficientes operum ideæ, ut patet consideranti. De mathematica certum est, aliquas in ea esse practicas, aliquas speculativas conclusiones, quæ solent distingui in problemata, ac theoremata, quare si attendantur actus, mathematica ex parte pra-

ctica erit, ex parte speculativa. Hoc idem dicendum videtur, si attendatur finis; nam prima ejus inventio eò spectavit, ut per Geometriam agris metiendis ratio præstaretur, undè nomen accepit, & per Aritmeticam commercia gentium, ac mercaturæ juvarentur. Cæterum sequuti deinceps magni nominis mathematici, quibus, propterea quod artem ad scientiam perduxerunt, mirisque incrementis amplificarunt, inventorum nomen tribui jure merito potest, non id unum respexere, sed multò magis veritatem ipsam tot demonstrationibus illustratam, hinc mathematica, quæ stat pro parte potiori, simpliciter speculativa à Philosopho dicitur; quamquam sit & pars ipsius practica ad operationem ordinatá, & soleat propterea tota mathematica, ejusque partes singulæ dividi in practicas, & speculativas.

De Philosophia morali omnes, quod sciam, pronunciant eam esse scientiam simpliciter practicam. Habet illa quidem suas speculativas notitias, & conclusiones, multa enim determinat de natura felicitatis, utrum in operatione, & in qua potissimum intellectusnè, an voluntatis consistat; de virtutibus, in qua hominis parte sint, ut in subjecto; de amicitia quod sit mutuus amor non latens, vel jus mutuum ad amorem, & quæ indè sequuntur passiones, & sim. quia tamen hæc omnia moralis non considerat veritatis & contemplationis causa, sed eo fine, ut hominem disponat ad felicitatis consecutionem, præcipuæque ipsius notitiæ practicæ sint, & ideativæ virtuosarum operationum, moralis Philosophia simpliciter scientia practica denominatur.

Sed hic noto, à Moralibus dividi judicia operum etiam directiva in speculativa, & practica; & prima appellant, quæ remotè, & in genere; secunda appellant, quæ proximè, & in specie, seù verius in individuo sunt directiva:

utra-

utraque indubitanter sunt practica, sed illa tamen speculativa dicuntur, quod servant modum speculationis procedendo per universalia principia, ex quibus universales etiam conclusiones deducuntur. Et quidem si ista practica non essent, Ethica, ad quam ista pertinent (ultima enim dictamina non Ethicæ sunt, sed Prudentiæ) non esset practica, sed speculativa scientia. Ex quo apparet, quam non rectè ii discurrunt, qui practicum judicium volunt illud, quod non mediatè, & remotè, sed proximè, & immediatè regulat praxim.

Hoc idem dicendum videtur de Philosophia rationali, seù Logica, sivè spectemus Logicæ finem, sivè præcipuas ipsius conclusiones, & veritates, quæ practicæ sunt. Quod attinet ad finem, D. Th. initio l. 1. Periherm. & iterum in principio l. 1. Post. testatur ad hoc inventam esse rationalem scientiam, ut sit directiva actuum rationis, & cujus ope intellectus in operationibus suis facilè, ordinatè, & citra errandi periculum procedat. De Logicis principiis, & conclusionibus nolo examinare, utrum omnes practicæ sint, an aliquæ sint speculativæ, quod multi contendunt; prolixior enim tractatio esset, & ad præsens institutum inutilis; satis est, si obtineam, quod negari non potest, plerasque, imò præcipuas, & finales practicas esse, cum doceant constructionem definitionis, divisionis, ac syllogismi; & sint ejusmodi ut ad eas attendens, quisquis particulares scientias comparaturus est, perfectè juxtà artem definiat, dividat, ac syllogizet. Iam vero hoc est ex dictis, quod scientiam simpliciter practicam facit, ergo Logica est scientia simpliciter practica.

Confirmat hoc assertum Aureolus ex communi Logicæ divisione in Docentem, & Utentem, illa enim doctrina, cujus est usus distinctus ab ipsa, non est speculativa, sed practica

usus

usus enim est praxis doctrinæ: doctrina autem, quæ habet praxim, ex terminis est practica, atqui omnis doctrina scientiæ docentis, quæ habet pro altero membro divisionis utentem, habet usum præcepti, quod proponit, ergo ejusmodi doctrina practica est. Talis est autem juxtà omnes Philosophos Logica docens.

Hoc idem declaratur nomine organi, seù instrumenti, quo veteres Peripatetici Logicam inscripserunt, quod maximè ostendit ordinem Logicæ ad opus directionis. Favet etiam D. Th. opusc. 70. in q. de divisione scientiæ speculativæ ar. 1. ad secundum; ubi, *scientia*, inquit, *speculativa sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter se ipsa. Res autem, de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter se ipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias*. Neque verò Scotus videtur omninò ab hac sententia discrepare, quia non negat logicam tenere modum practicæ disciplinæ; negat tamen esse practicam, quia putat praxim ad actus intellectus, quos Logica regulat, non pertinere.

Argumenta istam assertionem impugnantia & si multa afferantur, nulla propono, quia nulla invenio, quæ non abunde sint in superioribus occupata.

CAPUT V.

Singularum Philosophiæ partium Subiecta inquiruntur.

HAnc equidem controversiam, invitus tracto, quod licet in ea Recc. versentur latissimè, satis tamen videtur intempestiva, atque irrita speculatio, quæ ipsam scientiarum materiem in dubium vocat, ut ne scilicet certi simus de eo ipso, de quo in scientiis agimus. Brevissimè propterea, quoad res feret, ab hac lite

me

me expediam. Et primò subjectum scientiæ non illud hic inquirimus; in quo; sed de quo scientia est, quod solet vulgò appellari objectum, non quod ipsum reverà objectum sit, sed quia continet in virtute objectum, ut constabit. Itaque prius termini aliqui ad hanc quæstionem pertinens explicandi sunt, ut quæstio deindè per partes decidi possit.

§. I.

Nonnulla prænotantur de natura subjecti, & objecti.

HAbitus scientificus objectum suum per suos actus respicit. qua re ut inveniatur materia, de qua est habitus scientiæ, quærenda est ea, de qua est actus. Actus autem scientificus cum sit assensus veritati conclusionis propter veritatem evidentium præmissarum, habet terminari ad objectum complexum, totam scilicet veritatem conclusionis scitæ. Rursus triplex habet objectum incomplexum, id, de quo aliquid scitur, id, quod scitur, & id, quo, seu propter quod scitur. primum est subjectum conclusionis scitæ; alterum est prædicatum; tertium medius terminus. subjectum conclusionis dicitur scientiæ subjectum, quod in præsenti investigamus; quærimus enim illud, de quo scientiæ naturam, causas, principia, & proprietates indagant in suis demonstrationibus. prædicatum vero, & medium dicuntur objecta, sed illud obiectum quod, hoc autem obiectum, quo.

Scientiæ ergò subiectum illud est, quod subjicitur in conclusionibus scitis, & duas habere debet conditiones. prima est, ut sit aliquo modo unum, quatenus sub ratione universali ipsius plura subjecta conclusionum scitarum unificentur. hæc autem unitas quandoque est uni-

voca, ut ens naturale in Physica; quandoque analoga, ut ens reale in metaphysica; quandoque est mera unitas ordinis, ut exercitus in militari. secunda est, ut quæ in scientia considerantur, dirigantur ad ipsum, & ad ipsius cognitionem aliquo modo sint pertinentia. Hinc scientia à suo subjecto tria participat, unitatem, dignitatem, & ordinem. Unitatem quidem, quia ex 1. post. t. com. 179. scientia una est quæ est unius generis subjecti partes passionesque demonstrans: dignitatem vero, quia scientia una est altera dignior, quod meliorum, aut mirabiliorum est, ut dicitur initio libr. 1. de Anima: postremò ordinem, quia scientia una est subaltera, quod subjectum unius est sub alterius subjecto, ut Perspectiva sub Geometria, quia linea visualis, quæ pertinet ad Perspectivam, est sub linea simpliciter, quæ pertinet ad Geometriam.

Præterea licet scientiæ subjectum sit veluti materia ejusdem, ad quam prædicatum comparatur ut forma, est tamen adhuc in eo distinguere, quod se habet de materiali, quod de formali. primum est, quod à scientia consideratur: alterum est ratio, sub qua consideratur. sic ens naturale, seu mobile statuetur physicæ subjectum, in quo possunt hæc, & illa entia naturalia considerari, ut cœli, elementa, homo, quæ se habent de materiali: & potest considerari ratio naturalitatis, sub qua à Physica respiciuntur, quæ se habet de formali. Jam verò ut possint scientiæ communicare in materiali subjecto, non tamen in formali, & ratione sub qua. sic idem homo ad Physicam pertinet, ad Mathematicam, & Metaphysicam, sed ad Physicam ut ens naturale, ad Mathematicam ut ens quantum, ad Metaphysicam, ut ens simpliciter. est ergò unus materialiter, sed formaliter multiplex: & hinc habet, ut multiplex de ipso sit scientia.

Dein,

Deinde subiectum secundùm utramque partem aliud est adæquatum, & totale, aliud inadæquatum: & partiale. primum est, quod totam scientiæ latitudinem æquat; neque enim exceditur, neque excedit; & solet propterea dici subjectum communitatis, & adæquationis. tale est in Metaphysica ens; nam quidquid in Metaphysica consideratur, est ens, & nullum est ens, quod non consideretur in Metaphysica. secundum est pars subjecti adæquati, quod proindè à scientia exceditur aliquid præter ipsum considerante, ut est in Metaphysica Deus.

Postremò partiale subjectum aliud magis, aliud minus principale: quæ divisio potest attendi vel penes maiorem, aut minorem dignitatem, ac perfectionem subiecti, ut Deus in Metaphysica, & homo in physica obtinent ratione entitativæ nobilitatis subiecti primitatem: vel penes considerationem ipsius scientiæ, quæ unum tractat per ordinem, & attributionem ad aliud: atque ità subiectum præcipuum dicitur subiectum attributionis; est enim illud, cuius notitia primò, & per se quæritur in scientia, cætera verò notificantur ex hoc solum, quod conferunt ad cognitionem illius. at subiectum minus præcipuum dicitur subiectum attributum; eius enim tota consideratio alterius cognitioni tribuitur, ut medium fini.

§ II.

Traditur Logicæ subiectum.

Dico primò. subiectum Logicæ non sunt res. Probatur. Logica non est realis sed rationalis scientia; tota proindè continetur intrà terminos rationis, quam dirigit. quare licet agat de genere, specie, & sim. quæ quidem in re-

cto dicunt rem, in obliquo rationem; non tamen ea considerat materialiter secundùm recta, sed formaliter tantum secundùm obliqua; cuius ratio est; quia cum Logica sit practica facultas inducens artificialem rectitudinis formam in suum subiectum, illud sit oportet per se subiectum ipsius, in quod inducitur rectitudo. atqui realia obiecta capacia non sunt, in quæ cadat directio, ac dispositio scientifica, quæ est forma à logicis præceptionibus intenta. ergò non sunt res subiectum Logicæ.

Dico secundò: voces aliquo modo pertinent ad Logicæ subiectum, secundariò tamen, & minus principaliter. Probatur primum, quia voces capaces sunt Logicæ directionis, & de facto à Logica diriguntur; cum enim quidquid conceptu exprimimus, voce significemus, & ordo cognitionum redundet in voces, quæ sunt externa mentis signa, & argumenta. manifestum est, quod illa eadem rectitudo concipiendi, ac discurrendi, quam in intellectu Logica ponit ex primaria intentione, secundariò redundit etiam in voces. hinc iuxtà communem loquendi usum, qui rectè definit, ac syllogizat non solum animo, sed etiam oratione, quamquam peccet non nihil in syntaxi, aut barbaris verbis utatur, bonus dicitur Logicus, & malus Grammaticus. Certum igitur est, ad voces etiam dialecticas institutiones pertinere; undè Philosophus in omnibus ferme Logicæ suæ libris de vocibus tractat. in Ante prædicamentis enim agit de Univocis, Æquivocis, ac Denominativis: in lib. De Interpretatione, de nomine, verbo, & oratione; in Analyticis, incipit à syllogismo, quem definit per hoc, quod sit oratio; multa item habet in libr. Elenchorum de sophismatis, quæ contingunt in dictione. Prætereà dum vocalis syllogismus rectè disponitur in modò, & figura, dum vox communis in propositione prædicatur, singularis subiici-

tur,

tur; &c. habetur sine dubio in vocibus aliqua rectitudo per artem inducta, & nonnisi per Logicam. voces ergò capaces sunt Logicæ directionis, & de facto à Logica diriguntur, secundariò tamen, ut dixi, & minus principaliter, sed non omninò per accidens; regulatis enim conceptibus, quos per se primò respicit Logica, facile est regulare voces, cum eadem præcepta utrisque adhibeantur, nec regula in voces, nisi per conceptus descendat. Præter hæc principalius est scire, quam manifestare scitum: illud autem per conceptus habetur, hoc per voces. quare videtur Logica ità agere de vocibus, ut Astronomia de armillari sphæra, de qua tradit & modum construendi, & usum, ut sic facilius intelligantur motus siderum, & apparentiæ. Cum vero voces per se habeant, ut sint signa, & instrumenta conceptuum humanorum, non erit omninò per accidens logicæ, quæ hominem dirigit, ut voces etiam regulet ad rectè definiendum, & disputandum.

Neque valet, quod communiter opponitur, Logicam dirigere dumtaxat opus mentis, ac rationis, qua directione jam posita, Grammatices est tribuere voces, quæ conceptus sic regulatos exponant. Etenim similiter dici posset lignum, aut marmor ad statuariam non pertinere: regulata enim mente, manu, ac scalpro per artem, sylvæ est, aut fodinæ materiam tribuere, sicuti ergo marmor etiam, ac lignum ad statuariam pertinet ut subjectum, quia in illa statuariæ artis forma inducitur, ità quia voces à Grammatica acceptæ, & secundum solam syntaxim ordinatæ, novam rectitudinem accipiunt, quæ in ipsas à conceptuum rectitudine immediatè, mediatè verò à Logica directione descendit, consequens est, ut voces ad Logicam ut materia, & subjectum pertineant.

Dico tertiò. Conceptus nostræ mentis, ut est genus ad apprehensionem, judicium, & dis-

cursum, est præcipuum subjectum scientiæ rationalis, Hanc conclusionem docuit D.Th.initio 1.post.& 1.Periher. citatus iterum c.superiori, ubi ait quod Logica ad hoc inventa est, ut sit directiva actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus. Intelligentia incomplexorum, ad quam ordinatur à Philosopho doctrina tradita in l.Prædicam. & præterea quæcumque traduntur de definitione, ac divisione; prima enim tollit à simplici apprehensione obscuritatem, secunda confusionem. Compositio, & divisio, in qua est verum, vel falsum, cui regulandæ deserviunt libri Periherm. Discursus, qui est transitus à noto ad ignotum, in quo regulando reliqui Logicæ libri occupantur. Et quidem cum mentis nostræ operationes possint esse bonæ, vel malæ secundum artem, adeoque ab arte dirigibiles sint, ne errent; invenienda fuit aliqua facultas, cujus esset ad hoc ipsum præcepta, & canones sancire. quid enim absurdius, quam dari artes, quæ potentias exteriores in suis operationibus juvent, ut pictura architectonica, & similes: nullam vero reperiri, qua ratio ipsa, quæ defectibilis est, potensque à veritate, ac rectitudine deflectere, se ipsa in suis operationibus adjuvet, ac promoveat? Ejusmodi facultatem esse Logicam nemo neget, nisi qui nesciat ipsam propterea dici rationalem artem, quod institutum ipsius sit rationis opera formare, & intellectui facem præferre, ut in adyta veritatis inoffenso pede pervadat.

Dico quartò. Ratio formalis, sub qua unificantur omnia Logicæ materialia subiecta, est ratio entis rationis, prout hoc idem sonat, ac secunda intentio, sive, ut loquitur Avicenna, secundum intellectum. Prob. conceptus animæ non tractat Logica, ut sunt actus vitæ tali natura, iisque proprietatibus præditi; ità enim pertinent ad Animasticam: sed tractat, in

quan.

quantum derivat in obiecta denominationes generis, speciei, prædicati, subiecti, ac medii, adeoque in quantum sunt formæ secundarum intentionum. voces item considerat in quantum sunt signa secundarum intentionum, non primarum. Rursus secundùm eam rationem Logica subiectum suum respicit, secundùm quam est capax accipiendæ rectitudinis intentæ. atqui rectitudinem Logicam, ac dispositionem regulatam non aliter accipiunt conceptus, quam secundùm quod istas denominationes secundò intentionales constituunt. ergò hæc est ratio formalis, sub qua respiciuntur à Logica.

Atque hoc melius, aptiusque videtur, quam dicere cum Recc. rationem istam formalem esse dirigibilitatem. sicuti. n. iuxta Phil. 5. met. t. com. 20. non rectè assignatur pro obiecto intellectus intelligibile, aut oculi visibile; quia, inquit, *intelligibile significat, quod ejus est intellectus: non est autem intellectus ad illud, cujus est intellectus; idem enim profectò bis dictum esset. similiter & visus cujusdam est visus, non cujus est visus (& si verum est hoc dicere) sed ad colorem; aut aliquid aliud tale illo verò modo bis idem diceretur, quod visus est, cujus est visus*: item in re nostra si dirigibile assignetur pro Logicæ subiecto dicitur idem per idem; dicitur enim, quod Logica docens, seù dirigens fit ad dirigibile: dirigibile autem est, quod potest Logica dirigere. quare dicitur Logica esse dirigens eius, quod potest dirigere. Sicuti ergò in aliis potentiis assignatur ratio formalis obiectiva, ratione cuius potentia fit ad obiectum præter istam, quod obiectum possit ipsam terminare, ut color est ratio formalis, ad quam est oculus, & bonum, ad quod est voluntas: ità debuit in præsenti: quod nos fecimus, assignando rationem secundæ intentionis.

Dico quintò: subiectum præcipuum tum principalitate perfectionis, tum attributionis in

Logica est demonstratio præsertim potissima, & propter quid. Ratio est primi. quia hæc una parit propriissimam scientiam, neque alius est sciendi modus, qui tam rectè, & evidenter concludat per propriam, & immediatam causam. Ratio est secundi mens Aristotelis, qui unus optimè novit, quo pacto Logicam suam ordinavit. is ergò primum librum Priorum ita exordiatur; *Primum dicendum, circa quid, & de quo est intentio, quoniam circa demonstrationem, & de disciplina demonstrativa est*. Neque verò hæc intentio non rationabilis est; etenim Logica id habet, ut reliquis paret scientiis instrumenta sciendi. finis ergò Logices est, quò scientiæ conatu ultimo spectant, eò præcepta ultimatè dirigere. atqui scientiæ omnes ad demonstrandum tendunt; ordinantur enim ad hoc, ut faciant scire, quod est rem per causas suas præsertim proximas, & immediatas cognoscere, ergò præcepta de demonstratione sunt finis ultimus Logices: & consequenter demonstratio est subiectum attributionis in rationali facultate.

Potest in contrarium urgeri hic paralogismus. Omnis cognitio intellectiva vera est, aut falsa, recta, aut secus. neutra autem dirigibilis est à Logica. cognitio enim vera, ac definitio recta non indiget directione, quia vera, & recta jam est: neque indiget directione falsa, & prava; cum enim sit necessariò talis, rectificari, verificarique non potest.

Sed hoc discursu æquè prob. nullam scientiam, vel artem dirigere opus suum. quare prudentia non dirigeret actus voluntatis, quia vel isti sunt boni, vel mali. boni non indigent regula: mali sunt regulæ incapaces. similiter ars citharizandi non dirigeret citharœdum; vel enim pulsatio citharæ recta est, vel prava; primæ frustra apponitur directio; secundæ impossibiliter. Dico igitur directionem cadere potius supra potentiam, quam supra actus; intellectus enim per

artem Logicam ità disponitur, ut, dum operatur, non nisi rectè, & adamussim legum logicalium operetur. Rursus est in ipsa operatione dirigibilitas, si secundum se operatio sumatur, & in quantum præscindit à recta, & obliqua; facit enim logica, ut ejusmodi genus ad rectas semper operationes contrahatur, si regulæ ipsius serventur.

§. III.

Subjectum moralis Philosophiæ, ac Mathematicæ exponitur.

IN his duabus facultatibus exiguum difficultatis est, ut subjectum assignetur; intactæ enim fermè sunt à speculationibus cursistarum, quas oporteat discutere. Moralis igitur Philosophiæ subjectum videtur ens morale in quantum morale, ità ut moralitas sit formalis ratio, sub qua omnia partialia, & materialia subjecta ab Ethica respiciuntur. P. Maurus in Ethicæ Aristotelicæ, quam egregia paraphrasi exponit, proœmio vult sub entis moralis nomine comprehendi primò hominem ipsum, qui est agens morale, tum actus hominis internos, externosque, postremò obiecta ipsa, circa quæ tales actus versantur. Sed ista enumeratio extenditur ultrà limites moralis Philosophiæ, quæ quidem de homine, qui est actuum moralium principium, & habituum subjectum, nihil penitus agit. neque verò quod actus moralis sit hominis effectus, & perfectio, satis est, ut homo dicatur pertinere ad Ethicam, ut subjectum; aliter cum intellectus humanus sit cognitionis subiectum, & causa, dicetur etiam pertinere ad Logicam, ut subjectum, de quo ea est. Rursus objecta virtutum non pertinent ad Ethicam, ut præcipua, & attributionis subjecta; cum enim Ethica sit simpliciter practica facultas

in quantum est voluntatis directiva ad finem felicitatis, illud erit subjectum ipsius, quod est dirigibile per ipsam. atqui soli actus, non objecta sunt directionis susceptiva. quarè si objecta considerantur, non ratione sui, sed in quantum in actus ipsos honestatem, inhonestatemque derivant, considerantur.

Aptius ergò videtur nomine entis moralis sola actio humana intelligi, quæ moralis èst, in quantum libera, adeoque prudentiæ, & consultationi subjecta, atque ad finem beatitatis conducens, aut ab eo avertens, estque capax ut à morali scientia dirigatur, ut cognitio à Rationali. Hoc docuit D. Th. initio comment. in Ethicam Aristotelis, ubi ait, quod *moralis Philosophia proprium est considerare operationes humanas, secundùm quod sunt ordinata invicem, & ad finem*, & Phlos. §. 1.c. superioris relatus scientiam moralem activam vocat, quod de actionibus, & electionibus fit; cui consonat Commentator Epitom. in 2. post. c. 4. dicens, *scientia practica* (moralem intelligit) *esse considerare operationes, quarum est consilium, & electio ex parte, qua homo fit felix per illas, aut ei nocetur per illas*. Manet ergò operationem humanam in quantum humanam, & moralem esse Ethicæ subjectum non modò communitatis, verum etiam attributionis: neque enim invenio specialem aliquam actionem, ad cujus considerationem reliquæ ordinentur, nisi forte quis putet eam esse felicitatem ipsam, quæ tamen actio rigorosa juxtà Philosophum non est, quia ponitur consistere in contemplatione; neque ab Ethica respicitur ut dirigenda, sed ut acquirenda, adeoque non efficitur ab ea idealiter, sed causaliter per mediorum dispositionem.

Venio nunc ad subjectum Mathematicæ, quod quidem compertissimum est apud omnes non aliud esse præter quantum terminatum in tota

sua

sua universalitate, adeoque ut genus est continuo, & discreto, non quòd de tali genere sic abstracto aliqua sit consideratio mathematica, sed quia tractando de singulis quanti speciebus, totum genus exhaurit. Ratio autem, sub qua consideratur in Mathematica quantum, videtur esse ipsa terminatio, ratione cujus & numerus in Arithmetica; & linea, superficies, ac corpus in Geometria sunt mensurabilia, adeoque diversimodè inter se comparabilia secundum proportiones, ac proportionalitates varias.

§. IV.

Physica, ac Metaphysica subjectum assignatur.

CErtum primò videtur, nec Deum, nec Angelos physices subjecta esse; quod quamquam de Angelis inficientur nonnulli Scotistæ post Jo: Canonicum, negat tamen Faber theoremate 20. id unquam à Scoto dictum. & quidem, vel loquimur de physica juxtà Aristotelicam divisionem, & institutionem, vel de physica aliter ordinabili; secundum non est ad rem controversiæ præsentis. primum est falsum; physica enim Aristotelis nec de Deo, nec de Angelis tractat, nisi ad summum in quantum sunt extrinseci motores, quoad an est, non quoad quid est. imò vero nec potest; cum enim non abstrahat à materia sensibili, medioque sensibili in suis demonstrationibus utatur: de Deo autem, & Angelis omnis materiæ expertibus nulla passio per tale medium ostendi possit; restat, ut ad physicæ subiectum non pertineant. nec potest ab anima rationali duci paritas ad Angelos. illa enim ad physicum spectat, quia cum sit forma corporis, quod vivificat, & pars hominis, quem constituit, sit licet immateria-

lis, eſt tamen intrinſecum principium motus phyſici, ſenſibilis, ac materialis: per quod ipſa conſtituitur phyſica natura. hoc autem Angelo convenire non poteſt.

Certum eſt ſecundò phyſicam agere non ſolum de ſubſtantia corporea ejuſque partibus ſubſtantialibus, verùm etiam de accidentibus, adeoque iſta omnia ad ipſius ſubjectum communitatis pertinent. Prima pars apud omnes eſt inconcuſſa; de partibus, & accidentibus dubitatur; iſta enim videntur ſubjecti potius, quam ſubjectum. ſed utrumque tamen habent; demonſtrantur enim de ſubjecto, & rurſus de ipſis ſuæ paſſiones demonſtrantur. ſic quantitas eſt paſſio corporis, atque adeò de corpore per corporis definitionem demonſtratur: & rurſus de quantitate demonſtratur infinita diviſibilitas per ipſius naturam quantitatis. in prima demonſtratione quantitas eſt paſſio, in ſecunda ſubjectum. Atque hoc verum eſt de accidente tum in abſtracto, tum in concreto; & de hoc magis, quam de illo; phyſicus enim ex propria ſua ratione tendendi à ſubiecto non abſtrahit, nec tam conſiderat quantitatem, quàm quantum, nec tam calorem, quàm calidum, &c.

Ex his primùm deduco ſubjectum adæquationis in phyſica materiale eſſe ens, quia debet poni commune ſubſtantiæ, & accidenti: rationem vero formalem, ſub qua, eſſe naturale, vel mobile; utraque enim apta eſt, quia non differunt niſi ſecundùm explicitum, & implicitum, cum natura definiatur per principium motus, adeoque naturale per mobile. quare non rectè mobilitatem à formali ratione phyſici ſubjecti authores quidam excludunt, quod ſit paſſio, non eſſentia; neque enim mobilitas per naturam demonſtratur, aliter demonſtraretur definitio per definitum, ſed ſolùm motus, qui proinde propria eſt entis naturalis paſſio conveniens ſubiecto ſuò ſub disjunctione, ut par eſt

paſ.

passio numeri; omne enim mobile in motu est, aut in quiete, sicuti omnis numerus aut par est, aut impar.

Deduco iterum, subiectum attributionis in physica esse substantiam corpoream, seù corpus mobile, aut naturale. & quidem quod physicæ finis sit corporis naturalis consideratio, testatur apertè Philosophus 11.met.c.1., ubi, *Circa ea*, inquit, *quæ in se habent principium motus, & quietis, omnis naturalis intentio est*. postrema hæc verba subiectum attributionis indicant, ad quod fertur ut ad finem intentio scientiæ. nomine eius, quod in se habet principium motus, intelligi corpoream substantiam, declarat 2. phys. t. c. 4. ubi, *naturam*, inquit, *habent, quæcumque hujusmodi habent principium, & sunt hæc omnia substantia*, & t.c. 5. asserit, quod ferri sursum in igne tum secundùm potentiam, quæ est levitas, tum secundùm actum, qui est motus, natura non est, neque habet naturam, sed à natura, & secundùm naturam est. Profectò si physicam ipsam Aristotelis spectare velimus, omnia reperiemus per attributionem ad corpus naturale tractari, & in tali corpore sisti, nam materia, & forma sunt intrinseca corporis principia; causæ sunt principia extrinseca; motus est eiusdem præcipua passio; & sub hac habitudine considerantur: corporis verò consideratio ad aliud non ordinatur.

Circà Metaphysicæ subiectum sex sententias refert, ac reiicit Suarez disp: 1.met. sec.1, quibus ipse septimam veriorem subiicit. Ut rem ego totam paucis amplectar, ostendo prius, de quibus Metaphysica sit, ut deindè communem subiecti rationem inveniam: Est ergò primum Metaphysica de ente, quod in decem prædicamenta dividitur, adeoque de substantia, & accidente. hoc nemo negaverit, nisi qui Aristotelis Metaphysicam nunquam legerit; post quam. n. Philosophus multa in tribus priori-

bus

bus libris de Metaphysici officio, institutoque agit, & in quarto prima principia complexa, quæ de ente ut ente sunt, contrà paucorum proterviam confirmavit, accedit in quinto ad tractationem de ente, & uno, ac decem summorum generum: quæ tractatio usque ad integrum decimum extenditur, neque verò de accidente non est specialiter ut de subiecto metaphysica, quia illud est substantiæ passio; etenim licet in re ita sit, non tamen sub hac una ratione accidens Metaphysicus considerat; sed etiam in quantum participat ens, entisque universalissimas passiones, & suas habet proprietates specialiter cognoscibiles, ac demonstrabiles: Excluditur autem ab hac entis universalissima acceptione ens rationis, & ens per accidens; primum quidem; quia vel sumitur ut sonat secundas intentiones; atque ità spectat ad Logicum. vel ut sonat chimæram; atque ità cum pro nullo intelligibili supponat, ad nullam scientiam pertinere potest. secundum verò; quia vel sumitur pro contingente, aut quod à casu, non ex agentis intentione fit: atque ità scibile non est, quod habere debet necessariam veritatem. Vel sumitur pro aggregato plurium ut plurium; atque ita non est subiectum, quod debet habere aliquam unitatem.

Progreditur deindè Metaphysica usque ad Intelligentias, & Deum ipsum in quantum naturaliter cognoscibilem. neque verò ista dumtaxat considerat, ut extrinseca principia, & causas obiecti sui, ut Flandria contendit, verum etiam ut propria subjecta, eorum natura, & attributa inquirendo, ut videre est in 12. Metaphysices. & consonat rationi; cum enim istæ scibilia sint naturalia, ea debuit aliqua scientia naturalis contemplari, nec alia certè, quàm Metaphysica, quæ transnaturalis est, & à sensibili materia abstrahit. propterea Philosophus, sum-

sumpta à subjecto potissimo, nobilissimoque denominatione, metaphysicam divinam scientiam, ac Theologiam nominavit. & 6. met. t. 7. ait metaphysicam naturali præstare, quod ea circà primam substantiam sit: quod debet intelligi de propria substantia ut subjecto, non ut principio; naturalis enim de Deo etiam ut motore est, ut patet ex 7 & 8 Physicorum.

Post hæc dicendum cum communissima sententia, ens reale in quantum tale subjectum esse Metaphysicæ adæquatum, de eo enim ostendit tum generalia attributa, tum principia essendi, ac cognoscendi, tum demum partes subjectivas, ad plures entis species singillatim discutiendas descendens: plures, inquam, non omnes; neque enim veram puto Ægidii, ac Mirandulani opinionem arbitrantium, Metaphysici esse usque ad ultimas entium species, ac differentias pervadere, sed hoc pacto non esset reliquus aliis scientiis ad speculandum locus, & Metaphysica non esset una, sed omnis scientia; & quamvis Aristoteles 1. met. t. co. 8. *Sapientem* dixerit *scire omnia*; se tamen ipse satis explicat, dum addit, *ut possibile est scire non habentem singulariter eorum scientiam*. Addit D. Th. 3. cont, Gentes cont. 25. nec sine magna verisimilitudine, Deum esse in Metaphysica attributionis subjectum: *Ipsa*, inquit, n. 6. *prima Philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem sicut ad ultimum finem; undè & scientia divina nominatur.*

CAPUT VI.

De ordine partium Philosophiæ inter se.

Duplex ordo attendi potest inter partes Philosophiæ, alter doctrinæ, alter perfectionis, & excellentiæ, hic potest dici ordo

do intentionis, ille executionis. in primo quæritur, qua serie addiscendæ sint scientiæ, & cui primum; cui medium, cui postremum locum tribuere docendo sit opus. in altero comparatur disciplinarum dignitas, quænam scilicet infimum, ac plebejum, quæ vero equestre, aut Senatorium subsellium mereantur.

§. I.

Stabilitur ordo doctrinæ.

NOn solum apud Peripateticos, verum etiam apud plerosque extrà scholam Aristotelis melioris notæ Philosophos; Zenonem, Chrysippum, Apollodorum, cæterosque omnes, qui Logicam ab aliis facultatibus separarunt, in confesso fuit in ordine doctrinæ à Logica incipiendum. præmitti enim debent ut artibus, ita & sua scientiis instrumenta, quæ cum parentur à Logica, hanc primùm discendam consequens est. Atque hinc orta inter authores est de Logicæ necessitate quæstio, quæ quia hujus propria loci est, breviter hic decidetur.

Est ergò triplex necessitas, quam loqui, in præsenti possumus; prima simpliciter talis, & quidem aut physicè, ut dicitur alimentum ac respiratio animali necessaria, quia sine ea vivere naturaliter non potest: aut Metaphysicè, ut cuilibet contingenti opus est distincta causa, à qua fiat, & conservetur. altera est necessitas moralis, quæ tum habetur, cum res una ad alterius adeptionem necessaria ita est, ut comparari hæc quidem sine illa possit, sed non nisi rarò, nec sine ingenti labore, ac summa difficultate. tertia est necessitas secundum quid, & ad melius esse, cum scilicet una res haberi sine alia potest etiam facile, sed cum alia facilius.

Jam verò Logicam artificialem (neque enim

enim de naturali est sermo, sine qua scilicet aliquid sciri tam sine dubio non potest, quam non potest, sine intellectu) scientiis addiscendis necessariam non simpliciter, sed moraliter statuo.

Probo primum; duo enim sunt satis ut scientiæ comparentur, assensus certus, & infallibilis, quo principia teneantur, & certa item notitia, ex iis necessario conclusiones illas descendere, quibus scientia conflatur ad primum Logica non est opus; quę enim ars opus sit, certò quis sciat, *Quæ eidem æqualia, inter se esse æqualia: Si ab æqualibus æqualia demantur, quæ remanent, æqualia esse: Totum esse maius sua parte*, aliaque hujusmodi axiomata? Rursus non aliud lumen necessarium videtur, quàm naturale, ut videatur conclusionis à principiis necessaria consecutio; ut experiri est in Mathematicis demonstrationibus, quæ si proponantur intellectui Logicæ artis ignaro, ea solum vi, qua, ut dicitur 1. Rhet. ad Theodect. *Dialectici, ac Rhetorici nascimur*, extorquent assensum; quod unum probat, quæ Plato congerit in Menone, ubi Socratem inducit, qui rudem cæteroqui puerum à primis, ac notissimis sensim ad intima perducit Geometriæ arcana.

Probo secundum; qui enim aliis scientiis comparandis operam locant, plurima, & quidem difficillima obviam habent, quæ speciem præferuntur demonstrationum, sophismata: ex altera parte debili, imperfectoque ingenio utimur, ut sæpe etiam Logica tota muniti implicatissimos paralogismos solvere nequeamus: difficillimum ergò est sine Logicæ ductu in alias scientias citra errandi periculum penetrare. Accedit experientia; veteres enim Philosophi, qui summo studio in veritatis investigationem insudarunt, in plurimos errores sola Dialecticæ ignoratione prolapsi sunt, si credimus Aristoteli, qui propterea 2. Metaph. t.

c. 15.

c. 15. adversus ipsos illud celebre pronunciavit, *Absurdum est simul scientiam, & modum sciendi quærere*. Ex quo nova confirmatio propositi existit. nihil enim officit magis perfectæ scientiarum adeptioni, quam recta methodus neglecta. at verò communia omnibus scientiis priora sunt iis, quæ singularum sunt propria, quæ proindè si ignorentur manca erit tractatio; confusa, si misceantur. Definire autem, dividere, & argumentari communia scientiis omnibus sunt; quæ proinde scire oportet ante, quàm ad scientias accedatur, ne illarum notitia sine iis imperfecta, & obscura reddatur.

Imò verò Logica necessaria ad se ipsam est, quatenus una pars ipsius conducit ad consecutionem alterius. quod ut intelligatur, notare oportet processum. qui primò contigit in inventione, & nunc iterum contingit in acquisitione Logices. Principium ergo rationalis disciplinæ, ut & reliquarum artium à natura est, perfectio ab arte, usu, & exercitio, ut notat Albertus initio prædicab. ex modo enim, quem unusquisque servat in discursu, quem naturaliter format in re evidenti. cœptus est paulatim adverti modus, & ordo in quovis alio tenendus; atque ita promota per artem natura, ad hanc perfectionem Logica evolavit. Porrò è facilioribus itum est in difficiliora, ut à terminis ad propositionem, & ab hac ad discursum. Quin etiam quælibet dialecticæ pars à se quoque juvatur, ut quod definitio definitionis sit bona, ab ipsa natura definitionis dignoscitur; & quod syllogismus de syllogismo sit rectus, à forma, & modo syllogismis præscripto dijudicatur. Sed hoc non incommodat Dialecticæ, ut reliquis, in quibus non potest facilè propria cuiusq; materia, & modus differendi coniungi.

Quod attinet ad ordinem cœterarum facultatum, duplex is esse potest; vel incipiendo ab universalioribus, tum per divisionem descendendo

dendo ad minus universalia; vel inchoando a facilioribus, & sensim ad difficiliora progrediendo. primus dicitur ordo naturæ, secundus ordo doctrinæ: in quo tamen advertendum, quandoque difficiliora facilioribus præmitti, quòd hæc facilitatem sine illis non habent, ut constat in Logica, & quæ licet multa habeat difficiliora, quam Physica; præire tamen debet, quod Physica sine Logica per quam difficilè comparatur. Ut ergò lis decernatur, narrabo prius super ipsas mentem Phylosophi. post Logicam ergò Mathematicas disciplinas ponit Aristoteles: has sequi jubet Physicam: tertium locum Ethicæ, ultimum Metaphysicæ assignat. Atque hic ordo videtur procul dubio aptissimus. Primam partem docuit 6. Ethic. c.8. ubi ait, quod *puer fieri Mathematicus potest: sapiens, ac naturalis non potest*. Rationem affert eam, quod Physica postulat experientiam, quæ non contingit in pueris: Mathematica vero experientia non indiget, neque satis est, si experientias ab aliis factas accipiat; hoc enim fidem generat, non scientiam.

Ammonius in Porphyrii præfatione censet Physicam Mathematicæ præponendam ex eo, quod illa habeat minimam à materia abstractionem, hæc verò mediam. Verùm enim verò id non facit Mathematicas doctrina posteriores, nisi solum, si ea, quæ Mathematicus tractat, forent in eodem genere cum iis, quæ Physicus; tunc enim per mediam Mathematicam ascendendum esset ad Metaphysicam. at Mathematicæ materia non est ejusdem rationis cum Physica; illa enim est accidens, hæc substantia.

Quod Ethica Physicam sequatur, ex eadem Philosophi ratiocinatione conficitur; multò enim difficilior est in moralibus, quàm in Physicis experientia Præter hæc moralia ingenium quærunt non acerbum, & præcox, sed pro

vecta

vecta iam ætatę maturum: quæ est ratio, cur ad regimen civitatum adolescentes non adhibeantur. Postremus debetur Metaphysicæ locus. est enim de supremis, quæ nullam habent cum sensu cognationem, eiusque abstractio summam parit discendi difficultatem, nec superabilem ab ingenio, nisi reliquis disciplinis exculto. Neque oppositum convincitur ex eo, quod sermo de universalibus præferendus est sermonibus particularibus, ut dicitur 1. de part. anim. c. 1. id enim verum esset, si Metaphysica solum de universalissimis secundùm prædicationem ageret: nunc verò cum universalissimas causas, & à materia prorsus separatas indaget, non potest non esse postrema; quòd harum cognitio difficillima sit, ut 1. met. c. 8. Aristoteles ipse testatur.

§. II.

Decernitur ordo nobilitatis, & excellentia.

DUo sunt capita, ex quibus metiri excellentiam scientiarum possumus. primum est evidentia, & certitudo: alterum subiecti nobilitas, & perfectio. ex his facultatum dignitatem mensurabimus præsertim Metaphysicæ adversus ineptos quosdam eiusdem altissimæ facultatis obtrectatores.

Occurrit in primis comparatio inter Logicam, & Ethicam ex una parte, & reliquas Philosophiæ naturalis species ex altera, de qua nonnihil dictum superiùs cap. 4 §. 1. ill. 5. ubi secundum perfectionem comparavi practicas cum speculativis facultatibus. ex dictis autem ibi consequens est, ut Ethica, & Logica Mathematicæ de nobilitate non concedant; sunt. n. illæ operativæ, & de obiecto perfectiori; & licet ordinentur ad opus, cum tamen hic finis sit nobilis-

bilissimus, perficere scilicet hominem in eo, in quo est homo,& media universim à fine ut bonitatem, ita & perfectionem participent, vix aliquid ex hoc nobilitatis Logicæ, Ethicæque decedit. & quidem medium tunc est absolutè imperfectius fine, cum non est, nisi medium: at verò si medium simul & finis sit, poterit non esse imperfectius.ità est in casu;scientię enim licet practicæ, scientiæ sunt, adeoque perfectivæ intellectus, & expetibiles propter se. Ex eadem ratione subiecti minus nobiles sunt Physica, & Metaphysica scientiis speculativis de substantia; cum Logica sit de actibus intellectus, Ethica de operationibus voluntatis, quæ sunt accidentia. Quod si comparentur inter se, præcellit Ethica ex fine, felicitate nim. quæ est quid in homine pręstantissimum.

Venio ad partes naturalis Philosophiæ, seriemque perfectionis inter eas ità decerno, ut spectata ratione subiecti primum locum Metaphysica, secundum Physica, tertium teneat Mathematica. De hoc quidem dubium esse non potest conferenti subiecta ejusm. scientiarum inter se. Quare licet darem, Mathematicam evidentia, & certitudine superare, non tamen do, quod absolutè sit melior. Rationem eruo ex iis, quæ habet S. Th 3. cont. Gentes c. 25. n.4. ubi, *Intellectus*, inquit, *humanus magis desiderat, & amat, & delectatur in cognitione divinorum, quamvis modicum quidem de illis percipere possit, quàm in perfecta cognitione, quam habet de rebus infimis*, quæ doctrinæ verissima est, & explicari potest obvio exemplo; quemadmodum enim curiosius inquirimus, & pluris multò facimus notitias dubias licet, atque incertas eorum, quæ reges in aulis, aut in castris seu meditantur, seù agunt, quàm certas, atque intuitivas eorum, quæ vulgus in triviis, aut ganeis exercet, aut garrit, idque non solum propter difficultatem ex-

incli-

inclinatione conandi in vetitum, sed etiam propter rerum gravitatem, & magnitudinem negotiorum: ità prorsus multò magis à natura impellimur ad Intelligentiarum, Deique naturam investigandam propter supremam objecti excellentiam, atque ideò delectabilius in hujusmodi cognitione, quamvis imperfecta versamur, quam in trianguli, aut circuli essentiæ, ac passionis evidentissima speculatione. Huc facit, quod remotissima quæque, & maximè peregrina summa cognoscendi aviditate invadimus, ritusque, & mores gentium barbararum dubia licet fide jucundius accipimus, quam, oculis testibus, nostros. quantò magis, quæ non situ, sed natura dissita à nobis sunt, seseque sensibus, quibus utitur ducibus cognitio nostra, omninò subducunt?

Deindè si vera est sententia Philosophi, quod hominis felicitas intra naturæ limites stantis sit Dei contemplatio, manifesta est Metaphysicæ dignitas suprà reliquas; etenim habitus excellentia ab excellentia actuum est; atqui actus Metaphysicæ, qui est Dei contemplatio, optimus, & perfectissimus est; aliter felicitas non esset, quæ cum sit ultimum, & finale bonum, est item bonum, quo melius nihil homini, nec nobilius. Et licet putem felicitatem propriissimè non ad intellectum, sed ad voluntatem, pertinere, adhuc stat Metaphysicam ex hoc capite nobilissimam esse, quia ponit actum ultimo determinantem ad volitionem illam, quæ formalis beatitudo est, & ad scientiam nullam pertinet, ut actus, sed solùm, ut obiectum.

Ad hæc, quatuor attributa Metaphysicæ convenire probat Phylosophus 1. met. à t. c. 10. undè non parum eius dignitas constat. primum ut sit maximè libera, & independens: secundum ut non sit possessio ipsius humana: tertium ut sit honorabilissima: quartum ut sit sublativa omnis admirationis. Primum ostendit;

dit; quia libertas, & independentia est in omnibus speculativis facultatibus, ut distinguuntur à practicis, quæ sunt serviles; specialiter tamen est in Metaphysica, quia reliquæ ordinantur ad cognitionem primi, & supremi intelligibilis, quod cum contempletur Metaphysica, ipsa ad alias, non ordinatur, sed aliæ omnes ordinantur ad ipsam; ac proindè sola ea domina est, ac regina. ostendit secundum; cum enim natura hominis in plerisque sit serva, quod subdita scilicet sit necessitatibus vitæ, quibus dum mederi vult, ab optimorum cognitione avertitur; consequens est, ut in homine Metaphysica perfecta esse non possit, ut est in Angelo. Ostendit tertium; quia divina omnia sunt maximè per se honorabilia; Metaphysica autem divina est; tum quia est de Deo, ut de subjecto; tum quia præcipua est in Deo, ut in subjecto: nostra autem divinæ scientiæ participatio est in eo, in quo illa scie ntia divina est. Ostendit quartum: commune enim est omni scientiæ, ut admirationem pellat, ut est commune pellere ignorationem causarum, in qua admiratio consistit. sic audiens diametrum incommensurabilem admiratur, quam admirationem tollit Geometria, at Metaphysicæ proprium est altissimas, primasque causas speculari, in quibus omnem scientiæ inquisitionem sistere oportet; adeoque omnem admirationem Metaphysica specialiter interimit. Hæc summam Metaphysicæ excellentiam convincunt ex objecto derivatam: ex quibus potest meritò cum Aristotele concludi, quod aliæ sunt Metaphysica magis necessariæ, at nulla melior.

Post hæc videndum, quæ scientiarum perfectissima sit ex certitudine. sed prius adverto, comparari hic scientias in eo, in quo scientiæ sunt, atque adeò secundùm partem, qua de suis subjectis passiones demonstrant. quare nonnisi

ineptè, ut Mathematicam quis Methaphysicæ v.g. præponeret, eò recurreret, quod Metaphysica sæpe non ostendit, sed suadet; ità enim non scientiam cum scientia, sed opinionem cum scientia conferret. Ut ergò veniam ad rem ipsam noto, certitudinem posse sumi pro necessitate veritatis, quæ nascitur ex objecto habente omnimodam necessitatem., ut ità sit, quemadmodum esse à scientia enunciatur; & hæc dicitur certitudo objectiva, in qua omnes scientiæ sunt æquales, cum sit perfectio gradualitatis non susceptiva. Potest deindè sumi certitudo pro firmitate assensus exclusiva dubietatis circà scitum: atque in hac, quæ appellatur certitudo subjectiva, est distinguere magis, & minus.

Porrò secundùm hanc certitudinem tripliciter potest una scientia aliam superare juxtà Phylos. 1. Post. t. com. 178. primò quidem quæ acquiritur per demonstrationem propter quid, certior est ea, quæ comparatur per demonstrationem, quia, procedentem vel per effectum, vel per causam remotam. exemplum est in Chirurgo scientæ ab experimento, quod vulnera circularia tardiùs curantur; sed causam hujus solus à priori, adeòque certiùs novit Geometra ex circuli natura secundùm omnes sui partes æquè recedentis à medio. ratio est; quia sola prior, quæ est potissima demonstratio, extinguit etiam dubium, & inquisitionem circà conclusionis veritatem; adeòque certiorem scientiam parit. hinc fit primò, ut physica minus certa sit, quam metaphysica, aut mathematica; proprium enim ipsius est procedere à posteriori, & per sensibiles experientias, & licet regrediatur, vix tamen obtinet viam demonstrandi, nisi evidentiæ per experientias acquisitæ innitatur, Fit secundò, ut Metaphysica omnium certissima sit; una enim resolvit ad primas, & altissimas causas, ultrà quas non est inquisitio.

Secun-

Secundò scientiæ sunt certiores, quò magis à sensibilitate præscindunt. Materia enim sensibilis fons est, & origo omnis mutabilitatis; mutabilitas incertitudinis: quantò igitur à materia, tantò ab incertitudine magis animus eloagatur: hinc Arithmetica certitudine Musicam, Geometria superat Perspectivam, & generatim puræ Mathematicæ mixtas. Hinc Physica infimum locum certitudinis, Mathematica medium Metaphysica tenet supremum.

Tertio scientia considerans objectum simplicius certior est, considerante objectum magis compositum. Ratio hujus est eadem, quæ præcedentis. compositio enim mutabilitatem facit, & incertitudinem: simplicitas è contrario reddit subjectum quodammodo immobile, adeoque certiorem intellectum. Ex hoc certissima est Metaphysica, utpote de simplicissimo objecto, ente nimirum secundùm se, aut ente primo: minus certa Mathematica, utpote de quanto integraliter composito: minimè omnium Physica ut pote de corpore integraliter, ac substantialiter composito.

Denique si spectemus evidentiam, hæc quidem comparativè ad objectum minima est in Metaphysica: ut enim objectum ipsius perfectissimum sit, & natum proinde efficere maximam evidentiam, ex incapacitate tantùm, nostrique intellectus debilitate fit, ut longè minorem, quàm potest, efficiat; efficit tamen magnam, quæque aliarum evidentiam superet: tùm quia ens est primum, quod objicitur intellectui, & ad cujus notitiam reliquorum notitiæ resolvuntur; tùm quia Metaphysicus per omnia 4. causarum genera demonstrat, & à singulis evidentiam trahit, quod in aliis scientiis non contingit. Physicus enim procedit ab effectu; Mathematicus demonstrat per solam causam formalem.

Fatendum tamen est, in Mathematica esse

majorem tùm certitudinem, tùm evidentiam, ut ità dicam, extensivè; quia non est alia, quæ omnes omninò conclusiones demonstrat, ut Mathematica, quam multa enim in Metaphysicis, ac Physicis in utramque partem topicè disputamus? In hoc autem non est, quod sibi multùm plaudant Mathematici: ista enim perfectio ex subjecti imperfectione derivatur intrà humani intellectus facultatem comprehensi. Neque verò perfectior est vis motiva nullo negotio elevans decem libras ea, quæ ingens pondus si non elevat, at saltem concurrit.

Sed illud certè omittendum non est, quod plerisque etiam ex doctioribus displicet, usque adeo à nobis Metaphysicam commendari, quod ea ubique utimur, ejusque abstractum philosophandi morem in physicis præcipuè adhibemus, non exiguo dispendio veritatis. itaque Metaphysicam præclaram per se scientiam; inutilem tamen prædicant, & in qua non sit opus debitam naturæ cognitioni ætatem impendere.

Vereor equidem, ut ne iste Novatorum sit sibilus, qui post sublatam è medio supernaturalem Theologiam, cruentas manus naturali admovent, à qua una secundùm illam sibi metuunt: quare ad Mathematicas, & Physicas disciplinas sola experientia contentas divertunt, à quibus nihil omninò timent. Cæterum quid veritati obesse possit Metaphysica in Physicis speculatio, præsertim ubi sensibiles experientiæ non contradicunt? Quod verò Metaphysicam inutilem appellant, commendant illam inviti. utilitas enim finis non est, sed medii. hinc artes, quò utiliores, eo ignobiliores; quæ enim vilior quæ utilior coquinaria, sutoria, & similibus, quæ illiberales habentur? Quod si inutilem Metaphysicam dicunt, quasi ad veritatis consecutionem non conducat; nimis multùm ingeniosi sunt, si probant; nimis multùm audaces, si

tan-

tantùm dicunt. Quam verò illa sit non sibi solum, sed reliquis etiam scientiis ad veritatem obtinendam utilis, ex multis constat; nam & aliis principia tradit, in quæ omnis speculatio resolvitur, quemadmodum videre est in principio omnium primo, ut cætera omittam, *Idem non potest simul esse, & non esse*, quo probatur omnis veritas per deductionem ad impossibile: & abstracto speculandi more dum se reliquis insinuat, ingenium mirum quantum acuit, & ad veritatis inventionem disponit.

Unum illud prætermittere nec possum, nec debeo, quod isti authores in Scyllam incidunt, dum Charybdim vitant, & dum à Metaphysica perinde quasi minus ad veritatis adeptionem idonea adolescentes deterrent, ad Physicam illam suam paucissimis veritatibus, plurimis experimentis contentam alliciunt: quasi verò in illis etiam dubietatis plus non sit, quàm veritatis. quàm multos enim videmus contrariis experientiis eadem super quæstione pugnantes?

Quid? quod rejecta Metaphysica, Geometriam pro duce accersunt, Platonem scilicet sequuti: qui aditu Academiæ Ageometras prohibebat. Sed perperam sanè tanti Philosophi mentem interpretantur. necessaria enim ea tempestate fuit Geometria, non ut viam reliquis disciplinis muniret, sed ut pueri, qui Græcè scire non studio, sed usu discebant, in ea primùm occuparentur, ac rubiginem mentis abstergerent. Ad hæc ex ipso Aristotele jam notavi Mathematicas facultates Physicis anteire, non quod ad istas conducant, sed quod experientia non egent, quæ sanè in pueris esse non potest. Cæterum Geometriam Physicæ non modo non prodesse, sed & obesse plurimum, libri ipsi Atomiitarum ostendunt; in quibus, quòd Geometrica methodo procedant, omnia se putant demonstrare, cum tamen ple-

raque ne probent quidem , sed apparentibus tantum paralogismis involvant .

Sed jam satis multa de Philosophiæ natura , & partibus dicta in universum sunt . Superest , ut ad singulas accedamus , quo præscripsimus , ordine , ut prius scilicet rationalem , seù Logicam , tum Physicam deinde Ethicam , postremo Metaphysicam pertractemus,



LOGICÆ PERIPATETICÆ.

PROOEMIUM.

PRoprium Logicæ munus eſt, ſi credimus D. Th. c. 4. §. 1. ſuperioris quæſtionis laudato, imò & omnibus, quotquot ante, aut poſt Ariſtotelem Philoſophica tradidere, noſtræ mentis actus dirigere, ne quà devient à recta diſſerendi ratione. Quo mihi dolendum vehementius fuit novandi libidinem noſtra hæc tempora uſque adeo inclinaſſe, ut non defuerint, qui Logicas pręceptiones, toti hactenus antiquitati ſacras, reſcindere non ſint veriti. Incidi non ita pridem in Logicam tractationem ſex non amplius foliis abſolutam, quam neſcio quis alicujus nominis apud ſuos magiſter palam dictaverat hoc titulo, *Logica ad lumen divinum reformanda*, iis ineptis ad calcem uſque refertam, ut puduerit me ætatis noſtræ, quæ hæc videat, & ferat: ferat autem? laudibus etiam efferat, iiſque & ſcholam inſtruat & conciliet auditores. Quid enim expectes poſt titulum tam lautum, propter quem, ut ait ille, *vadimonium deſeri poſſit*? Pauca admodum, quæ reprehendenda illi videntur in Ariſtotelis organo, iis rejecta rationibus, quæ riſum, & ſtomacum moveant (ſunt enim pleraque ex primis objectiunculis, quas ſibi ipſi Peripatetici opponunt, non quod aliquid momenti habeant, ſed ne in iis pueri hæreant) hæc demum omnia ſunt, quibus ea Logices ad lumen divinum reformatio ex aſſe conſtat. Quid tum poſtea? hinc gradus ad phyſicam eſſe; ut tam bellè inſtructi adoleſcentes una Logicarum inſtructionum ignorantia, quæ rectè, quæ ſecus probata, improbatave fuerint, diſtinguere ſcilicet pro merito valeant, & ad ſcientias tandem nitantur eas, quarum prin-

cipia evellere id nempe in antecessum unicè di-dicerunt. Quorsum hæc? ut calamitatem tibi publicam, Lector, aperiam, non quod me facturum sperem malo tam ancipiti medicinam; scio enim, quanti jam fiat compendiaria istæc nesciendi disciplina. sed neque ego tanti sum: & si quis essem, in animum nunquam inducerem eas nugas ex professo aut refellere, aut referre. Satis erit Logicam in suo lumine pro viribus collocare, ut quas illi umbras offundere isti conantur, sponte sua evanescant.

Venio igitur ad Logicæ totius partitionem, quam mihi in hoc opere destino. Eam dabunt ipsi nostræ mentis actus; quos regulare Logicum est. Jam vero nostra mens in triplici operationum genere versatur. aut enim apprehendit, & simplici quodam intuitu in suum objectum fertur; atque ita prima ipsius operatio existit, quæ simplex apprehensio nuncupatur. aut judicat de apprehensis, unum alteri tribuendo, removendove; atque hæc est altera operatio judicativa in affirmationem, negationemque divisa. aut ex uno judicio in aliud progreditur, ignotumq; infert ex noto: atque hæc tertia dicitur operatio illativa, cui discursus, ac ratiocinatio factum est nomen. Pro triplici hoc operandi genere Logica esset in tres libros distribuenda: quorum unus, quæ ad simplicem, alter, quæ ad compositam, tertius, quę ad illatam intelligentiam pertinent, evolueret. Quia vero in his alia sunt mere doctrinalia, & ferme incontroversa, atque ad parvam, ut ajunt, Logicam spectantia, alia, quæ magis ad speculationem accedunt, Metaphysica pleraque, nonnulla etiam animastica, sed quæ ex usu in Logicam immigrarunt; ea equidem, ut par est, segregabo, & ubi illa in primum librum conjecero; tres sequentes reliqua, quo dictum est, ordine complectentur.

LI

LIBER PRIMUS.

DE LOGICIS PRÆCEPTIONIBUS.



Uo mihi sunt in toto hoc libro præstanda. primum, ut tradam, quoad potero brevissimè, notiones omnes terminorum, propositionum, & consequentiarum ad parvam, ut vocant, Logicam pertinentes, & sine quibus Logicæ præceptiones intelligi non possunt. Alterum, ut seorsim Logicas ipsas regulas tradam, alia, sed fortasse non pejore methodo, quam vulgo soleat ab iis, qui duo ista permiscent.

QUÆSTIO PRIMA.

De Notionibus ad Logica præcepta perequisitis.

CAPUT I.

De Terminis.

TErminus, ut est Logicæ considerationis; est Id, in quod resolvitur propositio, tamquam in subjectum, & prædicatum. subjectum autem est id, de quo aliud affirmatur, aut negatur. Prædicatum est id, quod de alio affirmatur, aut negatur. Copula est id: quo præstatur affirmatio, vel negatio. sic dum dico, *Petrus est homo*, *Petrus* est subjectum, quia de eo dicitur homo, *homo* est prædicatum, quia dici-

tur de Petro. & hi sunt termini. *est* non est terminus, sed copula, seu nexus terminorum.

Terminus communis est, qui potest de pluribus prædicari, ut *homo*. Singularis, seu discretus qui non nisi de uno, ut *Deus*. Inter communes, qui communior est, dicitur superior. ut *animal* qui minus communis, inferior, ut *homo*.

Terminus categorematicus est, qui propter suam in significando determinationem habet, ut possit se solo esse terminus, h.e. subjectum, vel prædicatum, ut, *homo*, *leo*, *albus*, *quantus*. Syncategorematicus est, qui propter oppositam indeterminationem nec subjici per se potest, nec prædicari, sed solum aliqua gerere munera circa subjectum, & prædicatum, illa determinando, ac modificando. tale est signum distributivum, *Omnis*, *quilibet*, *nullus*: signum particulare confundens, *aliquis*, *alter*: præpositiones, adverbia, conjunctiones, & casus omnes obliqui.

Terminus univocus, & æquivocus, & analogus quid sit, vide l.2. q.3.

Terminus abstractus est, qui significat formam præcisè secundùm se, ut *albedo*, *humanitas*. Concretus est, qui significat formam in subjecto, adeoque & subiectum & formam, sed formam principalius, & clarius quoad significationem, subiectum obscurius, sed principaliùs quoad suppositionem, ut *album homo*; quæ albedinem, & humanitatem exprimunt, pro neutra tamen supponunt, sed pro solo habente ipsas.

Terminus absolutus est, qui nihil significat ut alteri adiacens: quo pacto omnia abstracta sunt absoluta. Connotativus est, qui formam significat subiecto adiacentem; adeoque simul stat pro subiecto, & connotat, seù significat formam: quo pacto omnia concreta sunt aliquo pacto connotativa; sed in rigore ea tantum, quæ formam significant realiter à subie-

biecto distinctam. Sub connotativo est Relativus, qui addit, ut non solum dicat habitudinem subiecti ad formam; sed etiam formæ ad aliud, ad quod ordinat subjectum suum, ut *Agens*, quod non solum explicatur per causam in recto, & actionem in obliquo, sed etiam per effectum, ad quem est actio.

Terminus finitus est, qui certam habet significationem, ut *homo*. Infinitus est, qui, adiecta negatione, in incertum vagatur ad omnia, eo uno excepto, quod interimitur; ut *non homo*.

Terminus primæ impositionis est primariò impositus ad significandas res, ut, *homo*. secundæ impositionis est impositus ad significandas voces, earumque affectiones, ut *Verbum*, *nomen*, *participium*, *&c.*

Terminus primæ intentionis est, qui significat rem ut est in se antecedenter ad animæ tractationem, ut, *homo*. Secundæ intentionis est qui significat rem secundùm quod denominatur ab actu animæ, ut, *genus*, *species*, *&c.*

Postremò possunt termini comparari inter se secundùm vim se mutuò inferendi, aut excludendi: quam vim si neutram habent, dicuntur termini impertinentes, ut, *album*, *& calidum*. Si se mutuò inferunt, dicuntur pertinentes sequela, ut *rationale*, *& risibile*. si se mutuò excludunt, dicuntur pertinentes repugnantia *ut calidum*, *& frigidum*.

CAPUT II.

De Terminorum Proprietatibus.

SUppositio est acceptio termini in propositione pro aliquo juxtà naturam verbi, aliasque determinationes termino appositas. Suppositio materialis est acceptio termini pro voce, quæ est scilicet, termini materia; ut est in hac, *Petrus*

est vox dissyllaba. Suppositio simplex est acceptio termini pro re significata, secundùm esse acceptum ab anima, & non significatum à termino. sic dum dicitur, *homo est species, homo*, qui est terminus primæ intentionis, trahitur à prædicato secundæ ad supponendum pro re secundum denominationem ab anima acceptam, quam terminus *homo* neutiquam per se significat. Hanc esse veram notionem simplicis suppositionis, constabit cap. 1. quæst. 2. Suppositio personalis est acceptio termini pro re significata, ut est per terminum significata. Ità supponunt non solum nomina primæ, sed etiam intentionis secundæ, ut constabit loco cit.

Suppositio communis est propria termini communis non affecti signo discreto, & singulari, *hic*, &c. Suppositio discreta est propria termini singularis, aut communis affecti signo singulari.

Communis alia est confusa, alia determinata. Confusa altera, quæ nihil, altera, quæ aliquid determinationis admiscet. prima dicitur confusa immobilis: secunda confusa mobilis. prima habetur, cum terminus communis sumitur pro suis singularibus disjunctivè, ita ut de nullo determinato possit verificari. hoc autem contingit, dum explicitè, aut implicitè imperatur modus de necessè; tunc enim terminus necessitatis, aut exigentiæ de nulla singulari certò dici potest: ut est in his: *alter oculus est necessarius ad videndum*: *aliqua navi indigeo ad navigandum*. Secunda habetur, cum terminus communis nullum sibi singulare determinat, sed in aliquo tamen certò verificatur: ut est in istis, *alter oculus videt*, *aliquis homo currit*.

Suppositio determinata alia est distributiva, cum terminus communis sumitur pro singulis sub se contentis, ut in hac, *omnis homo currit*.

rit. Sed distributio potest fieri completa pro singulis generum, ut in hac, *omne animal est mortale*: & potest fieri incompleta pro generibus singulorum, ut in hac, *Omne animal fuit in arca Noe*. Alia est copulata, cum sumitur non pro singulis seorsim, sed pro omnibus simul, ut in hac. *omnes Apostoli sunt duodecim*.

Ascensus terminorum in rigore est inductio; procedit enim à singularibus sufficienter enumeratis ad universale.

Descensus est resolutio termini communis in singulares sibi subjectos, Quadruplex est, Copulativus, Copulatus, Disjunctivus, Disjunctus. Copulativus fit per particulam *&* nectentem integras propositiones, adeòque conflantem hypotheticam copulativam. Sic resolvitur terminus supponens distributivè. quare hæc, *omnis homo currit*, ità resolvitur, *hic homo currit, & ille homo currit*, &c.

Descensus copulatus fit per particulam *&* nectentem non propositiones, sed extrema; unde resultet non copulativa, sed categorica de extremo copulato, sic resolvitur terminus supponens copulàtè. quare hæc, *omnes Apostoli sunt duodecim*, sic resolvitur, *Petrus, & Iacobus, & Andreas &c. sunt duodecim*.

Descensus disjunctivus fit per particulam *vel* nectentem propositiones, formantemque ex iis hypotheticam disjunctivam. sic resolvitur terminus supponens confusè mobiliter, ut est in hac, *aliquis homo currit*, cui æquivalet hęc disjunctiva, *vel hic homo currit, vel ille homo currit &c.*

Descensus disjunctus fit per particulam *vel* nectentem non propositiones, sed extrema; unde resultet non disjunctiva, sed categorica de extremo disjuncto. sic resolvitur terminus supponens confusè immobiliter, ut in hac, *alter oculus est necessarius ad videndum*. quæ sic unicè resolvitur, *vel hic, vel ille oculus est necessarius &c.*

Status termini est ejus acceptio pro solo tempore importato per copulam. ut cum dico, *Sortes est albus*, uterque terminus supponit pro existentibus.

Ampliatio est termini acceptio pro alio tempore ab importato per copulam: ut in hac, *justus erit peccator*, *justus* ampliatur pro eo, qui est, aut fuit.

Restrictio est, cum terminus per se amplus vi additi limitatur ad pauciora, ut cum dico, *homo sapiens*, Hæc eadem si fiat à toto integrali ad partem, dicitur diminutio, ut cum de Aethiope dicitur, quod sit *albus secundùm dentes*. Tale additum appellatur *diminuens*.

Alienatio, seù Distractio est, cum à propria significatione terminus compellitur ad alienam: ut si dicatur, *homo pictus*. Tale additum appellatur distrahens.

Appellatio habetur, dum una dictio aliam denominat, ut si dicas, *Sortes est bonus musicus*; dictio enim *bonus* denominat, & appellat dictionem non *Sortes*, *sed Musicus*.

CAPUT III.

De Propositionibus.

NOmen est vox significativa ad placitum sine tempore (quatenus nullam habet significare actionem pro aliqua temporis differentia consignificata exercitam) cujus nulla pars separata significat, finita, & recta. Explicationem harum particularum vide apud Summulistas passim.

Verbum est vox significativa ad placitum cum tempore (quatenus importat actionis alicujus, aut existentiæ exercitium pro aliqua temporis differentia. Vide l. 3.q. 2. & 3.) & est nota eorum, quæ de altero dicuntur; est enim signum quod positum inter extrema, ea trahit

hit in identitatem, aut distinctionem suppositionis, ut q. 2. cit. explicabitur. Ex quo fit solum verbum, *sum, es, est*, in rigore esse verbum, quod & dicitur verbum substantivum: cætera sunt verba, quia hoc includunt, sic *curro* est verbum, quia exponitur, *sum currens*.

Oratio est vox significativa ad placitum, cujus aliqua pars separata significat, ut *homo albus, Deum esse*. Alia est imperfecta, quæ imperfectum sensum ingenerat audienti, ut positæ. Alia perfecta, quæ perfectum. hæc autem in quinque species dividitur, enunciativam, vocativam, interrogativam, imperativam, deprecativam: de quibus vide D. Thomam in 1.periher. lec. 7. Ex his sola enunciativa veritatis. & falsitatis capax pertinet ad Philosophum veritatis indagatorem.

Propositio, seù enunciatio est oratio judicativa verum, & falsum significans. Vide citatas lib. 3. quæstiones.

In hac sunt 4. consideranda, Materia, Forma, Quantitas, Qualitas. Materia Summulistis est habitudo terminorum, quæ quia triplex est, in triplici materia dicitur esse propositio. 1. in necessaria, seù naturali, cum prædicatum subjecto convenit necessariò, ut, *homo est animal*. 2. in materia impossibili, seù remota, dum prædicatum non potest convenire subiecto, ut, *homo est lapis*. 3. in materia contingenti, dum prædicatum potest inesse, & potest non inesse subjecto, ut, *homo est albus*. Forma propositionis est copula jam explicata.

Quantitas est extensio, aut restrictio principalis subjecti. & est quadruplex: Universalis: dum communis terminus distribuitur, ut in hac, *omnis homo currit*. Particularis, dum communis terminus confunditur, ut in hac, *aliquis homo currit*. Indefinita, dum communis terminus nullo signo afficitur, quæ quidem in

ma-

m, quod fi
va, præter qu
ri à D. Th. l. c
Aureolo quodl.
ipso vocabulo pr
quam causalitat
quæ speculativo
alia assignabilis
Accedit, quod
carent vim artis
per exemplar ex
veræ vitæ ait,
cogitat, jam do
modum manus
exemplar. Idem
com. 23. exempl
scientia practica
que inter alia,
dit fieri, & dom
eam qua habet m
ædificandi est for
tis, & domus.
Ex data, co
notitiæ nonnul
bia resolvemus,
veri circà ipsam
tiæ practicæ non
ciativa, multò
ptivè, & per ge
est conficiendus
est cont. Greg. q.
simplex appreh
tè, sed etiam ut
modum, & qua
tionem operati
exemplaris, ad
tur, ergò habet
quod sequatur j
tione vis directi
quod non opor

... æquivalet universali: in co
... particulari ex communi acception
... sensus loquentis, aut scriben
... Singularis demum, dum subjicit
... ut *Petrus sedet*, vel t
... signo demonstrativ
... Qualitas demum est affirm
... hinc dicitur mutari prop
... dum ex affirmativa fit negat

... est, seù simplex est, c
... prædicatum, & copu
... esse de extremo simplici,
... vel de extremo composito
... ut *Petrus, & Pau*
... vel hic, vel ille
... Propositio hypoth
... cujus partes sunt pl

... in qua prædicat
... & sine ulla mod
... Modalis est,
... quo prædicatum subje
... Possibi
... Contingens.
... non repugnat.
... h. e. tribuit
... cujus non positio
... cujus non repugnat
... quare e

n esse animal: impossibile est, hominem lem: possibile est, hominem esse sapientem.
othetica, seù conjuncta plures categori-
it per notam conditionis, copulationis,
tionis, vel aliam his æquivalentem. qua.
sunt præcipuæ species Propositionis con-
, Conditionalis nectens plures pro-
nes per particulam *si*, ut, *si sol est*,
. Copulativa nectens duas, pluresvè
icas per particulam &, ut, *Sortes se-*
& Petrus currit. Disjunctiva nectens
icas per particulam *vel*, ut, *vel dies*
l nox est.
onibiles dicuntur propositiones in spe-
mplices, re ipsa compositæ, quæque pro-
xponendæ sunt per plures categoricas,
. sunt Reduplicativæ, Exclusivæ, Ex-
æ, de quibus vide q. seq. c 3.

CAPUT IV.

De Proprietatibus Propositionum.

positio est duarum propositionum eodem
subiecto, & prædicato constantium repu-
ia secundum qualitatem; u t *Petrus sedet*,
s non sedet. quatuor numerantur opposi-
s rigorosæ conditiones. 1. ut cadant suprà
m omninò terminos. 2 pro eodem tem-
& loco. 3. secundùm eandem suppositio-
4. secundùm easdem modificationes utrius
extremi.
ppositio contradictoria est inter proposi-
s eodem subiecto, & prædicato constantes
gnantia secundùm quantitatem, & quali-
n, ut est inter has, *Omnis homo currit, ali-*
homo non currit.
ntraria est inter propositiones universales
tate differentes, ut, *omnis homo currit*,
s homo currit;

Sub

materia necessaria æquivalet universali: in contingente, particulari ex communi acceptione, nisi aliud ferat sensus loquentis, aut scribentis contextus. Singularis demum, dum subjicitur vel terminus discretus, ut *Petrus sedet*, vel terminus communis affectus signo demonstrativo, ut *hic homo currit*. Qualitas demum est affirmatio, vel negatio. hinc dicitur mutari propositionis qualitas, dum ex affirmativa fit negativa, vel contrà.

Propositio categorica, seù simplex est, cujus partes sunt subjectum, prædicatum, & copula. Rursus hæc potest esse de extremo simplici, ut, *homo est sapiens*, vel de extremo composito sivè conjuncto, sivè disjuncto, ut *Petrus, & Paulus sunt binarius hominum: vel hic, vel ille oculus requiritur ad videndum*. Propositio hypothetica, seù composita est, cujus partes sunt plures propositiones categoricæ.

Categorica de inesse est, in qua prædicatum inest subjecto simpliciter, & sine ulla modi determinatione, ut *Sortes ridet*. Modalis est, quæ modum enunciat, quo prædicatum subjecto inest. Modi eiusm. quatuor sunt, Possibile, Impossibile, Necessarium, Contingens. Possibile est, quod positum non repugnat. Impossibile, cujus positio repugnat, h.e. trahit esse, & non esse. Necessarium, cuius non positio repugnat. Contingens, cuius nec repugnat positio, nec repugnat non positio. quare explicatur contingentia per simultaneam possibilitatem essendi, & non essendi; adeoque per copulativam compositam ex duplici de possibili. His modis bifariam effertur propositio modalis, vel per adverbium sic: *homo contingenter est albus*; *necessariò est animal*; *impossibiliter est lapis*; *possibiliter est sapiens*. Vel per nomen, quod subjiciatur orationi per verbum infinitivum elata, quæ oratio appellatur *Dictum*, sic; *Contingens est, hominem esse album*; *necesse est*, *homi-*

hominem esse animal: impossibile est, hominem esse lapidem: possibile est, hominem esse sapientem.

Hypothetica, seu conjuncta plures categoricas nectit per notam conditionis, copulationis, disjunctionis, vel aliam his æquivalentem. quare tres sunt præcipuæ species Propositionis conjunctæ, Conditionalis nectens plures propositiones per particulam *si*, ut, *si sol est, dies est*. Copulativa nectens duas, pluresvè categoricas per particulam *&*, ut, *Sortes sedet, & Petrus currit*. Disjunctiva nectens categoricas per particulam *vel*, ut, *vel dies est, vel nox est*.

Exponibiles dicuntur propositiones in speciem simplices, re ipsa compositæ, quæque proindè exponendæ sunt per plures categoricas, cujusm. sunt Reduplicativæ, Exclusivæ, Exceptivæ, de quibus vide q. seq. c 3.

CAPUT IV.

De Proprietatibus Propositionum.

Oppositio est duarum propositionum eodem subiecto, & prædicato constantium repugnantia secundum qualitatem; ut *Petrus sedet, Petrus non sedet*. quatuor numerantur oppositionis rigorosæ conditiones. 1. ut cadant suprà eosdem omninò terminos. 2. pro eodem tempore & loco. 3. secundùm eandem suppositionem. 4. secundùm easdem modificationes utriuslibet extremi.

Oppositio contradictoria est inter propositiones eodem subiecto, & prædicato constantes repugnantia secundùm quantitatem, & qualitatem, ut est inter has, *Omnis homo currit, aliquis homo non currit*.

Contraria est inter propositiones universales qualitate differentes, ut, *omnis homo currit, nullus homo currit*;

Sub

Subcontraria est inter propositiones particulares qualitate differentes. ut, *aliquis homo ridet; aliquis homo non ridet*.

Subalterna est inter propositiones ejusdem qualitatis quantitate differentes, ut *omnis homo currit*, *aliquis homo currit*; & *nullus homo sedet*, *aliquis homo non sedet*;

Perindè ut propositiones de inesse opponuntur modales, si tantum in his notentur signa quantitatis. *Necessè* est nota universalis affirmativæ: *Impossibile* est nota universalis negativæ: *Possibile* particularis affirmativæ *Possibile non* particularis negativæ. *Contingens* non habet specialem locum, cum complectatur *possibile*, & *possibile non*. Hypotheticæ non opponuntur nisi contradictoriæ; differunt enim sola qualitate, non item quantitate, qua carent.

Conversio est commutatio extremorum propositionis, ita ut subiectum transeat in prædicatum, prædicatum in subiectum, servata qualitate, & veritate. Sic ista propositio, *Nullus homo est albus*, convertitur in hanc, *nullum album est homo*: ex quibus prima dicitur conversa, secunda convertens.

Conversio simplex, quæ & dicitur conversio in terminis, fit transmutando extrema, & retinendo eandem tum qualitatem, tum quantitatem propositionis. hoc pacto convertitur universalis negativa, & particularis affirmativa; ut illa, *nullus leo est lapis*, in hanc, *nullus lapis est leo*: & illa, *aliquod vivens est corpus*, in hanc, *aliquod corpus est vivens*.

Conversio per accidens, quæ & dicitur conversio in parte, fit commutando extrema, & servando qualitatem, non quantitatem eandem. Sic convertitur universalis tum affirmativa, tùm negativa; ut illa, *omne currens est mobile*, in hanc, *aliquod mobile est currens*: & illa, *nulla nix est calida*, in hanc, *aliquod calidum non est nix*.

Con-

Conversio per contrapositionem est commutatio extremorum, servata quantitate, & qualitate, sed mutatis terminis finitis in infinitos. Sic convertitur universalis affirmativa, & particularis negativa, ut illa, *omnis homo est vivens*, in hanc, *omne non vivens est non homo*; & illa, *aliquis paries non est albus*, in hanc, *aliquod non album non est non paries*: Hanc tamen conversionem & esse inutilem, & formaliter non concludere, q. sequ. cap. 6. ostendam.

Aequipollentia est, qua propositiones eodem subjecto, & prædicato constantes, una vel altera negatione differentes, æquivalent, h.e. eundem omninò sensum faciunt, adeoque mutuò se inferunt. Jam quamvis regulas omnes Logicas in sequentem quæstionem reservo, lubet tamen hic regulas æquipollentiæ afferre, quæ puræ puræ de voce sunt, & pertinent ad grammaticum potius, quam ad Logicum.

Prima est. Negatio præposita subjecto, ejusque signo facit propositionem æquivalentem suæ contradictoriæ: quare ista, *non omnis homo est albus*, æquivallet illi, *aliquis homo non est albus*: & ista, *nonnullus homo est albus*, illi, *aliquis homo est albus*.

Secunda. Negatio postposita subjecto facit propositionem æquivalentem suæ contrariæ. quare illa, *nullus homo non currit*, æquipollet huic, *omnis homo currit*; & illa *omnis homo non sedet*, huic, *nullus homo sedet*.

Tertia. Negatio præposita simul & postposita subjecto facit æquivalere subalternæ, quare illa, *non omnis homo non est sapiens*, æquivalet huic, *aliquis homo est sapiens* & illa, *nonnullus homo non est sapiens*, huic, *aliquis homo non est sapiens*. Has regulas, ut facilius teneantur, hoc carmine complexi sunt Dialectici.

Præ contradic. Post contra. Præ Postque subalter, h.e. negatio præposita facit æquivalere contra-

tradictoriæ, postposita contrariæ, præposita simul. & postposita subalternæ.

Eædem regulæ valent pro æquipollentia modalium, si præterea notetur, quod negatio in his dicitur præponi, dum afficit modum, ut, *non necesse est sortem ridere*, dicitur postponi, dum sequitur subjectum, dicti, ut *necesse est, sortem non ridere*.

CAPUT V.

De Consequentia, ejusque speciebus.

CONsequentia est fluxus unius veritatis ex alia; ut cum infero, *Petrus est homo, ergo Petrus est animal*. in qua illatione prima propositio dicitur antecedens, secunda consequens illatio autem hujus ab illa notatur per particulam *ergo*, quæ dicitur *nota rationis*.

Consequentia bona est, quæ servat leges bonæ consequentiæ q. sequ. late exponendas. Mala, quæ non servat, adeoque in qua consequens reverà ex antecedente non sequitur. quare mala consequentia reverà non est consequentia, sed est consequentia cum addito distrahente, ut homo pictus.

Consequentia formalis est, quæ concludit vi formæ, & per consequens quæcumque materia adhibeatur, semper eodem modo concludit. talis est ista; *Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo*. sic concludunt omnes modi triplicis figuræ syllogisticæ. Consequentia materialis est, quæ concludit solum vi materiæ, adeoque si sub eadem forma alia sit materia, non benè concluditur, hinc ista conversio, *Omnis homo est rationalis. ergò omne rationale est homo*, est bona propter materiam, quia prædicatum est convertibile: sed non tenet in simili, *omnis homo est animal, ergò omne animal est homo*.

Con-

Conſequentia neceſſaria eſt, cuius conſequens neceſſariò colligitur ex antecedente, ut, *Sortes eſt homo, ergo eſt animal*. Contingens, & probabilis eſt, cuius conſequens non neceſſario, ſed ut plurimum ſequitur antecedens, ut, *Berta eſt mater, ergo diligit filium*.

Conſequentia ſimplex eſt, quæ medio non utitur, ut conversio, æquipollentia, & ſim. Conſequentia utens medio dicitur argumentatio ab argumento, quod eſt ipſum medium; eſtque oratio, in qua ex argumento explicato, altera pars quæſtionis concluditur.

Huius quatuor ſunt ſpecies. Syllogiſmus eſt oratio, in qua, præmiſſa duplici veritate, tertiam neceſſe eſt ſequi vi formæ, & diſpoſitionis, qua duplex prior veritas præmittitur; ut, ex eo, quod *omnis homo ſit animal*, & *Petrus ſit homo*, ſequitur, *Petrum eſſe animal*.

Inductio eſt progreſſio à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad univerſale; ut *animal nutritur, & planta nutritur, ergo omne vivens nutritur*. Hinc apparet, inductionem reverà argumentationem non eſſe (quid enim mediet inter univerſale, & omnia ſingularia?) niſi reductivè, vel quatenus eſt inchoatio ſyllogiſmi, cuius primam propoſitionem univerſalem probat: vel quatenus eſt imitatio ſyllogiſmi; ut enim hic per medium, ſic inductio probat per tertium; nam probat de medio maiorem extremitatem per minorem.

Enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus, ac truncatus, in quo altera præmiſſa omittitur, ſed ſubintelligitur: ut ſi dicas, *ſortes eſt homo, ergo eſt animal*: ubi reticetur, & latet altera præmiſſa, *omnis homo eſt animal*. Ad enthymema pertinent etiam conſequentiæ ſimplices, prout hoc idem ſonat, ac conſequentiam conſtantem duplici propoſitione, antecedenti, & conſequenti.

Exemplum eſt, quo ex uno ſingulari ſimili

ad

ad aliud simile singulare arguitur ex paritate, aut identitate rationis, ut si quis ex eo, quod Romana resp. propter civicas discordias interiit, de alia hoc idem rep. futurum ominetur: ex quo fit, exemplum etiam reduci posse, & debere, ad syllogismum, in quo sit pro maiori ratio utrique communis:

Quatuor hæc genera argumentationum, ita se habent, ut duo prima ex toto probent partes v.g. laudabilem esse temperantiam, quia laudabilis est virtus: tertium ex partibus probat totum v.g. laudabilem esse virtutem, quia laudabilis est justitia, temperatia &c. quartum ex parte probat partem, v.g. laudabilem esse temperantiam, quia laudabilis est justitia.

Syllogismus porrò alius universalis, qui scil. utitur medio universali, ac distributo: alius singularis, seù expositorius, qui utitur medio discreto; ut, *Sortes est albus, hic homo est Sortes, ergo hic homo est albus*.

Syllogismus categoricus est, qui constat ex puris categoricis de inesse. Modalis est, qui vel ex duplici modali, vel ex altera modali, altera de inesse infert conclusionem modalem: Hypotheticus est, qui ex una propositione coniuncta, & ex altera, vel coniuncta, vel simplici, propositionem colligit, vel simplicem, vel conjunctam.

Syllogismus Apodicticus, seù Demonstrativus est, qui generat propriissimam scientiam, & procedit ex primis, & evidentibus. Topicus, seù Dialecticus, & Probabilis est, cujus medium non dicit cum extremis necessariam connexionem.

Demonstrativus alius probat à priori per causam; & dicitur *propter quid*: ut dum ex interpositione terræ probat Lunæ defectum. alius probat à posteriori per effectum, & dicitur *quia*: ut dum ex Luna deficiente probat terram interponi.

Syllo-

Syllogiſmus Pſeudographus mentitur Apodicticum; procedit enim ex iis, quæ apparent, & non ſunt evidentia, aut evidenter connexa; adeoque peccat contrà leges Demonſtrationis. Sophiſticus mentitur Dialecticum, & peccat, vel in materia, quia ſumit improbabilia vice probabilium: vel in forma, adeoque contrà leges ſyllogiſmi in genere.

CAPUT VI.

De partibus ſyllogiſmi.

Materia ſyllogiſmi remota ſunt termini, proxima propoſitiones. In omni ſyllogiſmo tres ſunt termini, & tres propoſitiones. cum enim omnis concluſio probanda duos terminos habeat: probatio autem in hoc ſtet, ut oſtendatur, prædicatum concluſionis verè ſubiecto ineſſe; aſſumitur argumentum, ſeù medium, cui ſi inſunt ſubiectum, & prædicatum concluſionis, neceſſe eſt, ut prædicatum ſubiecto concluſionis pariter inſit juxta principia ſequenti quæſtione declaranda. Opus ergo eſt, ut medium ſemel prædicato, iterum ſubiecto concluſionis, ut demum tertio loco inferatur concluſio. tres ergo ſunt ſyllogiſmi propoſitiones, & tres termini.

Ex his, qui concluſionem ingrediuntur, extrema, ſeù extremitates dicuntur: ſed quæ prædicatur in concluſione, maior; quæ in eadem ſubiicitur: minor extremitas nuncupatur; tertium, cui iſtæ in præmiſſis junguntur, medius terminus. Ex propoſitionibus prima, in qua eſt maior cum medio extremitas, propoſitio maior, & abſolutè maior: ſecunda, in qua eſt minor cum medio extremitas, propoſitio minor, & abſolutè minor: tertia concluſio appellatur.

Forma ſyllogiſmi eſt recta terminorùm diſpoſitio,

ſitio. Hæc verò duplex eſt, altera conſiſtens in terminorum habitudine ſecundùm prædicationem, & ſubiectionem; atque hæc Figura dicitur. altera, quæ eſt in propoſitionibus aliter, & alitèr ſecundùm qualitatem, quantitatemque diſpoſitis; & dicitur Modus.

Figura eſt triplex pro triplici diſpoſitione utili medii termini, & extremorum. Prima eſt, in qua medium primò ſubiicitur extremitati maiori, tum prædicatur de minori. Secunda eſt, in qua medium prædicatur de utraque. Tertia, in qua utrique ſubiicitur. Ex. primæ. *Omne animal eſt vivens: omnis equus eſt animal: ergò omnis equus eſt vivens*. Ex. ſecundæ. *Omnis lapis eſt corpus, nullus Angelus eſt corpus, ergò nullus Angelus eſt lapis*. Ex. tertiæ. *Omnis homo eſt riſivus: Omnis homo eſt ſubſtantia: ergò aliqua ſubſtantia eſt riſiva*. Hanc figurarum diverſitatem complectitur tritum illud apud Summuliſtas carmen,

Sub præ prima: ſecunda eſt bis præ: tertia bis ſub.

Modus eſt, ut dixi, diſpoſitio varia propoſitionum in qualibet figura ſecundum aliam qualitatem, & quantitatem. quare quod una ſyllogiſmi propoſitio ſit univerſalis, alia particularis, una affirmativa, alia negativa, ad modum ſyllogiſmi pertinet. Eſt & alia varietas in modis ſecundùm concluſionem directam, vel indirectam. Dicitur directa concluſio, cum maior extremitas, ſeù extremitas, quæ eſt in propoſitione prima, ſeù maiori, in concluſione prædicatur: & minor extremitas, ſeù extremitas, quæ eſt in propoſitione ſecunda, ſeù minori, in concluſione ſubiicitur, ut habes in datis tribus exemplis. Dicitur indirecta, cum è contrario maior extremitas dicta ſubiicitur, & minor prędicatur, ut vides in hoc exemplo: *Omne animal eſt vivens; nulla planta eſt animal: ergo aliquod vivens non eſt planta*.

Modi

Modi figurarum numerantur omninò decem, & novem. ex his novem primi pertinent ad primam figuram, sed ità, ut primi quatuor concludant directè, quinque reliqui indirectè, quatuor alii, qui sequuntur, ad secundam: sex postremi ad tertiam. Omnes modi his carminibus à Dialecticis significantur.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo. Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

His scilicet undeviginti vocibus notantur totidem modi concludendi; quos ut intelligas, adverte duo. 1. attendas in his solas tres primas vocales (si sint aliæ, ponuntur solum metri causa) ità ut prima vocalis significet primam syllogismi propositionem, secunda secundam, tertia tertiam. 2. per eas vocales significari qualitatem, & quantitatem propositionum hoc ordine. A notat universalem affirmativam: E universalem negativam: I particularem affirmativam: O particularem negativam, juxtà ea Summulistica carmina.

Asserit A, negat E: sunt universaliter ambo.
Asserit I, negat O: sunt particulariter ambo.

Exempla pro singulis figuris singula subiicio, sed bina pro prima, alterum pro indirecta conclusione.

Pro prima figura.

Bar. Omnis vitiositas est vitanda.
Ba. Omnis iniustitia est vitiositas.
ra. Ergo omnis injustitia est vitanda.
Fri. Aliquod animal est vivens.
se Nulla planta est animal.
som. Ergo aliquod vivens non est planta.

Pro

Pro secunda figura.

Ce Nullum vitium est laudabile.
sa Omnis virtus est laudabilis.
re Ergo nulla virtus est vitium.

Pro tertia figura.

Da Omne animal est sensitivum:
rap Omne animal est corpus.
si Ergo aliquod corpus est sensitivum.

CAPUT VII.

De modo perfecto, & imperfecto; deque reductione imperfecti ad perfectum.

Modus concludendi per syllogismum perfectus is est, in quo ità præmissæ disponuntur, ut bonitas consequentiæ manifesta cuique primo intuitu fiat. Imperfectus is est, qui licet rectè concludat, non tamen ita clarè, ac manifestè, ideoque opus habet, ut ad perfectum reducatur. Primi generis sunt primi dumtaxat primæ figuræ modi, immediatè regulati per *dici de omni*, & *dici de nullo*: reliqui sunt imperfecti, & ad illos reducendi.

Huiusmodi reductio dupliciter fit, tum ostensivè, tum deducendo ad impossibile. Reductio ostensiva est, qua syllogismus imperfectus ita immutatur, & construitur, ut perfectus evadat. in qua commutatione illud servandum primò, ut imperfecti ad eos tantum reducantur, perfectos, qui litera eadem incipiunt; ut qui primam habet B, ad *Barbara*: qui C, ad *Celarent* &c. 2. recolenda est duplex conversio, simplex, & per accidens: quibus adde aliam huius loci propriam per transpositionem præmis-

missarum, ut quæ major fuerat, fiat minor, & contrà. 3. Est in ipsis modis nota, qua dignoscatur, quæ præmissæ sint transponendæ, quæ simpliciter, quæ per accidens convertendæ. nam S indicat simplicem conversionem: P conversionem per accidens: M transpositionem præmissarum. quare si post primam vocalem sit litera S, prima præmissa convertenda est simpliciter: si P, convertenda per accidens. Si literæ istæ sint post secundam vocalem, indicant proportione conversionem secundæ præmissæ; si post tertiam, tertiæ. Litera M ubicumque sit, ostendit præmissas transponendas.

Sit primum exemplum in reductione modi indirecti ad directum in prima figura. Fiat ergo hic syllogismus in

Fris Aliqua gemma est lapis.
es Nullus homo est gemma,
om. Ergo aliquis lapis non est homo.

indiget primò transpositis præmissis propter M, quod tertiam vocalem sequitur: major, & minor convertendæ simpliciter propter S, quo utraque afficitur. quod ubi præstiteris, habebis hunc syllogismum in

Fe Nulla gemma est homo:
ri Aliquis lapis est gemma:
o. Ergo aliquis lapis non est homo

Sit alterum exemplum in reductione modi imperfecti secundæ figuræ ad perfectum primæ. Fiat hic syllogismus in

Cam Omnis leo est rugibilis.
es Nullus homo est rugibilis.
tres ergo Nullus homo est leo.

jam opus est, ut reducatur ad *Celarent* transpositione præmissarum; quod notat M primæ vocali succedens. Minor & conclusio convertendas simpliciter notat S, quo utraque signatur; hoc pacto habebis syllogismum in

Ce Nullum rugibile est homo

la Omnis leo est rugibilis;
rent ergo Nullus leo est homo.

Sit tertium exemplum in reductione tertiæ figuræ. si enim vis reducere hunc syllogismum in

Dis Aliquis homo est discursivus
am Omnis homo est risibilis;
is ergo aliquid risibile est discursivum;

primam, & tertiam propositionem converte simpliciter, & transpone præmissas. tum syllogismus erit in

Da Omnis homo est risibilis
ri. Aliquod discursivum est homo;
i ergo Aliquod discursivum est risibile.

Licet autem in secundo, & tertio exemplo non videatur inferri conclusio modi imperfecti, ex hac tamen, quæ infertur, infertur illa per simplicem conversionem, ex quo Philosophus conversionem appellat principium syllogismi perfectivum.

Reductio per impossibile fit, assumendo contradictoriam conclusionis negatæ, & alteram præmissam ab adversario concessam: tum in forma syllogismi perfecti deducendo contradictoriam, vel contrariam alterius præmissæ jam concessæ. cum enim vi hujus reductionis ostendenda sit vis, quam habet in concludendo imperfectus syllogismus (hæc autem vis tota est in eo, ut non possint esse veræ præmissæ, quin sit vera conclusio) jam si adversarius, concessis præmissis, neget conclusionem, assumitur illico ut vera, ex lege prima oppositionis, ejus contradictoria; tum ex hac simul cum præmissa concessa deducitur in modo perfecto contradictoria, vel contraria alterius præmissæ concessæ quod est cogere adversarium, ut duas contrarias vel contradictorias simul esse veras affirmet, & hoc est reduci ad impossibile.

Hujusm. reductio notatur per literam C reper-

pertam in mediis dictionibus indicantibus modos, qualis non est, nisi in *Brocardo*, & *Baroco*. non quod isti dumtaxat modi sic reducantur, sed quod isti non aliter reducantur. Sit ergo syllogismus in

Bro Aliqua planta non est sensitiva
car Omnis planta est substantia;
do ergo aliqua substantia non est sensitiva.

hunc ita ex dictis reduces in

Bar Omnis substantia est sensitiva
ba Omnis planta est substantia;
ra ergo Omnis planta est sensitiva:

Ut autem commodius teneantur, quæ literæ quarum conversionum, aut transpositionis, vel reductionis per impossibile sint signa, hæc construxere carmina Dialectici.

Simpliciter verti vult S. P. verò per acci:
M vult transponi C per impossibile duci.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Regulis Logicis.

IN præsenti quæcumque sunt alicujus utilitatis Dialectica præcepta, mens est in unum congesta, quoad fieri potest, breviter, ac dilucidè exponere. Veteres Summulistæ fusissimi in hac re sunt: Recentes plerumque nimis parci. Media mihi via incedendum. claritati studebo præcipuè, quatenus res ipsa patietur. Sed ut procedam distinctius, Regulas Logicas in duplici genere constituo: aliæ .n. sunt, quæ ad voces spectant; quarum explicant potestatem: aliæ, quæ pertinent ad res, & continent generalia principia, quibus consequentiæ nituntur. Primi generis regulæ rationem aliam non habent, quàm usum, & authoritatem, adeoque satis erit illas in medium exhibere. Secundi generis regu-

læ quædam probari non possunt, cum sint principia prima, & dignitates: quædam probari possunt; atque has ex prioribus demonstrabo.

CAPUT I.

Regula suppositionum.

1. REgula. Vox non significativa supponit tantùm materialiter; est enim incapax alterius suppositionis. Vox autem significativa tunc supponit materialiter, quando illi apponitur terminus secundæ impositionis, qui ita significat subjectum, pro eoque supponit, ut non stet pro re per subjectum significata, ut in hac, *homo est nomen*: in qua suppositione terminus verificatur de termino, & pro termino, ut veteres loquuntur; cùm in simplici, & personali, quæ sunt formales suppositiones, terminus de termino, non autem pro termino, sed pro termini significato verificetur.

2 Reg. terminus communis notatus signo universali, *Omnis, nullus*, &c. aut particulari, *aliquis, ullus*, &c. semper supponit personaliter. Ratio est: quia ejus. signa faciunt descendere descensu copulativo, vel disiunctivo juxtà suã cujusque naturam, seù impositionem descensus autem non cõtingit, nisi in suppositione personali.

3 Reg. In nulla propositione affirmativa prædicatum stare potest distributivè; evaderet enim propositio falsa. sic in ista; *omnis homo est rationalis*, si prædicatum disttibueretur, fieret sensus, quod singuli homines essent omne rationale; quod est falsum. ex quo ista propositio, *omnis homo est omnis homo*, quæ videtur identica, re ipsa est falsa; quia prædicatum cum tota sua distributione, ac latitudine tribuitur singulis subjecti partibus. Excipe propositionem in qua prædicatum est singulare; cum n. *Petrus* v.g. aut *Deus*, sit omnis Petrus, & omnis

omnis Deus, unus ipse si prædicatur, prædicatur omnis ipse.

4 Reg. Terminus secundæ intentionis non supponit simpliciter, sed personaliter. Ratio est, quia est natus descendere vel copulativè, vel disiunctivè; quare supponit distributivè, vel confusè; quæ sunt species suppositionis non simplicis, sed personalis; ut videre est in hac, *Homo est species*, in qua *species* stat confusè: & in hac; *omnis species est universalis*, in qua *species* stat distributivè.

5 Reg. Terminus primæ intentionis supponit simpliciter, cum illi adiicitur terminus intentionis secundæ, ut in istis, *homo est species, animal est genus*. Hinc est, ut non rectè suppositio simplex definiatur illa, in qua terminus accipitur pro re secundùm esse, quod habet non in se, sed in mente (hoc enim habent termini secundæ intentionis, qui tamen supponunt personaliter, ut patet per tertiam) sed in qua terminus natus significare rem, ut est extra, traducitur, ac veluti alienatur ad supponendum pro re, ut est intrà animam, adeoque ad supponendum pro re secundum esse per terminum formaliter vi suæ primariæ institutionis non significatum.

Hujus regulæ est exceptio, cum ratione signi additi impeditur terminus à simplici suppositione, quam cæteroqui acciperet à prædicato: ut videre est in his; *Omnis homo est singularis, nullus homo est species*: in quibus subjecta à signo universali accipiunt suppositionem personalem distributivam.

6 Reg. Signum universale affirmativum *Omnis, quilibet* &c. facit supponere distributive subjectum, quod afficit immediatè, prædicatum confusè. Sic in ista, *Omnis homo est animal*, *homo* stat distributivè, *animal* confusè. Hujus regulæ est una extensio, & una exceptio pro obliquis. Extensio est: Rectum distributum di-

ſtribuit etiam obliquum à ſe dependens, ut in iſta, *Quilibet equus hominis currit*; eſt enim hic ſenſus, *Quilibet equus cujuslibet hominis currit*. Exceptio eſt: obliquum diſtributum non diſtribuit ſuum rectum, ut in his, *Cujuslibet hominis equus currit*, *videns omne album eſt muſicus*; *equus* enim in prima, & *videns* in ſecunda ſupponit tantum confusè.

7 Reg. Negatio non infinitans, ſed negans, quæ ſcil. facit propoſitionem negativam, non terminum infinitum, facit ſupponere diſtributivè omnem terminum, quem afficit ſivè immediatè, ſive mediatè poſt ſe: ut in iſta, *Nullus homo eſt lapis*, in qua diſtribuitur tum *homo*, tum *lapis*. ſimiliter in iſta, *quidam homo non eſt lapis*, prædicatum, quod unum negatione afficitur, diſtribuitur, Ratio eſt natura, ſeu veriùs inſtitutio negationis, quæ propterea dicitur eſſe malignantis naturæ; quia interimit, quidquid poſt ſe reperit.

Habes hinc 1. omne verbum adiectivum faciens propoſitionem æquivalenter negativam diſtribuere omnem terminum poſt ſe, ut in hac, *ego careo pecunia*, in qua diſtribuitur tum rectum, tum obliquum prædicati: & in hac, *Homo differt à leone*, in qua leo ſtat diſtributivè, cum æquivaleat huic, *Homo non eſt leo*.

Habes 2. quod in iſta, *Equus nullius hominis currit*, neuter terminus diſtribuitur; quia negatio ſolum afficit obliquum, illudque infinitat. at in iſta; *Nullius hominis equus currit*, negatio præcedens facit propoſitionem negativam, adeoque diſtribuit & obliquum, & recta, ſed ſubjectum diſtribuit reſtrictè ad equos hominum. Ratio eſt uſus. quare non eſt attendenda materialis præcedentia negationis; nam in iſta, *non homo currit*, non contingit idem, cum neque propoſitio ſit negativa, ſed affirmativa de ſubjecto infinito: & quamvis homo ſtet diſtributivè, ſi tamen ſumatur per modum unius cum

nega-

negatione non stat distributivè, sed confusè, ut & stat prædicatum.

8 Reg. Verba indigendi, exigendi, aliaque vel categoremata, vel syncategoremata necessitatem importantia faciunt supponere terminum indigentiæ, exigentiæ, necessitatis confusè strictè, quæ dicitur apud Veteres suppositio confusa immobilis, sub qua non licet descendere disiunctivè, sed disiunctè, non per hypotheticam disiunctivam, sed categoricam de disiuncto extremo. sic supponit rectum subjecti in hac, *alter oculus est necessarius ad videndum*, & obliquum prædicati in his, *aliqua navi indigeo ad navigandum*, *aliquam formam exigit materia*, *ut naturaliter sit*. Ratio hujus regulæ est natura exigentiæ respicientis plures terminos, à quibus singulis est æqualiter explebilis, adeoque nullum respiciens determinatè; si enim A determinatè respiceretur, B non esset æquè natum exigentiam eandem explere, ut constat consideranti.

9 Reg. Nomen comparativum, & superlativum facit supponere terminum compositionis, & excellentiæ distributivè. talis est suppositio in his, *Cicaro est eloquentior Græcis*, *Aristoteles est Grecorum doctissimus*. sit enim sensus omnem Græcum esse minus eloquentem Cicerone omnem minus doctum Aristotele. Idem judicium esto de verbis, & syncategorematis comparationem, aut excellentiam importantibus; sed notandum, quod in his unus dictus terminus distribuitur; ablativus autem si quis additur importans mensuram, aut qualitatem excessus, stat confusè, ut in his *homo equum superat perfectione*, *Sortes Cajo major est longitudine*; non enim est sensus de omni, sed de aliqua perfectione, nec de omni, sed de aliqua longitudine.

10 Reg. Dictio exclusiva facit supponere confusè terminum, quem afficit immediatè:

quem mediatè, distributivè. sic in ista, *tantum homo est grammaticus*, *homo*, stat pro aliquo, *Grammaticus* pro omni. non tamen facit hunc supponere distributivè in hac ipsa propositione, nisi solum æquivalenter, & in conversa, quatenus scil. trahit hanc, omnis grammaticus est homo. Cæterum in nulla affirmativa prædicatum stare actu distributivè dictum est in tertia.

11. Reg. Dictio exceptiva confundit terminum à se affectum. quare in his, *Omne animal præter hominem currit*, *nullum animal præter hominem currit*, *homo* non distribuitur, sed confunditur. quare ad veritatem primæ satis est, si aliquis homo non currat: ad veritatem secundæ opus est, ut aliquis homo currat. Ita Occam; quamquam Venetus repugnet, putans talem terminum stare distributivè. Sed mihi ex communi usu Occami opinio videtur verior.

12 Reg. Dictio reduplicativa dum reduplicat terminum à subjecto distinctum, tum terminum reduplicatum, tum prædicatum facit supponere confusè, ut in ista, *Petrus in quantum homo est animal*. sed si reduplicetur subjectum ipsum, stabit distributivè, prædicatum verò confusè: ut in ista, *homo in quantum homo est discursivus*. Ratio patebit infrà c.3.

APPENDIX.

De Suppositionibus Relativorum.

Relativum aliud Logicum, seù Metaphysicum, cujus esse est ad aliud se habere: aliud Grammaticum, quod est antedictæ rei repræsentativum; ut, *qui*, *quantus*, *qualis*, *hic*, *ille*, *alius*, *&c.* Primi generis relativum item supponit, ut reliqua nomina, de relativo secundi generis sit

1 Re-

1 Regula: Relativum identitatis ſubſtantiæ non poſſeſſivum, *qui, ille* &c. ſupponit pro eôdem, pro quo ſuum antecedens, ut, *Sortes, qui currit, movetur*.

2 Reg. Relativum ſubſtantiæ, ſi ſit diverſitatis, aut poſſeſſivum, non ſupponit pro eodem, pro quo antecedens. ex. primi: *Duarum contradictoriarum una eſt vera, & altera falſa*. ex ſecundi. *ego ſe deo, & meus equus currit*; ubi ly *meus* quamvis me ſignificat in obliquo, non pro me ſupponit, ſed pro equo, quem importat in recto.

3 Reg. Relativum accidentis ſivè identitatis ſit, ſive diverſitatis, ſemper ſupponit prò alio à ſuo antecedente. ex. 1. *Socrates eſt doctus, qualis eſt Plato*. ex. ſecundi *cycnus eſt albus, & alius modi eſt corvus*.

4 Reg. Relativum identitatis ſubſtantiæ ſupponit eodem modo, ac ſuum antecedens, dum eſt in eadem categorica cum illo: ut in hac, *Omnis homo, qui currit, movetur*, relativum ſupponit diſtributivè: & in hac, *Omnis homo eſt animal, quod eſt rationale*. relativum ſupponit confusè: & in hac, *Sortes, qui ambulat, legit*, relativum ſupponit diſcretè. Adverte tamen, quod ſuppoſitio diſtributiva in caſu ſemper eſt reſtricta per additum. quare ſubjectum *omnis homo, qui currit*, non ſtato pro omni homine, ſed pro omni homine currente.

Duplex eſt hujus regulæ exceptio. prima pro relativo identitatis reciproco, quod, antecedente ſupponente diſtributivè, diſtribuitur & ipſum, ſed ſolùm accommodè, referendo ſcil. ſingula ſingulis. ſic eſt in iſta, *omnis homo amat ſe*; quæ non ſic reſolvitur, *omnis homo amat omnem hominem*, ſed ſic, *hic homo amat ſe*, & *ille amat ſe* &c. ſecunda pro reciproco poſſeſſivo, dum illi apponitur ſignum, quo ad aliam ſuppoſitionem traducatur, ut in his, *Sortes diligit*

aliquem suum filium: aliquis homo vendit omnem suum agrum; in quarum prima antecedens supponit discretè, possessivum confusè: in secunda antecedens confusè, possessivum distributivè.

Hinc habes 1, signum universale affirmativum distribuere quandoque terminum remotiorem, confundere viciniorem, ut in ista, *omnis homo est videns se*, in qua ly *se* vi signi universalis prævii stat distributivè accommodè, ly *videns* stat confusè.

Habes 2. non tenere istam consequentiam, *tantùm Sortes videt se, ergo omne videns se est Sortes*, sicuti tenet hæc alia, *tantum homo est grammaticus, ergo omnis grammaticus est homo*, vi nonæ regulæ superius positæ. Ratio est, quia ly *se* ex hac regula in antecedente supponit discretè, in consequente distributivè.

5 Reg. Relativum identitatis substantiæ in hypotetica copulativa supponit determinatè pro suo antecedente restricto ad alterum extremum: secus in disjunctiva. ex. primi. *aliquis homo est animal, & ipsum est rationale*, ubi *ipsum* stat pro animali non quocumque, sed quod est homo. similiter in ista, *aliquis homo est latro, & tu es ille*, non significatur præcisè, quod es homo, sed homo latro. ex quo ista est falsa, *aliquis homo est animal, & asinus est illud*; quia est sensus, quod asinus sit animal homo. Est etiam falsa hæc alia, quæ videtur vera, *omnis homo est animal, & istud est rationale*; quia est hic sensus, *aliquod animal, quod est omnis homo, est rationale*: nullum autem est animal, quod sit omnis homo. ex. secundi in disjunctiva, *Petrus est albus, vel ipse non est albus*, in qua relativum *ipse* non stat pro Petro albo, sed præcisè pro Petro.

6 Reg. Relativum identitatis demonstrativum natum est tollere à suo antecedente propriè dictam confusionem; adeoque antece-

dente

dente supponente confusè strictè, ejusm. relativum illi additum in copulativa reddit propositionem falsam, ut videre est in hac, *aliquo oculo indigeo ad videndum, & ille est hebes.*

7 Reg. Relativum accidentis, sivè identitatis sit, sivè diversitatis non supponit semper eodem modo, ut antecedens, ut, *aliquis homo est albus, & nullus corvus est talis*: ubi antecedens stat confusè, relativum distributivè. Pro quo nulla potest dari certa hujus loci regula.

Ultimam regulam statuit Venetus, Relativum supponere scil. semper, ut antecedens, secundùm generales supponendi modos, materialiter nim. aut formaliter. Sed hanc non puto veram; quoties enim relativum refertur ad suum antecedens, sivè hoc materialiter, sivè formaliter supponat, semper exercet id, quod habet ab institutione, adeoque non supponit materialiter, sed formaliter, etiam antecedente materialiter supponente, ut in ista, *homo est nomen, & illud est dissyllabum*, ubi ly *illud* stat pro nomine, perinde ut nomen pro re, adeoque significativè.

CAPUT II.

Regula Ampliationum, & Appellationum.

PRæmitto 1. quod ampliatio est species suppositionis non pro significato termini, seù materiali, seù formali, sed pro tempore consignificato per copulam; est enim ampliatio, ut supra dixi, cum terminus stat pro re ultrà temporis differentiam importatam à verbo.

Præmitto 2. quod appellatio ipsa etiam est suppositio, restricta tamen à verbo, aut à forma, aut à ratione termini ini. ex: 1. *iustus erit peccator*, in qua prædicatum re-

...iam, quod sit o
...iva, præter quan
ri à D. Th. l. cit.
Aureolo quodl. 1
ipso vocabulo prac
quam causalitatem
quæ speculativo no
alia assignabilis,
Accedit, quod Au
carent vim artis op
per exemplar expo
veræ vitæ ait, quo
cogitat, jàm domu
modum manus ex
exemplar. Idem fu
com. 23. exemplific
scientia practica co
que inter alia, qu
dit fieri, & domum
eam quæ habet mat
ædificandi est forma
tis, & domus.

Ex data, confi
notitiæ nonnulla
bia resolvemus, c
veri circà ipsam.
tiæ practicæ non r
ciativa, multò m
ptivè, & per ger
est conficiendus,
est cont. Greg. q. 5.
simplex apprehe
tè, sed etiam ut o
modum, & quali
tionem operativi
exemplaris, ad q
tur, ergò habet r
quod sequatur ju
tione vis directiv
quod non oporte

[illegible] ut appellet solum supra tempo [illegible] atque hæc dicitur *appellatio tempo* [illegible] Ex. 2. *Sortes est bonus musicus*, ubi ly [illegible] supra formale prædicati, & [illegible] coarctatur. atque hæc dicitur *ap*[illegible] *formæ*. Ex. 3 *intelligo chimæram*, ubi [illegible] chimæram appellat propriam ipsius ra[illegible] [illegible] sensus, quod intelligo chimæ[illegible] [illegible] explicata ratione chimæræ. atque hæc [illegible] *appellatio rationis.*

[illegible] pro ampliatione 1. Regul. Termi[illegible] præcedens verbum de præterito, ejusvè [illegible], ampliatur ad supponendum pro [illegible] quod est, vel fuit, modò prædicatum non [illegible] aut distrahens subiectum. sic in [illegible] *fuit ægrum*, *homo est mortuus*, sub[illegible] pro eo, quod est, vel fuit.

[illegible] terminus nullo addito diminuente, [illegible] præcedensque verbum [illegible] ejusvè participium, ampliatur ad [illegible] pro eo, quod est, vel erit, ex p. in [illegible] *Sortes erit puniendus.*

[illegible] prædicatum sit diminuens, aut di[illegible] subjecti, subjectum à verbis [illegible] & futuro ampliatur copulatè, in[illegible] ipsam diminuentem, [illegible] sic in istis, *Plato erit cogni*[illegible] *fuit pictus*, Plato non stat pro [illegible] sed pro eo, qui est, vel [illegible] Antichristus pro eò, [illegible]

[illegible] præcedens verba *contingit*, [illegible] æquivalentia, ampliatur ad [illegible] pro eo, quod est, vel contin[illegible] esse; & similiter ampliantur [illegible] ampliatione nim. co[illegible] contingentiam, aut po[illegible] *album contingit esse* [illegible] termini [illegible] esse, vel [illegible]

Idem proportionaliter dic de verbis
& desinit,
Verba intelligendi, & reliqua deno-
um animæ faciunt stare terminum am-
pro eo, quod est, vel potest esse, vel
nosci. quarè in hac, *rosam intelligo*,
r rosa, quæ est, vel potest esse, vel
elligi, quamvis esse non possit.
constat, numquam valere consequen-
rtio adiacente, quod sit participium
um ad secundum adiacens. quare non
dam est mortuus, ergo est. Antichristus
, ergo est. Constat præterea nec valere
versionem, *Antichristus est futurus*,
id futurum est Antichristus; tum quia
dente *Antichristus* ampliatur, secus
quente, in quo sequitur verbum;
futurum in consequente est nomen,
dente participium. deberet ergo sic
ergo aliquod futurum est, vel erit An
.
pellatione sit 1. Regula. Omnis ter-
ivè præcedens, sivè sequens verbum
nti non ampliatum appellat solùm
æsens, nec supponit, nisi pro existen-
his, *Sortes currit, homo est animal*.
. terminus sequens verbum de præteri-
uturo appellat solum tempus præteri-
l futurum. quare in his, *Plato fuit sa-*
rtes erit sapiens, *sapiens* in prima stat
ente, qui fuit; in secunda pro sapien-
erit.
. Adjectivum adjunctum termino prin-
opositionis appellat suprà formale ejus-
d illudque restringitur ex. g. *Plato est*
philosophus: ubi adjunctum *egregius* ap-
rmale prædicati, scientiam scilicet
hiæ, de qua pronunciatur, quod sit
ne egregia. ex quo inferre non licet,
ato ipse sit egregius; argueretur enim
à ter-

ſtringitur, ut appellet ſolùm ſupra tempu- futurum. atque hæc dicitur *appellatio tempo ris*. Ex. 2. *Sortes eſt bonus muſicus*, ubi ly *bonus* appellat ſupra formale prædicati, & ad illud reſtringitur. atque hæc dicitur *appellatio forma*. Ex. 3. *intelligo chimaram*, ubi nomen *chimaram* appellat propriam ipſius rationem; & fit ſenſus, quod intelligo chimæram ſub explicata ratione chimæræ. atque hæc dicitur *appellatio rationis*.

Sit nunc pro ampliatione 1. Regul. Terminus præcedens verbum de præterito, ejuſvè participium, ampliatur ad ſupponendum pro eo, quod eſt, vel fuit, modò prædicatum non ſit diminuens, aut diſtrahens ſubiectum. ſic in iſtis, *album fuit nigrum*, *homo eſt mortuus*, ſubjectum ſtat pro eo, quod eſt, vel fuit.

2 Reg. terminus nullo addito diminuente, aut diſtrahente affectus, præcedenſque verbum de futuro, ejuſvè participium, ampliatur ad ſupponendum pró eo, quod eſt, vel erit, ex. p. in iſtis, *juſtus erit peccator*, *Sortes erit puniendus*.

3 Reg. ſi prædicatum ſit diminuens, aut diſtrahens rationem ſubjecti, ſubjectum à verbis de præterito, & futuro ampliatur copulatè, involuendo ſcil. rationem ipſam diminuentem, aut diſtrahentem. ſic in iſtis, *Plato erit cognitus*, *Antichriſtus fuit pictus*, Plato non ſtat pro eo, qui eſt, vel erit, ſed pro eo, qui eſt, vel erit cognitus, & ſimiliter Antichriſtus pro eò, qui eſt vel fuit pictus.

4 Reg. terminus præcedens verba *contingit*, & *poteſt*, aut his æquivalentia, ampliatur ad ſupponendum pro eo, quod eſt, vel contingit, vel poteſt eſſe; & ſimiliter ampliantur termini, qui ſequuntur ampliatione nim. copulata, involvente contingentiam, aut potentiam. quare in his, *album contingit eſſe nigrum*, *calidum poteſt eſſe frigidum*, termini ſumuntur pro iis, quæ contingit eſſe, vel poſſunt

eſſe

esse talia. Idem proportionaliter dic de verbis *incipit, & desinit,*

5 Reg. Verba intelligendi, & reliqua denotantia actum animæ faciunt stare terminum ampliativè pro eo, quod est, vel potest esse, vel potest cognosci. quarè in hac, *rosam intelligo,* denotatur rosa, quæ est, vel potest esse, vel solum intelligi, quamvis esse non possit.

Ex his constat, numquam valere consequentiam à tertio adiacente, quod sit participium ampliativum ad secundum adiacens. quare non valet, *Adam est mortuus, ergo est. Antichristus est futurus, ergo est.* Constat præterea nec valere istam conversionem, *Antichristus est futurus, ergo aliquid futurum est Antichristus;* tum quia in antecedente *Antichristus* ampliatur, secus in consequente, in quo sequitur verbum; tum quia futurum in consequente est nomen, in antecedente participium. deberet ergo sic converti, *ergo aliquod futurum est, vel erit Antichristus.*

Pro appellatione sit 1. Regula. Omnis terminus, sivè præcedens, sivè sequens verbum de præsenti non ampliatum appellat solùm tempus præsens, nec supponit, nisi pro existente: ut in his, *Sortes currit, homo est animal.*

2 Reg. terminus sequens verbum de præterito, vel futuro appellat solum tempus præteritum, vel futurum. quare in his, *Plato fuit sapiens, Sortes erit sapiens, sapiens* in prima stat pro sapiente, qui fuit; in secunda pro sapiente, qui erit.

3 Reg. Adjectivum adjunctum termino principali propositionis appellat suprà formale ejusdem, ad illudque restringitur ex. g. *Plato est egregius philosophus:* ubi adjunctum *egregius* appellat formale prædicati, scientiam scilicet philosophiæ, de qua pronunciatur, quod sit in Platone egregia. ex quo inferre non licet, quod Plato ipse sit egregius; argueretur enim

à ter-

à termino per appellationem restricto ad eundem ampliatum.

4 Reg. terminus sequens verbum, quod concernit actum mentis, appellat ejus rationem formalem, ac proprium vocis significatum: non sic, si præcedat, hinc est celebre discrimen inter eas propositiones, *cognosco hominem*, & *hominem cognosco*. in prima enim est sensus, quod homo cognoscitur sub propria hominis ratione, & ab omni non homine discretus. secundæ veritas stat cum eo, quod homo sit cognitus sub ratione communi viventis, aut animalis.

Hanc regulam extendunt alii, præsertim Nominales ad omnia denominativa relatè ad verbum substantivum. hinc illæ, *Pater est, sed non est Pater*: *creans est Deus, sed non est creans Deus*; quarum est sensus, quod materiale denominatum, aut denominandum *Pater*, *aut creans* est, sed actu non denominatur Pater, aut creans.

CAPUT III.

Regula Exponibilium.

Exponibilis est propositio in speciem simplex, re composita, adeoque explicanda per duas, aut plures categoricas componentes. Hinc in omnibus exponibilibus illa est universalis Regula, ut teneat consequentia ab Exponibili ad suas Exponentes tum conjunctim, tum seorsim. Ratio est, quia exponibilis est æquivalenter copulativa, ad cujus veritatem requiritur, veritas cujusvis copulatæ. Aliqua est hujus regulæ exceptio mox notanda.

DE REDUPLICATIVIS.

Reduplicativa constat aliqua dictione reduplicante, *ut*, *quatenus*, *in quantum* &c. Alia est propria, in qua dictio stat reduplicati.

cativè, & habetur, cum subjectum non alienatur. Alia impropria, in qua dictio stat specificativè, dum scil. subjectum alienat, & dat termino speciale significatum, in quo propositio sit vera, quæ cæteroqui esset falsa ex. g. *Omne ens creatum, in quantum est in Deo. est Deus* ubi ly *in quantum* distrahit à propria significatione subjectum, & facit illud stare pro potentia, vel idea divina, in qua creata omnia sunt eminenter. Ex hac impropria reduplicativa constat non tenere consequentiam ad præjacentem; argueretur enim à termino improprio, & restricto ad proprium; & alienatum. Loquendo jam de reduplicativis propriis.

Notandum 1. quatuor in iis esse consideranda. v. g. in ista propositione, *homo in quantum animal; est sensibile*, est subiectum principale, *homo*; prædicatum principale, *sensibile*: terminus reduplicatus, *animal*; dictio reduplicans, *in quantum*. Non nego, quandoque subiectum ipsum principale reduplicari, ut in hac, *homo in quantum homo est risivus*; hæc tamen non est formalis reduplicativa; nisi reducatur ad priorem, investiendo in subiecto rationem formaliter reduplicatam, ob quam illi convenit prædicatum.

Notandum 2. reduplicativam duo posse denotare, vel consequentiam formalem, vel causam. ex. 1. *homo in quantum animal est vivens*, qua solum significatur, quod ab animali ad vivens sit formalis consequentia. Cæterum animal non est causa, cur homo sit vivens; imò potius vivens, quod est pars animalis, adeoque animali prius, causa est, cur homo sit animal. Ex 2. *homo in quantum rationalis est risibilis*, qua significatur, quod rationale sit causa risibilis, atque hæc est magis propria, magisque scientificà reduplicativa.

Sit jam 1. Regula. Propositio strictè reduplicativa habet duas exponentes, in quarum altera

præ-

prædicatum principale dicitur de subiecto principali; in altera de termino reduplicato dicitur, quod sit ratio utrumque nectens. quamvis autem ab aliis 4. exponentes reduplicativæ assignentur, in datis tamen duabus 4. illæ includuntur, ut patebit consideranti.

2 Reg. Dictio reduplicans significat immediationem prædicati principialis relatè ad terminum reduplicatum, sed mediationem ejusdem relatè ad principale subiectum. Sic in exemplo primi notandi *sensibile* dicitur immediatè de *animali*, & hoc medio, de *homine*.

3. Reg. tam prædicatum principale, quam terminus reduplicatus dicuntur de subiecto principali in suppositione confusa: ut in dato ex. *sensibile*, & *animal* de *homine*. Ratio est; quia in qualibet affirmativa prædicatum confunditur.

4. Reg. terminus reduplicatus sumptus per ordinem ad principale prædicatum semper distribuitur. quare dum dicitur, *homo in quantum animal est sensibile*, animal relatè ad sensibile stat pro omni; undè sequitur, *omne animal esse sensibile*. Ex dictis enim terminus reduplicatus est ratio, cur subiecto conveniat prædicatum. ratio autem, cur B dicatur de A, vel potest stare sine B; atque ita cum sit indifferens, non potest determinatè probare A. vel non potest; atque ita ubicumque est talis ratio, est B. hoc autem est talem rationem distribui. Rursus talis ratio est medium, quod dispositum in forma syllogistica probat B de A. omne autem medium debet distribui.

5. Reg. subjectum principale universim non debet distribui. 1. quia potest fieri reduplicativa, in qua de superiori dicatur inferius, ut, *animal in quantum rationale est risibile*. 2. quia ratio reduplicata sæpe est accidentalis subjecto, ut, *paries quà albus disgregat*. in his autem constat, subiectum non distribui. Excipe, nisi

nisi subiectum sit idem terminus reduplicatus; tunc enim necessario distribui, patet ex 4.

Hinc sequitur 1. in quo sensu sit vera communis illa regula, quod reduplicativa æquivalet quoad veritatem universali; vera enim est de termino reduplicato, non de subiecto, nisi quando coincidit.

Sequitur 2. cum subiectum ipsum reduplicatur, non solum fieri sensum universalem, sed etiam essentialem; fit enim sensus, quod prædicatum subiecto conveniat per rationem in ipso involutam.

Sequitur 3. quod reduplicatio, ut potest addi immediatè subiecto, non sic prædicato. Ratio est; quia cum dictio reduplicans distribuat terminum, quem afficit, propositio evaderet falsa ex 3. reg. supposit. Excipe, nisi prædicatum sit singulare, ut in istis, *Deus est Deus in quantum Deus*; quia Deus est omnis Deus. Sed licet ista sit vera, non tamen utilis.

Sequitur 4. terminum, qui ob simplicem suppositionem incapax est distributionis, incapacem etiam esse reduplicationis, quæ de sua natura distributionem importat, hinc falsa est illa, *homo in quantum homo est species*; & multo magis illa, *homo in quantum animal est genus*. Atque hæc de reduplicativis affirmativis. de negativis verò sit

7. Reg. Reduplicativa ut sit negativa, debet negatio antecedere non copulam, sed dictionem reduplicantem, reduplicativæ enim qualitas sumitur ab ipsa reduplicatione, quæ in ea præcipuè spectatur.

Infers hinc 1. duas istas, *Sortes in quantum homo est albus, Sortes non in quantum homo est albus*, contradictorias in rigore esse; nam & sunt una affirmativa, altera negativa, & non possunt esse ambæ veræ, nec ambæ falsæ.

Infers 2. duas istas, *Sortes in quantum homo est albus, Sortes in quantum homo non est albus*,

non

non esse contradictorias; utraque enim est affirmativa, & utraque falsa. Sunt potius contrariæ non de modo. quia nec sunt universales, nec quantæ, sed de lege, h. e. servantes legem contrariarum, quod non possint esse ambæ veræ: quod ipsum habent, quia trahunt contrarias; sequitur enim ex prima, quod omnis homo sit albus, ex secunda, quod nullus.

Hoc autem est verum ratione formæ; nam ratione materiæ naturalis, vel remotæ possunt leges etiam contradictoriarum servare, ut servant istæ, *homo in quantum homo est rationalis*, *homo in quantum homo non est rationalis*, quæ nec possunt esse ambæ veræ, nec ambæ falsæ. Sed de hac re iterum infra adversus Cajetanum asserentem, naturam secundum se nec unam esse, nec non unam.

DE EXCLUSIVIS.

1 Reg. Dictio exclusiva, *tantùm*, *dumtaxat* &c. dum præcedit subjectum, facit exclusivam primi ordinis, & dicitur exclusi subiecti, habetq; vim exludendi alia subiecta à participatione eiusdem prędicati, quare hęc propositio, *tantùm homo discurrit*, habet duas istas exponentes, *homo discurrit*, *& nihil distinctum ab homine*, seù *nihil*, *quod non est homo*, *discurrit*.

2 Reg. Dictio exclusiva præcedens copulam, vel prædicatum (perindè hoc est apud Summulistas) facit exclusivam secundi ordinis, quæ dicitur exclusi prædicati, & habet vim excludendi ab eodem subiecto alia prædicata, *Sortes tantum est*, vel, *est tantùm dives*, quæ sic exponitur, *Sortes est dives*, *& nihil est Sortes*, *quod non sit dives*. Sed advertendum, quod nota exclusionis potest excludere vel rem, vel rationem, in primo sensu hæc est vera. *Sortes est tantum animal*: in secundo sensu eadem est falsa, ut patet.

3. Reg. Dictio exclusiva medians inter partes prædicati facit exclusivam tertii ordinis: ut, *Petrus est videns dumtaxat Iridem*, quæ sic exponitur, *Petrus est videns Iridem, & non est videns aliud ab Iride*.

4. Reg. Ab exclusiva primi ordinis tenet consequentia ad conversam universalem, v.g. *tantùm homo est rationalis, ergo omne rationale est homo*. Excipe, nisi subiectum sit prolatum in plurali cum nota numerica, quodque propterea supponit copulatè, v.g *tantùm tres homines currunt*; non enim tenet, *ergo omne currens est tres homines*.

5. Reg. Si nota exclusionis cadat in subiectum, quod significet multa copulatim, non debet exponi, nisi per secundam de subiecto plurali. *Sic* ista, *tantùm populus est aggregatum*, non potest sic exponi, *populus est aggregatum, & nihil aliud à populo est aggregatum*. Sic enim data exponibili falsa, utraque exponens posset esse vera, de prima non est dubium, secunda semper est vera, quia semper est falsa ejus contradictoria, *aliquid aliud à populo est aggregatum*; aliter unum posset esse aggregatum: Debet ergò secunda exponens esse hęc *nulla alia à populo sunt aggregatum*.

6. Reg. Omnis categorica affirmativa convertitur cum exclusiva secundi ordinis, in qua excluditur non alia ratio, sed alia res: tenet enim, *homo est animal, ergo est tantum animal*.

7. Reg. ab exclusiva primi ordinis tenet consequentia ad exclusivam secundi, sed non è converso, v.g. *tantum homo est rationalis, ergo homo est tantum rationalis*. hæc enim secunda sequitur ad præiacentem primæ juxta 6. præcedentem, Sed non tenet, *homo est tantum animal, ergo tantum homo est animal*.

8. Reg. Ab exlusiva primi ordinis ad exclusivam tertii consequentia non valet, non enim

enim ſequitur: *tantum animal videt hominem, ergo animal videt tantum hominem*. nam antecedens excludit alia videntia hominem; conſequens excludit alia viſa ab animali.

9. Reg. Nec valet ab excluſiva ſecundi ad excluſivam tertii; non enim ſequitur, *homo eſt tantum videns Iridem, ergo eſt videns tantum Iridem*, nam antecedens excludit aliud à vidente Iridem: conſequens excludit alia viſa ab homine. Præterea ſi valeret hæc conſequentia, cum in ſeptima ſit dictum, quod ab excluſiva primi valeat ad excluſivam ſecundi, jam ab excluſiva primi valeret ad excluſivam tertii adverſus dicta in 8.

10. Reg. In excluſivis tenet conſequentia ab inferiori ad ſuperius à parte ſubiecti; unde ſequitur, *tantum homo currit, ergò tantum animal currit*: ſed non à parte prædicati, *tantum homo eſt homo; ergo tantum homo eſt animal*. in prima enim arguitur ab inferiori ad ſuperius confusè; in ſecunda ab inferiori ad ſuperius diſtributivè.

Hæc de excluſivis affirmativis, de negativis ſit

11. Reg. Excluſiva negativa oppoſita affirmativæ primi ordinis habetur per negationem præpoſitam toti excluſivæ, ut, *non tantum homo currit*, hæc habet duplicem cauſam ſuæ veritatis; exponitur enim per diſiunctivam contradictoriam copulativæ exponentis affirmativam, ſic, *vel homo non currit, vel aliquid aliud ab homine currit*.

12. Reg. Excluſiva primi ordinis, in qua negatio præcedit non notam, ſed copulam v.g. *tantum homo non currit*; ſic exponitur, *homo non currit, & quilibet non homo currit*. Unde habes 1. quod duæ iſtæ non æquivalent, *non tantum homo currit, tantum homo non currit*. 2. quod prima ex his eſt affirmativæ contradictoria, ſecunda contraria non de modo, ſed de

de lege, ut dictum est de reduplicativis.

13. Reg. Negativa contradictoriè opposita exclusivæ secundi ordinis est, in qua negatio præcedit tum copulam, tum notam; ut, *homo non est tantum animal*; si enim sequatur copulam, licet præcedat notam, est propositio affirmativa, quæ non potest affirmativæ contradicere. Hoc eodem pacto fit negativa contradicens exclusivæ tertii ordinis, ut; *homo non est videns tantum Iridem*: & habent exponentes proportionales, prima sic exponitur: *Vel homo non est animal, vel est aliquid, quod non est animal*, secunda sic: *vel homo non videt Iridem, vel videt aliquid aliud ab Iride*.

DE EXCEPTIVIS.

1 Regula. Nota exceptionis *præter*, *nisi*, &c. habet vim tollendi à parte prædicatum, quod tribuitur toti, si propositio sit affirmativa, vel tribuendi parti prædicatum, quod tollitur à toto, si propositio sit negativa. ex. 1: *omne animal præter Sortem videt* ex. 2. *nullum animal præter Sortem videt*.

2. Reg. Omnis propositio exceptiva est universalis. Patet ex prima, quia pars non excipitur à parte, sed à toto, hinc exceptionem regulæ patiuntur, quia sunt universales.

3. Reg. terminus exceptus debet contineri sub eo, à quo fit exceptio, tanquam pars subiectiva sub toto potestativo; aliter non fit exceptio partis à toto: quare ista est inepta, *omnis homo præter lapidem currit*.

4. Reg. Exceptiva affirmativa habet tres exponentes, in quarum prima totum prædicatur de parte: in secunda negatur prædicatum de parte seorsim accepta: in tertia idem affirmatur de reliquo remanente; sic; *Sortes est animal, Sortes non videt, & reliqua animalia vident*. Tres etiam habet exponentes proportionaliter

liter negativa. in quarum prima totum affir. matur de parte; in secunda affirmatur prædicatum de parte seorsim: in tertia idem negatur de reliquis; sic: *Sortes est animal*, *Sortes videt*, *& reliqua animalia non vident*. Hinc habes, quod ista. *Tu vides omnes homines existentes in ista domo præter Sortem*, Sorte in ista domo non existente, est falsa; quia falsa est illa exponens, *Sortes est homo existens in ista domo*. Similiter ista, *Omnis homo præter Antichristum est virtuosus*. Antichristo non existente, & subiecto non ampliato, est falsa; quia falsa est illa, *Antichristus est homo*.

5. Reg. omnis exceptiva habet exclusivam æquivalentem, ad quam tenet consequentia, & in qua terminus exceptus cum nota exclusionis subiiciatur prædicato principali, mutata propositionis qualitate, quare tenet, *omne animal præter Sortem videt*, *ergo tantum Sortes non videt*, *nullum animal præter Sortem videt*, *ergo tantum Sortes videt*. Sed hæc regula patitur exceptionem, cum prædicatum latiùs patet, quàm subiectum, ut in hac, *omnis homo præter Sortem currit*, in qua currens est latiùs homine; unde non tenet, *ergo tantum Sortes currit*; currente enim equo, antecedens esset verum; & consequens falsum. Ut ergo regula sit generalis, debet exclusiva, quæ deducitur, habere prædicatum compositum ex subiecto, & prædicato exceptivæ sic, *ergo tantum Sortes est homo currens*.

6. Reg. ab exceptiva ad particularem, mutata qualitate, ablata exceptione, tenet consequentia, v.g. *omnis homo præter Maurum est albus*, *ergo aliquis homo non est albus*: *nullus homo præter Platonem est doctus*, *ergo aliquis homo est doctus*. Sequitur ex dictis, quia una exponens primæ est, *Maurus non est albus*: una exponens secundæ est, *Plato est doctus*, à singulari autem ad particularem eiusdem qua-

litatis

sitatis sub eodem genere, vel specie tenet consequentia.

7 Reg. Inter exceptivas proprias non est, nisi oppositio contraria; sunt enim ambæ universales, & quidem inter has est oppositio non solum ratione principalium terminorum, sed etiam ratione ipsius exceptionis, quæ in affirmativa negat, in negativa affirmat.

DE RELIQUIS EXPONIBILIBUS.

PRęter tres pręcipuas jam declaratas alię sunt exponibiles, de quibus non minus fusè tractant Logici veteres. ex iis equidem in præsenti potissima dabo.

Primò verbum *Differt* (idem est de termino *aliud*, & *non idem*) sicut & verbum, *distinguitur*, sumitur, vel positivè, vel negativè. Positivè sumitur, quando extrema supponunt, & possunt simul esse; habetque tres exponentes, duas affirmativas, & tertiam negativam, quare ista, *Sortes differt a Platone*, sic exponitur, *Sortes est*, & *Plato est*, & *Sortes non est Plato*. Negativè sumitur. dum alterum extremum, vel non supponit, vel non potest simul esse cum altero. ex. 1. *ens differt à chimara*. ex. 2. *sortes senex differt à se puero*. in quibus termini differentiæ stant ampliativè, adeoque exponuntur proindè, ut alii termini ampliati.

De alio, & *non eodem* est consideratio Theologis familiaris in materia de Trinitate, quod scil. stare possunt substantivè, & adjectivè. primo modo significant alietatem essentialem. quare hæc est falsa, *Pater est aliud à Filio*. secundo modo significant alietatem accidentalem, prout accidentale idem sonat, ac non essentiale. quare hæc est vera, *Pater est alius à Filio*. Prima est falsa; quia habet has exponentes, *Pater est*, & *Filius est*, & *Pater est alia essentia à Filio*. altera est

ta est vera, quia habet has exponentes, *Pater est*, & *Filius est*, & *Pater non est Filius*.

2 De verbis *incipit*, & *desinit*, nihil est opus dicere in præsenti; constabit enim eorum expositio ex dicendis in physica de modis incipiendi, ac desinendi, satis erit ex multis, quas hic statuerunt Tataretus, & alii duas potissimum regulas seligere. 1. est In his verbis arguendo ab inferiori ad superius tenet consequentia ex parte subjecti, sed non tenet ex parte prædicati. ex. 1. *Sortes incipit esse, ergo homo incipit esse*. ex. 2. *Sortes incipit esse albus, ergo incipit esse coloratus*; quare consequens est falsum, si Sortes erat antea niger, & antecedens verum: Idem valet in verbo *desinit*, & in nominibus *primum*, & *ultimum* iis æquivalentibus. quare non tenet, *Sortes est primus, vel ultimus homo, ergo primum, vel ultimum animal*.

Altera est, quod in his non tenet convertibiliter à determinatione prædicati v. g. *Sortes incipit esse albus, ergo album incipit esse Sortes*. voco *album* non prædicatum, sed prædicati determinationem; prædicatum enim re ipsa est *incipiens*, à quo tenet conversio juxtà regulas infrà de conversione tradendas. Ex hac regula Theologi in 3. parte negant sequi, *Deus incepit esse homo, ergo homo incepit esse Deus*: ut neque sequitur, *Deus factus est homo, ergo homo factus est Deus*, si propositiones istæ sumantur in rigore. Ratio est: quia cum universim illud, quod formaliter, seu incipit esse, sensit (formaliter autem incipit, quod modificat, seu determinat prædicatum *incipiens*) antea non fuerit, hæc propositio, *album incipit esse Sortes*, requirit ad sui veritatem, ut Sortes antea non fuerit; adeoque si Sortes antea fuit, consequens est falsum, & antecedens verum. Idem dic de aliis propositionibus relatis. Aliæ regulæ, quæ afferuntur faciles sunt intelligentibus inceptionis, ac desitionis modos.

3 Hoc

4 Hoc nomen *Totus* ſtat dupliciter. vel ſyncategorematicè pro ſingulis partibus: in quo ſenſu hæc eſt vera, *Totus Sortes eſt minor Sorte*; quia ſic exponitur, *pars Sortis eſt minor Sorte, & nulla eſt pars Sortis, quæ Sorte non ſit minor*. Vel categorematicè, & idem ſonat, ac perfectum, ſeu habens omnes ſuas partes: ut *Sortes eſt totus homo*, h.e. *integer homo*; quæ propoſitio exponentes non habet. Pro his hanc regulam dat Venetus, quod dum *totus* præcedit totam propoſitionem, ſtat ſyncategorematicè: dum mediat inter partes ſubjecti, aut ponitur in prædicato, ſtat categorematicè.

Hoc nomen *Infinitum* ſtat item categorematicè, & ſyncategorematicè. Vide, quæ de hoc latè dicam in phyſicis. Unum noto, juxtà Summuliſtas ſignum ſuæ acceptionis in hoc termino eſſe, ſi præcedat, vel ſequatur: ſtat enim ſyncategorematicè, ſi præcedat, ut in iſta, *infinitum corpus poteſt Deus producere*: ſtat categorematicè, ſi ſequatur; ut in iſta, *Deus poteſt producere infinitum corpus*. nam ſenſus primæ eſt, nullum eſſe corpus finitum, quo non poſſit Deus majus producere, ſenſus ſecundæ eſt, Deum poſſe producere corpus, quo nullum ſit poſſibile majus.

5 *Ab æterno* ſi ſumatur adverbialiter idem ſonat, ac *æternaliter* in ante, ſeu de præterito: ſicut *in æternum* adverbialiter ſumptum idem ſonat, ac *æternaliter* in poſt, ſeù de futuro. ejus exponentes ſunt proportionales ad dicta de *Toto*. quare iſta, *Ab æterno Deus fuit*, ſic exponitur, *Ante tempus fuit, Deus fuit, & nullum eſt tempus finitum, ante quod Deus non fuerit*. Stare etiam poteſt categorematicè, & ſyncategorematicè juxtà dicta de infinito. idem dic de *in æternum*.

6 *Semper* in rigore non idem valet, ac *æternaliter*; eſt enim adverbium temporis, & perindè eſt, ac *in omni tempore*. quare de Deo dici

potest *aternaliter fuit*, sed non, *semper fuit*, quia hoc non solum importat existentiam æternam Dei, sed etiam temporis quamquam hoc discrimen non semper servetur. Exponitur autem proportionaliter, *ab aterno*, vel *in aternum*.

CAPUT IV.

Generales Consequentia Leges.

1 Regula. Bona consequentia est, in qua antecedens connectitur cum consequente, connexione sive physica, & rei cum re, cum scilicet objectum antecedentis distinctum realiter est ab objecto consequentis, sive logica, & veritatis cum veritate, cum objectum antecedentis, & consequentis est idem: Ejus connexio est formaliter vis consequentiæ; neque aliud omnes nomine consequentiæ intelligunt.

2 Reg. In bona consequentia ut tenet ab antecedente ad consequens, non item universim à consequenti ad antecedens. Reg. est evidens in exemplis, ut enim tenet, *datur creatura, ergo datur Deus*, non item, *datur Deus, ergo datur creatura*, & ut valet, *est homo, ergo est animal*, non item, *est animal, ergo est homo*: Demonstr. ex prima; nam vel consequentia nititur in connexione physica, & constat, quod ut hæc sæpe est non mutua, qualis habetur inter rem, & modum, Deum, & creaturam, similiter potest esse non mutua consequentia. vel nititur in connexione logica, atque hæc cum sæpè sit identitas inadæquata, quæ versatur inter terminos non æque latè patentes, fit, ut non semper teneat in his convertibiliter consequentia.

3 Reg. In bona consequentia tenet à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, sed non semper è contrario: v. g. eo ipso, quod hæc est bona, *est homo, ergo est animal*,

mal, hæc etiam est bona, *non est animal*, *ergo non est homo*, sed non hæc, *non est homo*, *ergo non est animal*. Demonstr. ex prima. Omne connexum tollitur, ablato termino connexionis, quia A connecti cum B, est A non posse esse sine B; sed antecedens est connexum cum consequenti; ergo tollitur, ablato consequente. At è contrario terminus connexionis, qui non semper & ipse est connexus, consequenter non tollitur, ablato connexo. Sed consequens est per se purus terminus connexionis relatè ad antecedens. ergo non tollitur, ablato antecedente.

4 Reg. In bona consequentia oppositum consequentis repugnat antecedenti, sed non semper è converso, Demonstr. 1. pars. oppositum enim est, quod destruit. sed oppositum, seù destructivum consequentis destruit antecedens ex tertia. ergo opponitur, & repugnat antecedenti. Ex eadem demonstratur etiam secunda pars.

5 Reg. Quod stare potest cum veritate antecedentis, stare potest cum veritate consequentis, non tamen è contrario. v. g. si hæc est bona, *Petrus est homo*, *ergo est animal*, si simul cum hoc, quod sit homo, stat, quod sit risibilis, hoc idem stat simul cum eo. quod sit animal. at non quodcumque stat cum eo, quod sit animal, stare potest cum eo, quod sit homo, nam animal potest esse quadrupes, sed non potest quadrupes esse homo. Demonstr. quia si quod est verum simul cum antecedente, non posset esse verum simul cum consequente, repugnaret consequenti, & non antecedenti: quod est impossibile ex 4. At è converso id non est opus; quia potest ex dictis aliquid repugnare antecedenti, illudque tollere, quod consequenti non repugnat.

6 Reg. Quod antecedit antecedens, antecèdit & consequens. v. g. si homo antecedit ani-

mal, & animal antecedit vivens, homo etiam antecedit vivens: quare si tenet, *est homo, ergo est animal*, & *est animal, ergo est vivens*, tenet etiam, *est homo. ergo est vivens*. Demonstr. ex prima. Homo antecedit animal; ergo connectitur cum animali; & ex eodem capite, animal connectitur cum vivente. ergo homo etiam connectitur cum vivente, & per consequens illud antecedit. prob. conf. finge enim quod non connectatur, jam poterit esse homo, quin sit vivens. da ergo, quod sit homo, & non vivens. quæro, tunc homo est animal, nec nè. si est; ergo animal est, & non est vivens; adeoque contrà suppositum animal non connectitur cum vivente. si non est; ergo homo est, & non est animal; adeoque etiam contrà suppositum homo non connectitur cum animali.

Hinc est 1. quod sequitur ad consequens, sequi etiam ad antecedens. Patet, quia hæc non differt à posita regula, nisi per aliam sumptionem ejusdem habitudinis. Est 2. quod tenet consequentia à primo antecedente ad ultimum consequens, quando omnes intermediæ consequ. bonæ sunt, & non variatæ v. g. *homo est, ergo animal est; animal est, ergo vivens est: vivens est, ergo corpus est*. jam tenet à primo ad ultimum, *homo est, ergo corpus est*. Consequentia autem non variatur, dum consequens prioris consequentiæ est idem omninò antecedens sequentis quod si hoc varietur, à primo ad ultimum consequentia non valet. v. g. *Nullum tempus est, ergo dies non est; dies non est, & aliqua hora est, ergo nox est: nox est. ergo aliquod tempus est*. jam hic non sequitur à primo ad ultimum, *nullum tempus est, ergò aliquod tempus est*, propter variationem factam in antecedente 2. consequentiæ.

7 Reg. Ex vero non sequitur, nisi verum: at ex falso potest sequi tum verum, tum falsum Demonstr. 1. pars regulæ 1. dum antecedens est verum,

verum, & consequens falsum, antecedens non connectitur cum consequente; neque enim physicè, quia stat objectum antecedentis sine objecto consequentis: neque logicè, quia stat veritas antecedentis sine veritate consequentis; ex prima autem regula ubi nulla connexio, nulla consequentia. Demonstr. 2. ubi oppositum consequentis non repugnat antecedenti, nulla est consequentia ex 4. Reg. sed si ex vero sequatur falsum, oppositum consequentis stat cum antecedente, ut constat; ergo dum ex vero sequitur falsum, consequentia est nulla, adeoque re ipsa non sequitur.

Altera pars ut ostendatur, tria sunt prænotanda ad explicationem, & unum est supponendum ad probationem regulæ. Not. 1. ex falso sequi quandoque verum per veram connexionem inter medium, & alteram extremitatem; ut habes in hoc exemplo: *Omnis equus est animal omnis homo est equus; ergo omnis homo est animal*. quæ consequentia bona est, quia fundatur in logica connexione equi cum animali, ratione cujus fit, ut non possit equus dici de subjecto, de quo non dicatur & animal. Ita procedunt multæ impossibiles hypotheses, utiles tamen ad indagandam veram connexionem inter realia prædicata.

Not. 2. ex. falso sequi quandoque verum ratione connexionis ex toto falsæ. sic dum arguitur: *Omne intellectivum est corporeum; omnis lapis est intellectivus; ergo omnis lapis est corporeus*; ex connexione nullatenus vera inter extrema præmissarum infertur vera connexio inter lapidem & corporeum.

Not. 3. ex falso posse sequi verum non solum in forma syllogistica, sed etiam extra eam; sequitur enim arguendo, tum à convertente ad conversam, tum à subalternante ad subalternatam in materia, tùm naturali, tum contingente. v.g. ex hac falsa, *Omne animal est homo*, sequitur,

quod *aliquis homo sit animal*, & quod *aliquod animal sit homo*; quæ ambæ sunt veræ. Et ex hac de facto falsa, *Omnis homo est sapiens*, sequitur, & quod *aliquod sapiens sit homo*, & quod *aliquis homo sit sapiens*, quæ ambæ de facto sunt veræ.

Suppositio præmittenda est, ex falso nihil posse sequi, nisi falsum sumatur, ut verum: dum enim sumitur ut falsum, sumitur non ut admissum, sed ut rejectum; ex quo non potest ulterius progredi intellectus. Præterea dum sumitur ut falsum, sumitur ut non connexum, adeoque sub ratione, qua vim inferendi excludit. Debet ergo falsum, ut inferat, admitti, seu fieri suppositio, quod sit verum. quare totum argumentum habet vim hypotheticæ conditionalis, in qua falsum inferens est conditio, verum illatum est conditionatum. Hinc est discrimen inter verum, & falsum relatè ad inferendum; nam falsum ut inferat, debet induere rationem veri: verum ut inferat non debet, nec potest induere rationem falsi.

Demonstr. jam veritas hujus secundæ partis primò. Quoties oppositum consequentis repugnat antecedenti, illudque destruit, consequentia est bona ex tertia, & quarta reg. sed verum ita infertur ex falso, ut oppositum consequentis repugnet antecedenti. ergo verum infertur ex falso per bonam, & legitimam consequentiam. min. prob. nam si sic arguas: *Omnis homo est albus, ergo aliquod album est homo*; oppositum consequentis est hoc, *nullum album est homo*, quæ infert contrariam antecedentis; atque idem contingit in syllogismo, si reducatur ad impossibile. Et quidem nihil est, quod possit obiici, nisi illud, quod cum antecedens falsum sit antecedens destructum, & nullum, nihil superest à consequentis opposito destruendum. Sed hæc objectio cadit ex suppositione præmissa; est enim antecedens falsum sumptum

ut

ut verum; adeoque superest destruenda veritas, non realis, sed supposita, seu superest destruenda species veri, quam falso intellectus apposuit.

Demonstr. 2. ex 1. reg. Connexio (hæc est ex ibi dictis tota vis consequentiæ) quæ est inter duos terminos, ex connexione supposita cum 3. distributo, & non tollitur, & probatur, quod non tollitur, est evidens (loquor per locum intrinsecum) quia connexio non est destructiva connexionis: & multò minus connexio duorum cum 3. supposita, tollere potest connexionem duorum inter se. quod probetur, etiam est evidens ex vi principii regulativi syllogismorum; connexio enim cum 3. distributo est formalis necessitas connexionis inter se. stat ergo realis connexio per fictam connexionem probata. Ex hoc ipso fit, ut, si connexio cum 3. est vera, vera sit etiam connexio duorum inter se; quia falsa, & supposita non probaret, nisi vera semper veram connexionem inferret. Uno verbo, sume duo connexa A & B; tum si his addas ex falso connexionem cum C, addis formaliter ex vi suppositionis necessitatem connexionis inter A & B; adeoque facis consequentiam à falso ad verum. at si vera sit connexio A & B cum C, habes veram necessitatem connexionis A cum B; adeoque ex vero non nisi verum. Quod est ostensum in consequentia syllogistica, facile applicari potest aliis consequentiis simplicibus.

8 Reg. ex necessario non sequitur, nisi necessarium; at necessarium sequi potest tum ex necessario, tum ex contingenti, tum ex impossibili. Demonstr. ex præcedenti; cum enim necessarium sit semper verum; contingens aliquando sit verum, aliquandò falsum; impossibile semper falsum; fit, ut ex necessario non possit colligi, nisi necessarium, quia ex vero non nisi verum. at quia ex falso potest colligi verum, ex contingenti, aut impossibili poterit colligi ne-

cessarium. exemplum est in his duobus syllogismis: *Omnis homo movetur: currens est homo; ergo currens movetur.* & *Omnis lapis est discursivus; omnis homo est lapis: ergo omnis homo est discursivus.* in quorum 1. ex contingenti, in 2. ex impossibili infertur necessarium.

9. Reg. ex contingenti potest sequi vel contingens, vel necessarium. prima pars per se patet. secunda constat ex 8. sed ex contingenti non potest sequi impossibile; aliter cum contingens sit aliquod verum, & impossibile semper falsum, ex vero sequeretur falsum. Rursus contingens non potest sequi ex necessaria, aliter aliquod falsum sequeretur ex semper vero. potest tamen sequi tum ex contingenti, ut patet, tum ex impossibili; quia ex falso potest sequi verum.

Pro hac reg. advertendum ex Scoto 2 prior. q. 2 ad 1. dum dicitur, *ex contingenti non potest sequi impossibile*, nomine contingentis intelligendum esse totum antecedens, quod est in syllogismo una copulativa composita ex utraque præmissa: in qua copulativa contingit sæpè, ut quælibet copulata seorsim sit contingens, conjunctim sit impossibilis, ut est evidens in ista, *Petrus sedet, & non sedet*. Hinc Scotus optimè solvit illud argumentum, quo ex contingentibus videtur concludi impossibile; *Omne currens est homo; Omnis equus est currens; ergo omnis equus est homo*. ait enim, quod in tali syllogismo copulativa facta ex præmissis est impossibilis, eo quod partes suæ sint incompossibiles, licet quælibet earum per se sit possibilis; atque adeo consequens impossibile sequitur ex antecedente non contingente; sed impossibili; quia minor implicitè repugnat majori, cum ex eo, quod equus, qui non est homo, sit currens, sequitur, quod *aliquod currens non sit homo*, quæ est contradictoria majoris.

10 Reg. ex impossibili sequitur quodlibet,

bet, h. e. tum impossibile, tum contingens, tum necessarium; quia ex falso sequitur, & falsum, & verum. at impossibile non sequitur, nisi ex impossibili, quia falsum non sequitur nisi ex falso.

Pro hac reg. advertendum, quod dum dicitur, *ex impossibili sequitur quodlibet*, sensus intentus à Summulistis unicè, & qui descendit ex superioribus, est unus ille, qui datur in regula. An verò intelligendum, ut jacet. ita ut ex impossibili dato sequatur vi formæ qualibet alia, utut videatur disparata, propositio, dubium est. Negant cum Soto logici communiùs. Sed meliùs fortasse affirmat Scotus 1. Prior. q. 3. ubi ponit hanc primam conclusionem. *Ad quamlibet propositionem, quæ manifestè implicat contradictionem, sequitur formaliter qualibet alia: sicut sequitur* Sortes currit, & Sortes non currit, igitur tu es Romæ: *Probatur; quia ad dictam copulativam sequitur qualibet ejus pars gratia formæ. tunc reservata ista parte*, Sortes non currit, *arguatur ex alia sic*: Sortes currit, igitur Sortes currit, vel tu es Romæ. *quià qualibet propositio infert se ipsam formaliter cum qualibet alia in una disiunctiva. & ultra sequitur*: Sortes currit, vel tu es Romæ: sed Sortes non currit (*ut fuit reservatum*) igitur tu es Romæ, *quod fuit probatum per illam regulam, ex disiunctiva cum contradictoria unius partis ad reliquam partem est bona consequentia*. Tum pergit ostendere, quo pacto ex reliquis etiam impossibilibus sequatur quodlibet: quæ enim sunt implicitè impossibiles, possunt reduci ad manifestam contradictionis implicantiam.

11. Reg. ubi negatio est causa negationis; affirmatio conversa est causa affirmationis. v. g. si tenet, *non est animal, ergo non est homo*, tenet, *est homo, ergo est animal*. quia eo ipso propositio, *est animal*, verificat rationem pro-

priam consequentis, ut ab opposito ipsius teneat ad oppositum antecedentis per reg. 4.

12 Reg. ubi negatio est causa negationis, affirmatio non conversa non est causa affirmationis, nisi gratia materiæ, dum sumus in causa præcisa, sic quia tenet, *non est animal. ergo non est homo*, non ideo tenet, *est animal. ergo non est homo*. Patet per 2. reg. quià ab antecedente ad consequens non tenet destructivè vi formæ. Vi autem materiæ tenet, ut *non est homo, ergo non est rationalis: est homo, ergo est rationalis*: homo enim est præcisa causa rationalis.

13. Reg. Dum affirmatio est causa affirmationis, negatio non est causa negationis, nisi vi materiæ in causis præcisis. Prima pars constat ex prima reg. & ex 2. secunda pars est certa primò exemplariter: nam si habere pulmonem (est exemplum Philosophi) est causa respirationis, non habere pulmonem est causa non respirationis, à priori id patet ex notione causæ præcisæ, quæ scilicet posita ponit, ablata aufert effectum.

CAPUT V.

Particulares Consequentiæ leges. Regula penes superius, & inferius.

1. REg. ab inferiori ad superius sine distributione tum affirmative, tum negative tenet consequentia, ut, *homo currit, ergo animal currit*. at cum distributione non tenet; ut *omnis homo currit, ergo omne animal currit*; &, *nullus homo currit, ergo nullum animal currit*. ex hoc ipso capite hæc consequentia est nulla, *si homo est equus, est hinnibilis, ergo si homo est animal, est hinnibilis*, antecedens enim importat, quod omnis equus sit hinnibilis: consequens importat, quod omne animal sit hinnibile. quare arguitur ab inferiori ad superius distribuitum. Regula patet ex terminis.

2. Reg.

2. Reg. A superiori non distributo ad inferius sivè affirmativè, sivè negativè consequentia nunquam valet; ut, *animal currit, ergo homo currit*: *animal non currit, ergo homo non currit*. sed cum distributione semper valet, ut, *omne animal currit, ergo omnis homo currit*: *nullum animal currit, ergo nullus homo currit*. At in affirmativis requiritur debitum medium, ut scilicet inferius actu participet rationem superiorem, nim. quod homo actu sit animal; aliter consequens erit falsum, & de subiecto non supponente. Hoc idem dicendum de ista consequentia, *homo differt ab equo, ergo differt à bucephalo*; non enim eit bona, nisi bucephalus sit. Hæc regula est evidens etiam in terminis, & reducitur ad *dici de omni*, & *de nullo*, principia regulativa syllogismi.

Regula penes propositiones quantas.

1. REg. ab universali tum affirmativa, tum negativa tenet ad quamlibet suam particularem, & indefinitam. sed non è contrario: ut *omnis homo currit, ergo aliquis homo currit*: sed non: *aliquis homo currit, ergo omnis homo currit, &c.*

2. Reg. ab universali tum affirmativa, tum negativa tenet ad omnes suas singulares simul sumptas convertibiliter, ut patet vi æquipollentiæ. Sed in affirmativa requiritur debitum medium, ut scilicet singulare actu participet communem rationem. quare non valet, *omnis homo currit, ergo Antichristus currit*. quià Antichristus actu non est, adeoque nec est homo.

3. Reg. à particulari ad indefinitam tenet convertibiliter consequentia: ut *homo currit, ergo aliquis homo currit*: & è converso, etiam in negativis.

4. Reg. à particulari (idem est de indefinita) ad omnes singulares disiunctivè sumptas valet ad convertentiam, ut, *aliquis homo currit*, *ergo vel hic, vel ille currit*, &c. sic è converso, etiam in negativis. Omnes istæ regulæ satis patent vi potestatis signorum seù distribuentium, seù confundentium. De propositionibus non quantis, cujusmodi sunt tres primæ exponibiles, dictum satis est cap. 3.

Regula penes terminos pertinentes, & impertinentes.

1. Reg. ab affirmativa unius disparati tenet consequentia ad negativam alterius; ut, *tu es homo, ergo non es equus*. sed non è converso à negativa ad affirmativam, quia non sequitur, *lapis non est equus, ergo lapis est homo.* Ratio est; quià disparata cum sint positiva; habent medium per exclusionem utriusque: sed cum sint opposita, non habent medium per utriusque inclusionem.

2. Reg. ab uno correlativo ad reliquum est bona consequentia in propositionibus de 2. adiacente, ut, *Pater est, ergo filius est*. in reliquis non tenet, nisi ratione materiæ, & in iis prædicatis, quæ sunt eadem cum existentia.

3. Reg. A termino privativo ad infinitum est bona consequentia, sed non è converso. hinc valet, *homo est injustus, ergo est non justus*: sed non, *est non justus, ergo est injustus*; tum quià non valet, in simili, *lapis est non justus, ergo est injustus*; ut nec valet in homine ipso, dum adhuc est puer. tum à priori, quia terminus privativus *injustus* importat, & capacitatem, & obligationem habendi justitiam, qua caret lapis, & puer: sed has ipsas non importat terminus infinitus *non justus*.

4. Reg. Ab Affirmativa de prædicato privativo, seù infinito tenet consequentia ad nega-

gativam de prædicato finito: ut, *tu es cæcus, ergo non es videns*: *es non equus, ergo non es equus.* Tres sunt hujus regulæ limitationes. Prima est in propositionibus de præterito, & futuro, in quibus servanda est constantia temporis; nam ista absolutè est nulla, *tu fuisti non sedens, ergo non fuisti sedens.* negatio enim in antecedente postposita verbo facit supponere tempus præteritum confusè: eadem in consequente præposita facit stare idem tempus distributivè; propterea ut valeat, debet addi tempus certum quod sequatur negationem, ab eaque distribuatur. v. g. *fuisti non sedens heri; ergo heri non fuisti sedens.* idem dic de futuro. 2. limitatio est, ut prædicatum privativum, aut infinitum sit totale: si enim sit pars prædicati, aut ejus adiunctum, non tenet, ut videre est in hac, *animal significat non hominem, ergo non significat hominem.* teneret, si diceretur, *animal est non significans hominem, ergo non significat hominem.* 3. limitatio est in obliquis, in quibus regula fallit; ut patet in exemplo, *Equus est non Sortis, ergo non est Sortis*: ubi antecedens est verum, & consequens falsum, dato, quod equus sit Platonis simul, & Sortis, similiter non sequitur. *Sortis est non equus, ergo Sortis non est equus*; antecedens enim est verum, & consequens falsum, posito, quod Sortes habeat simul equum, & bovem.

5. Reg. A negativa de prædicato finito non tenet ad affirmativam de infinito, nisi adhibito debito medio, hinc nulla est ista: *Adam non est albus, ergo est non albus.* Ratio est, quià affirmativa de subiecto non ampliato requirit ad sui veritatem ejusdem subiecti existentiam (aliter est falsa, & de subiecto non supponente) sed eam non requirit negativa. ab una ergo ad aliam consequentia non valet, cum, Adamo non existente, antecedens sit verum, & consequens falsum. Valet autem cum debito medio, ut si dicas,

dicas, *Sortes non est albus, & Sortes est, ergo est non albus*. Debitum verò medium non semper est idem; nam pro obliquis suscipit varietatem pro varietate propositionum. hinc illa est nulla, *Sortis non est equus, & Sortes est, ergo Sortis est non equus*, posito quod sortes nihil prorsus habeat. debet ergò, ut teneat, adhiberi hoc aliud medium, *& Sortis est aliquid*. Illa pariter est nulla; *Equus non est Sortis, & equus est, ergo equus est non Sortis*, posito quod equus nullius domini sit. quare ut valeat, medium hoc erit, *& equus alicujus est*.

De contrariis duæ regulæ circumferuntur, quæ indigent explicatione, & limitatione, Prima est. Ut se habet propositum in proposito, ità oppositum in opposito. coincidit cum illa, contrariorum eadem est disciplina. sensus est, proportionaliter philosophandum esse de oppositis; ut, dum unum tribuitur uni contrario, contrarium alteri tribuatur: contrariorum enim contrariæ sunt passiones. Hæc tamen est limitanda de iis, quæ tribuuntur contrario, ut contrarium est, non verò secundum rationem utrique communem, sequitur enim, *si album disgregat visum, nigrum congregat*. sed non sequitur, *si album est visibile; nigrum est invisibile*; quià visibilitas convenit albo secundùm rationem coloris utrique communem.

Secunda est. Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis & reliquum. 1. top. sed hæc habet veritatem, dum eadem est ratio multiplicationis in utroque. hinc vitium multiplicatur, etiam non multiplicata virtute, quia vitium esse potest per excessum, & per defectum: quod non contingit in virtute; adeoque alia est ratio multiplicandi vitium, alia virtutem.

Re-

Regulæ Hypotheticarum.

1. REg. A copulativa affirmativa ad quamlibet copulatam seorsim bona est consequentia, sed non è contrario, nisi gratia materiæ. Ratio primi est; quia conjunctio vi institutionis hoc postulat ad veritatem conjunctæ, ut quælibet pars sit vera. cum enim veritas sit constructio, & copulativa sit totum, stare non potest sine partibus suis. tenet ergo consequentia, *tu curris, & tu disputas, ergo tu curris*. oppositum enim consequentis antecedenti repugnat. Ratio secundi est; quia ex parte non tenet ad totum, cum pars esse possit sine toto. quare ea non valet, *tu curris, ergò curris, & disputas*. Valet aliquando vi materiæ; vel quia partes sunt mutuò connexæ, ut, *tu es rationalis, ergo es homo, & es rationalis*: vel quia sunt connexæ non mutuò, & tunc à parte, quæ antecedit, ad totam copulativam est bona consequentia, ut, *tu curris, ergo curris, & moveris*.

Hinc habes 1., quod si admittatur copulativa ex partibus contradicentibus, v.g. *homo sedet, & non sedet*, sequitur utraque pars seorsim, quià juxtà regulas obligationum, debet in ea admitti lex copulativæ. Habes 2. quod à possibilitate copulativæ tenet ad possibilitatem cujusvis copulatæ; aliter ex possibili sequeretur impossibile. sed ex impossibilitate copulativæ non tenet ad impossibilitatem cujuslibet copulatæ; quia ex impossibili sequitur quodlibet. Habes 3. quod ex necessitate copulativæ sequitur necessitas cujuslibet copulatæ; quia ex necessario nonnisi necessarium. Habes 4. quod ex contingentia copulativæ non valet ad contingentiam cujusvis copulatæ; quia ex contingenti potest sequi necessarium.

2. Reg. A qualibet disjuncta seorsim ad to-

tam

tam disiunctivam est bonum argumentum, sed non è contrario. Ratio est; quia disiunctio ex institutione habet, ut petat alterius disiunctæ veritatem. Data ergo veritate unius propositionis, habetur, quidquid requiritur ad veritatem disiunctivæ. tenet igitur sic arguendo, *tu curris, ergo curris, vel disputas*, Non valet è contrario; cum enim disiunctiva alteram ex disiunctis veram petat, perperam à disiunctiva ad unam certam disiunctam arguitur, quæ licet sit falsa, constat adhuc disiunctivæ veritas. quare non sequitur, *vel curris, vel disputas, ergo curris*.

3. Reg. A disiunctiva cum destructione unius partis ad alterius positionem cõsequentia est bona, ut, *vel curris, vel sedes: non curris; ergo sedes*. Ratio est: quià disiunctiva vera exigit alterius disiunctæ veritatem. si das ergo, quod altera sit falsa, superest, ut altera sit vera; si enim hæc etiam falsa esset, disiunctiva etiam esset falsa, cujus scilicet veritas non constat cum falsitate utriusque disiunctæ.

4. Reg. A copulativa negativa ad disiunctivam affirmativam de partibus priori contradicentibus, tenet consequentia. ut, *Non tu curris, & tu sedes, ergo vel non curris, vel non sedes. Non tu non curris, & non sedes, ergò vel curris, vel sedes*. Ratio est; quia cum copulativa falsificetur per alteram ex copulatis falsam, ex copulativa negata sequi vi formæ non potest, nisi quod altera ex copulatis sit falsa. hoc autem est, quod importatur per disiunctivam positam in consequenti.

5. A propria disiunctiva negativa ad copulativam affirmativam de partibus priori contradicentibus consequentia non tenet, ut, *Non vel tu curris, vel sedes, ergo non curris, & non sedes*. cum enim propria disiunctiva, qualiter sumitur à priscis Logicis, Algazele, D. Thoma, & aliis, excludat non solum falsitatem,

sed

ſed etiam veritatem utriuſque partis, perperam à falſitate diſiunctivæ infertur determinatè aut veritas, aut falſitas utriuſq; diſiunctæ. Quod ſi diſiunctiva ſit minus propria juxta mentem modernorum, ita ut ſolam utriuſque diſiunctæ falſitatem excludat, conſequentia eſt bona.

6. Reg. Conditionalis nihil abſolutè requirit ad ſui veritatem, quare iſta, *ſi Sol eſt, Dies eſt*, eſt vera, quamvis nec Sol, nec Dies ſit, nota enim conditionis ſolum indicat connexionem inter conditionem, & conditionatum, adeoque indicat non quidem dari conditionem, aut conditionatum, ſed non poſſe dari conditionem, quin detur & conditionatum. Hinc eſt celebre Logicorum effatum, *Conditio nihil ponit in eſſe*.

7. Reg. A conditionali rigoroſa (h. e. in qua conditio habet rationem propriam antecedentis relatè ad conditionatum) ſumpta cum ſuo antecedente, ad conſequens ejuſdem eſt bona conſequentia, ut, *ſi es homo, es animal: ſed es homo: ergo es animal*, conſequentia iſta non reducitur ad ullam ex figuris ſyllogiſticis, quarum ſcilicet diſpoſitionem non ſequitur. eſt tamen ex terminis evidens; importat enim nota conditionis connexionem inter conditionem, ut antecedens, & conditionatum, ut conſequens; adeoque ut data conditione, detur conditionatum. Æquivalet verò nota conditionis *ſi*, notæ rationis *ergo* in hoc, quod utraque eſt nota connexionis, ſed differt; quia in conditionali nec antecedens, nec conſequens abſolutè enunciatur, adeoq; neutrius veritas abſolutè requiritur. Dixi *ſumpta cum ſuo antecedente*, h. e. cum conditione purificata, quæq; tranſierit in veritatem abſolutam; aliter conſequentia nulla eſt, ut iſta, *ſi ſol eſt, dies eſt, ergo dies eſt*.

8. Reg. A conditionali rigoroſa cùm contradictorio conditionati tenet ad contradicto-

rium

rium conditionis, sed non è conversò: ut, *si homo est, animal est sed non est animal, ergo non est homo*, at non valet, *sed non est homo, ergo non est animal*. Ratio petenda est ex regulis consequentiæ; conditio enim est antecedens, & conditionatum est consequens, quæ ergo ibi dicta sunt de antecedenti, & consequenti, dicta hic proportionaliter puta de conditione, & conditionato.

Præter conditionalem rigorosam, quæ est illativa, & notat necessariam habitudinem conditionis ad conditionatum, est alia non rigorosa, quæ notat habitudinem contingentem, vimque illationis non habet: notat tamen conditio pertinentiam aliquam conditionis ad conditionatum in genere causæ seù physicæ, seu moralis: ut, *si Petrus à me rogabitur, dabit mihi centum*. Ità Sotus, & Bannez in suis summulis apud Casilium l.2. cap.10. & Nostri Doctores, passim. De his ego nihil in præsenti, cum tractatio ista translata sit jam ad Theologos.

CAPUT VI.

Leges Conversionis.

Mitto agitare ex professo controversias Summulistarum circà naturam, ac divisionem conversionis. sunt enim primò, qui nomine quantitatis in conversione solam intelligunt termini suppositionem: conversionem verò simplicem eam volunt, in qua prædicatum, quod in subiectum mutatur, eandem suppositionem retinet, quare istam conversionem, *Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo*, simplicem appellant; quia *animal* utrobiq; stat confusè, hinc universim dicunt, solam conversionem simplicem esse formalem consequentiam. Sunt secundò qui conversionem per contrapositionem omninò reiiciunt ut inutilem;

lem; usus enim conversionis est potissimus pro reductione syllogismorum, ad quam sola *simplex*, & *per accidens* satis est, hinc Aristoteles conversionis per contrapositionem nusquam meminit. Sunt tertiò qui addunt aliud genus conversionis, quam vocant *præter quantitatem*; ista enim est recta, *tantum homo est currens, ergo omne currens est homo*. Dicitur *præter quantitatem*, quia fit conversio à propositione non quanta in quantam; propositiones enim exclusivæ, & exceptivæ dicuntur à Summulistis logica quantitate carentes. Equidem ut in hac re solidè procedam.

Suppono 1. omnem identitatem, omnemque distinctionem adæquatam esse mutuam. Demonstr. si enim A idem est cum B, & B est distinctum ab A, A est & non est A. quia B distingui ab A, est B non esse A. ergo quod est B, non est A. sed A est B; quia esse idem cum B est esse B. ergo A non est A. similiter si A sit distinctum à B, & B idem cum A, sequitur B esse, & non esse B.

Suppono secundò omnem identitatem inadæquatam involvere distinctionem, & identitatem adæquatam, & omnem distinctionem inadæquatam involvere identitatem, & distinctionem adæquatam. animal enim inadæquatè distinctum ab homine involvit eo ipso distinctionem adæquatam hominis à brutis, & identitatem adæquatam hominis cum homine; & inadæquatè idem cum homine involuit identitatem adæquatam hominis cum homine, & distinctionem adæquatam hominis à brutis.

Sequitur hinc 1. quæ sunt adæquatè idem, esse mutuo, seu convertibiliter affirmabilia: quæ verò sunt adæquatè distincta, esse mutuo, seu convertibiliter negabilia. Constat sequela ex notione identitatis, quæ est affirmabilitas in recto, & ex notione distinctionis, quæ est negabilitas in recto unius de alio,

Se-

Sequitur 2. quæ sunt inadæquatè eadem, esse mutuo affirmabilia, si prædicatum, quod transit in subiectum, servet eandem restrictionem, cum enim universale prædicatum de subiecto dicatur ratione identitatis inadæquatæ, & hæc resolvatur in adæquatam, quam secum habet pars cum parte prædicati; omnis autem identitas adęquata sit mutua, feratq; consequenter mutuam affirmabilitatem; sequitur, quod si prædicatum sumitur item inadæquatè, erit pariter de subiecto affirmabile.

Sequitur 3. omnem negabilitatem unius de alio esse mutuam secundum totam latitudinem prædicati, omnis enim negabilitas fundatur in distinctione adæquata prædicati à subiecto; quia negatio est malignantis naturę; unde juxta septimam suppositionum regulam distribuit omnem terminum, quem afficit sivè immediatè, sive mediatè. Atqui omnis distinctio adæquata est mutua juxtà primam suppositionem, ergo omnis negabilitas est mutua secundum totam latitudinem prædicati.

Ex his inferuntur evidenter omnes regulæ conversionum.

1. Regula est. Universalis negativa convertitur simpliciter, v.g. *nullus homo est equus, ergo nullus equus est homo.* Patet ex 3. sequela.

2. Reg. Particularis affirmativa convertitur item simpliciter. v.g. *aliquis homo est albus, ergo aliquod album est homo*. Patet ex 2. sequela.

3. Reg. convertitur per accidens universalis tum affirmativa, tum negativa. De affirmativa constat per secundam sequelam. De negativa constat ex eo, quod si sequitur convertens universal s per primam regulam, sequitur etiam particularis illi subalternata.

4. Reg. Particularis negativa non convertitur; non enim tenet, *quoddam animal non est homo, ergo quidam homo non est animal*, Ratio est: quia *animal* in antecedente confunditur,

& stat

& stat pro aliquo: sed in consequente vi negationis præviæ distribuitur, & stat pro omni, quare ex distinctione inadæquata animalis ab homine infertur hominis distinctio adæquata ab animali.

De conversione per contrapositionem nihil dico: nam neque est utilis; neque videtur consequentia formalis, quia non tenet, *Omnis homo est ens, ergo omne non ens est non homo*; cum antecedens sit verum, & consequens falsum, ut potè de subiecto non supponente, similiter non tenet, *quædam chimæra non est homo, ergo quidam non homo non est non chimæra.* antecedens enim est verum, & consequens falsum, cujus scilicet contradictoria est vera, *omnis non homo est non chimæra*; siquidem terminus infinitus in affirmativis semper supponit pro realibus.

Ex his conficitur una hæc universalis regula pro omnibus conversionibus: *Tenet universim conversio, quoties prædicatum non ampliat in convertente suppositionem, sed vel retinet priorem, vel restringit.* Exceptio est hujus regulæ in conversione, quam dixi appellari *præter quantitatem*, in qua licet prædicatum conversæ stat confusè, distribuitur tamen in convertente; ut, *tantùm homo est grammaticus, ergo omnis grammaticus est homo.*

Ex hac regula sequitur primò, hanc conversionem non esse bonam, *Nullum mortuum est homo, ergo nullus homo est mortuus*, quia arguitur à termino restricto, qualis est in antecedente *homo*, ad eundem ampliatum. Sequitur secundò, nec tenere istam, *homo est dictio dissyllaba, ergo aliqua dictio dissyllaba est homo*, nam in antecedente *homo* stat materialiter, in consequente personaliter. Atque ita alias conversiones ineptas facilè discernes, sed præsertim adverte, quod nam sit prædicatum conversæ, ut illud, & non aliud fiat subiectum convertentis, ex quo capite deficiunt istæ conversiones,

siones, *oculus hominis est dexter, ergo aliquid dexterum est homo: Sortes videt Cajum, ergo Cajus videt Sortem, &c.*

Superest videndum, an conversio sit consequentia reducenda, vel reducibilis ad syllogismũ. Censeo primum, non esse reducendam: quia satis est per se evidens ex ipsa natura identitatis fundata in veritate primi principii, ut constat ex dictis. Censeo secundum, nec esse reducibilem; quia syllogismus constat ex tribus, conversio ex duobus terminis, ut ergo non possunt duo termini evadere tres; ità nec potest conversio evadere syllogismus.

Sunt tamen, qui ejusm. reductionem possibilem autumant, addendo tertiam propositionem, in qua idem prædicatur de se ipso. Exemplum dant primò in simplici conversione universalis negativæ, quæ sic potest syllogizari in *Cæsare*: *Nullus homo est album, omne album est album, ergo nullum album est homo*. Exemplum dant secundò in conversione per accidens universalis affirmativæ, quam ità syllogizant in *Disamis*: *Aliquis homo est homo, aliquis homo est albus, ergo aliquod album est homo*.

Sed ista non placent, quia talis syllogizatio fit per modos imperfectos, qui cum omninò manifesti non sint, indigent ad sui majorem evidentiam reductione, adeoq; conversione, hinc primus syllogismus peccat, quia reduci non potest, nisi petendo principium, sic enim reducitur ad *Celarent*; *Nullum album est homo, omne album est album, ergo nullum album est homo*, in quo major propositio est ipsum consequens inferendum, secundus peccat, quia non potest reduci ad *Darii*, ita ut inferatur consequens conversionis, sic enim reducitur: *Omnis homo est albus, aliquis homo est homo, ergo aliquis homo est albus*, jam verò rursus recurrendum est ad regulam conversionis, ut ex hoc consequente inferatur per simplicem conversionem, quod *aliquod*

quod album sit homo. Utcumque ergò conversio reducatur ad syllogismum modo dicto, non tamen ità, ut ab eo aliquid evidentiæ mutuetur: quam habet ex integro in priori ad omnem syllogismum.

APPENDIX I.

De Conversione Modalium.

Advèrte primò propositionem modalem posse habere sensum compositum, & divisum, habet sensum compositum, cum modus præit, vel sequitur totum dictum, ut, *necesse est sedentem non currere*, vel, *sedentem non currere est necesse*. habet sensum divisum, cum modus mediat inter subjectum, & prædicatum dicti, ut *sedentem contingit currere*. Regula est autem universalis, quod nunquam in modalibus tenet vi formæ conversim, si fiat transitus à sensu composito ad divisum, vel à diviso ad compositū.

Adverte secundò dupliciter posse fieri conversionem modalium. 1. ut convertantur secundùm se totas, ità ut modus, qui erat subiectum dicti, fiat prædicatum, vel è contrario. atque hæc in rigore non est conversio, sed æquipollentia; perindè enim est dicere, *necesse est Deum esse*, ac, *Deum esse est necesse*. 2. ut conversio fiat in terminis dicti; & de hac erit præsens tractatio, & rursus de hac in sensu non diviso, sed composito.

1 Regula. Omnes modales de necessario, & de possibili sivè affirmativæ, sivè negativæ de dicto, convertuntur perinde, ut categoricæ de inesse. Ex eadem enim ratione, qua tenet, *omnis homo est animal*, *ergo aliquod animal est homo*, in quibus prædicata necessariò insunt, tenet, si addatur modus de *necesse*, aut modus de *possibili*, qui modo de *necesse* subalternatur. Idem valet in negativis.

3. Reg.

2 Reg. Modales de impossibili non convertuntur, ut categoricæ de inesse. Ratio est; quia cum ex impossibili sequatur quodlibet, contingere potest ut conversa sit impossibilis, & convertens possibilis; hinc non sequitur, *impossibile est omne animal esse hominem, ergo impossibile est aliquem hominem esse animal.*

3 Reg. modales de impossibili convertuntur ex opposito categoricarum de inesse; tenet enim in illis consequentia non à conversa ad convertentem, à convertente ad conversam. Ratio est; quia ex opposito, consequentis semper valet ad oppositum antecedentis. conversa autem est antecedens, convertens est consequens. ergo ab opposito convertentis tenet ad oppositum conversæ. sed modus *impossibile* semper verificat oppositum dicti sui. ergo tenet ab impossibilitate convertentis ad impossibilitatem conversæ. Ex. sit. *Impossibile est aliquod animal esse hominem. ergo impossibile est omnem hominem esse animal.*

4 Reg. modales affirmativæ de contingenti stricto, seu ad utrumlibet, non convertuntur eodem modo ut categoricæ de inesse. Scio alios aliter statuere. Sed mihi posita regula est evidens ex eo; quia ex contingente sequitur necessarium. quare poterit conversa esse contingens & convertens necessaria. hinc non tenet, *Contingit omne discursivum esse discurrens, ergo contingit aliquod discurrens esse discursivum.* similiter non tenet, *contingit omnem Deum esse creantem, ergo contingit aliquod creans esse Deum.* Idem accidit in particulari affirmativa: ut, *contingit aliquod animal esse sanum, ergo contingit aliquod sanum esse animal.* & ita est universim, ubi proprium in primo, aut tertio modo prædicatur de specie. Ad affirmativam ergo de contingenti, non sequitur conversa, nisi de possibili, ut benè notat Scotus. sic ad istam, *contingit omne animal esse sanum*, sequitur tantùm,

ergo

ergo possibile est aliquod sanum esse animal.
5 Reg. modales negativæ de contingenti stricto convertuntur eodem modo, ut simplices. Ratio est: quia dum A separatur à B, B etiam separatur ab A, præsertim, dum separatio est adæquata in universali; negativa enim particularis ex dictis non convertitur. si ergo contingit A separari à B, contingit pariformiter B separari ab A. tenet igitur sic arguendo, *contingit nullum, animal esse sanum, ergo contingit nullum sanum esse animal*; quod consequens est verum, non quia sanum est, & animal non est, sed quia nec sanum, nec animal est.

APPENDIX II.

De conversione modalium de contingenti in oppositam qualitatem.

NOt. 1. conversionem in oppositam qualitatem fieri, cum, manentibus iisdem subjecto, & prædicato, sola qualitas mutatur, ità ut affirmatio in negationem, negatio in affirmationem transeat, ut, *contingit Petrum sedere, ergo contingit Petrum non sedere*.

Not. 2. sermonem hic esse de contingenti stricto, seù ad utrumlibet, quod dicit scilicet simultaneam potentiam ad opposita: qualis est contingentia creaturæ ad esse, & non esse.

Not. 3. propositionem aliam esse contingentem contingentia subjecti; aliam esse contingentem contingentia prædicati. prima est, in qua tota contingentia est ex parte subjecti, quod potest esse, & non esse: cæterum si sit, non illi amplius contingit prædicatum. ita est contingens hæc propositio, *homo est rationalis*. secunda est, in qua contingentia se tenet etiam ex parte prædicati, quod potest inesse, & non inesse subiecto etiam existenti. sic est contingens ea propositio, *homo est sapiens*.

Sit jam 1. Regula. Omnis propositio modalis de contingenti, & de dicto singulari mutari potest in oppositam qualitatem. Ex. est primò in contingenti contingentia sola subjecti. *Contingit, Petrum esse hominem, ergo contingit Petrum non esse hominem*. 2. in contingenti contingentia prædicati: *Contingit Sortem esse sanum, ergo contingit Sortem non esse sanum*. Ratio est; quia dicta ejusm. singularia contradicunt. Jam vero evidens est, quod si unum contradictorium sit contingens, contingens est & reliquum; si enim reliquum esset necessarium, primum esset impossibile: & si reliquum impossibile, primum necessarium; ut patet per regulas æquipollentiæ modalium.

2 Reg. Universales de contingenti contingentia subjecti, dum mutantur in oppositam qualitatem, debent etiam mutare dicti quantitatem. Ratio est; quia universum non tenet, nisi à contingentia unius ad contingentiam alterius contradictorii: contradictoria autem in his conuertens non est, nisi mutet quantitatem in dicto. hinc sequitur, *Contingit omnem hominem esse animal, ergo contingit aliquem hominem non esse animal*. sed nisi quantitas mutetur, non tenet consequentia vi formæ. quod ostenditur inductivè primò in universali affirmativa; quia non valet, *Contingit omne ens esse Deum, ergo contingit nullum ens esse Deum*; antecedens enim est verum, & ità erat de facto ante mundi creationem; sed consequens est impossibile. secundò in universali negativa; non enim sequitur, *Contingit nullum ens esse Sortem ergo contingit omne ens esse Sortem*: cum antecedens sit verum, & ita est, dum Sortes non existit, sed consequens est necessariò falsum.

3 Reg. Universales de contingenti contingentia prædicati possunt mutare qualitatem, servata quantitate. quare sequitur, *Contingit om-*

omnem hominem esse sapientem , *ergo contingit nullum hominem esse sapientem* : & è contrario. neque in his reperio instantiam in oppositum. Ratio esse potest; quia accidens quodvis physicum, sivè proprium, sive commune, respicit speciem, quæ ut tota stare cum eo potest, ita & tota sine eo.

4 Reg. Particularis quælibet de contingente, dum transit in oppositam qualitatem, non debet mutare quantitatem. Hujus regulæ oppositam statuit Scotus 1. Prior. q. 30. sed exempla, quæ affert, videntur partim statutam à me regulam probare, partim non improbare. nam in affirmativa utitur hoc exemplo, *contingit quoddam ens esse Sortem, ergo contingit quoddam ens non esse Sortem*; in negativa utitur hoc alio: *contingit quoddam ens, non esse Deum, ergo contingit quoddam ens esse Deum*. neutram ipse consequentiam valere putat. Ego vero censeo, primam esse bonam. quidquid enim sufficit ad veritatem antecedentis trahit, quòd sufficit ad veritatem consequentis, adeoque non potest esse antecedens verum, quin sit verum & consequens. atqui ad veritatem antecedentis sufficit, quod *Sortes contingenter sit Sortes*, unde sequitur vi primæ regulæ. quod *Sortes contingenter non sit Sortes* : hoc autem sufficit ad veritatem consequentis; cum enim Sortes sit aliquod ens, aliquod ens contingenter non est Sortes. Exemplum allatum de negativa non est ad rem, cum non modo consequens, sed etiam antecedens sit falsum; de nullo enim demonstrato dicitur contingenter, quod non sit Deus. Cæterum si contingeret antecedens, contingeret & consequens propter rationem modò datam. quamvis enim particulares oppositæ secundùm qualitatem non contradicant immediatè, singulares tamen, quas exigunt ad sui veritatem, contradicunt. quare tenet ab una ad aliam conversio in qualita-

tem oppositam, sicut tenet in singularibus ex prima regula.

CAPUT VII.

Regula Oppositarum.

1 REg. Propositiones contradictoriæ neq; possunt esse simul veræ, nec simul falsæ adeoque à veritate unius sequitur falsitas, & à falsitate unius sequitur veritas alterius. Demonstr. 1. pars, quia dato opposito, sequitur, de eodem verificari simul esse, & non esse. sint enim ambæ istæ veræ, *Omnis homo currit, aliquis homo non currit*; jam ad istius particularis veritatem requiritur aliqua singularis vera, & sit ista, *Sortes non currit*, atqui in veritate universalis involvitur, quod Sortes, qui est homo currat. ergo Sortes currit, & non currit. Demonstr. 2. pars; quia dato opposito, sequitur, de eodem negari simul esse, & non esse. sint enim datæ propositiones ambæ falsæ, jam universalis debet in aliqua saltem singulari falsificari. sit ergo Sortes, in quo falsificetur, adeoque de Sorte negetur cursus. ex hoc autem sequitur, quod aliquis homo non currat. quare si hæc etiam propositio sit falsa, falsum erit, quod Sortes currat; adeoque Sortes neque currit, neque non currit.

2 Reg. Propositiones contrariæ non possunt esse simul veræ, sed possunt esse simul falsæ; adeoque à veritate unius sequitur falsitas alterius, sed non à falsitate veritas. Demonstr. 1. pars: quia dato opposito, sequitur pariter falsificatio primi principii. sint enim ambæ istæ veræ, *Omnis homo currit, nullus homo currit*. jam sequitur quod Sortes idem currat, & non currat. nam sequitur in *Darii*, *omnis homo currit, Sortes est homo, ergo Sortes currit*: & in *Ferio*,

Nul-

Nullus homo currit , Sortes est homo , ergo Sortes non currit. Demonstr. 2. pars. nulla est repugnantia, quod de distinctis dicantur contradictoria , v.g. de Petro quod sit sapiens , de Paulo quod non sit sapiens. sed hoc dato , utraque contraria est falsa ; nam prima falsificat universalem negativam , *nullus homo est sapiens* secunda falsificat universalem affirmativam *omnis homo est sapiens*.

Hæc 2. pars vera est gratia formæ, sed gratia materiæ possunt contrariæ propositiones mutuò repugnare etiam in falsitate, dum scilicet sunt in materia naturali, & remota. quod formaliter enim per se competit uni individuo speciei ,per se formaliter competit & reliquis: & quod per se formaliter ab eo removetur , pariter removetur à reliquis. hinc duæ istæ , *omnis homo est discursivus , nullus homo est discursivus* , falsæ simul esse non possunt.

3. Reg. subcontrariæ non possunt esse ambæ falsæ, sed possunt esse ambæ veræ. Demonstr. 1. pars. sint enim duæ istæ , *aliquis homo est dives, aliquis homo non est dives*, quæ supponantur ambæ falsæ , jam ex prima regula earum contradictoriæ erunt eo ipso ambæ veræ. sed earum contradictoriæ sunt inter se contrariæ . ergo contrariæ erunt simul veræ contra primam partem secundæ regulæ . Demonstr. 2. pars. contrariæ possunt esse ambæ simul falsæ ex secunda parte secundæ regulæ. ergo earum contradictoriæ tunc erunt simul veræ ex prima regula. sed earum contradictoriæ sunt invicem subcontrariæ . ergo subcontrariæ possunt esse ambæ simul veræ.

4. Reg. à subalternante ad subalternatam tenet consequentia affirmativè, sed non è contrario. à subalternata ad subalternantem tenet consequentia destructivè , sed non è contrario. Vide dicta cap. 5. de regulis penes propositiones quantas.

CAPUT VIII.

De Principiis Syllogismi regulativis.

DE his illud primum pronuncio, non solum debere esse evidentia, sed etiam primò evidentia, seu per se, & ex terminis nota. si enim sint nota per aliud, habent medium, quo probentur; probanda ergo erunt per syllogismum; adeoque non poterunt facere syllogisticam evidentiam, quam in priori supponunt.

Talia sine dubio sunt, quæ Philos. tradit, explicata per duas illas orationes imperfectas, *dici de omni*, & *dici de nullo*. Sensus primi est: *Quidquid dicitur de subjecto distributo, dicitur de quolibet contento sub tali subjecto*. Sensus secundi est: *Quidquid removetur à subiecto distributo, removetur à quolibet contento sub tali subjecto*. Horum principiorum si termini penetrentur, & vis distributionis intelligatur, apparebit illico eorum evidentia, & innegabilitas. Possunt autem ulterius probari, non quidem à priori, & ostensivè, sed deducendo ad impossibile, & per dicta cap. superiori. si enim hæc sit vera, *omnis homo est sapiens*, & aliquid sit sub homine, quod non sit sapiens, duæ contradictoriæ erunt simul veræ, nim. *omnis homo est sapiens*, & *aliquis homo non est sapiens*, adversus ibi demonstrata ex veritate primi principii. Idem sequitur, si hæc sit vera, *nullus homo est sapiens*, & aliquid sit sub homine, à quo *sapiens* non removeatur.

Hinc ulterius fit, ejusm. principia esse vera ex vi primi principii incomplexi; neque in sui veritate pendere ab illo alio, quod à nonnullis affertur, ut syllogismi regulativum, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. quod sane ut sit universaliter verum, indiget limitatione, præsertim ea, quod tertium sit distributum:

adeo-

adeoque tandem reducitur ad *Dici de omni* : Propterea nec Aristoteles , nec veteres Logici aliud unquam principium attulere ad syllogismum regulandum ; quam *dici de omni*; & *de nullo*.

Rursus ejusm. principia non regulant immediatè, nisi 4. primos propriæ figuræ modos directè, ac perfectè concludentes. Reliqui non regulantur ab his immediatè: Probat hoc Scotus 1. Prior. q.7. de modis secundæ, & tertiæ figuræ. quia ad hoc, ut syllogismus teneat virtute istorum principiorum, debet primò dici prædicatum de subiecto, seu medio universaliter sumpto : tum aliud debet sumi sub eo subiecto, atqui hoc explicitè non fit in modis secundæ ; in qua medium distributum prædicatur in utraque præmissa; adeoque nihil dicitur de ipso universaliter sumpto. Nec fit in modis tertiæ, in qua medium distributum subiicitur in utraque præmissa ; adeoque nihil sumitur sub subiecto; sumi enim sub subiecto est ei subiici , non de eo prædicari . Regulantur ergo modi imperfecti ab his principiis mediatè . mediantibus scilicet primis 4. ad quos reducuntur.

Præterea ab his ipsis principiis regulatur etiam syllogismus expositorius , constans scilicet medio discreto, seu singulari. Latè versat hanc rem Scotus 1. Prior. q. 11. ubi prius distinguit triplicem terminum discretum . Primus est , qui significat unam solam rem ; ita ut suæ significationi repugnet significare res diversas sine nova vel impositione , vel demonstratione . secundus est , qui significat unam rem singularem , & simul plures res , quibus res illa est eadem . talis terminus est *Essentia Divina* . tertius est , qui ita significat actu rem unam singularem , ut natus sit significare successivè plures , ut, inquit , *iste terminus* Sequana, *qui nunc significat aquam, qua nunc est , & posteà significabit aquam qua posteà erit omninò diversa ab ista* . Tum

refert aliquorum opinionem, quod expositorius ex terminis discretis primo modo semper est bonus: non sic, qui constat ex terminis discretis secundo, & tertio modo. Sed ipse hanc reprobat: quia sic expositorius non haberet formalem, sed materialem dumtaxat consequentiam.

Dicendum ergo syllogismum expositorium tenere vi formæ in omnibus terminis, modò reguletur per *dici de omni*, & *de nullo*; ita ut medium etiam singulare distribuatur, neque obstat, quod singulare non est capax distributionis, quia multa sub se non habet; quidquid enim sit de distributione positiva, est certe capax distributionis negativæ, ita ut sensus ejus propositionis, *Sortes currit*, sit iste; *nihil est Sortes, quod non currat*. hæc distributio si servetur, semper erit bona consequentia.

Hinc apparet, illum expositorium, *Essentia Divina est Pater, Filius est essentia Divina, ergo Filius est Pater*, non rectè concludere; quia ut concludat, debet major sic exponi, *nihil est essentia Divina, quod non sit Pater*: quæ tamen est propositio falsa, arguitur ergo à medio non distributo, adeoque nihil concluditur. Similiter peccat iste; *Sequana fuit à centum annis*; *hæc aqua est Sequana*: *ergo hæc aqua fuit à centum annis*. major enim non distribuitur; aliter esset falsa sic exposita, *nihil est, vel fuit sequana, quod non fuit à* 100. *annis* idem dic de expositorio negativo regulando per *dici de nullo*.

CAPUT IX.

Leges Syllogisticæ generales.

1 Regula est. Ex puris particularibus (idem est de indefinitis in materia contingenti, quæ particularibus æquivalent,) nihil sequitur.

Præ-

Præsens regula intelligenda est primò de consequentia syllogistica; nam extrà syllogismum multæ sunt bonæ consequentiæ ex particularibus deductæ. 1. in conversione. 2. in æquipollentia. 3. dum arguitur à copulativa ad singulas copulatas. 4. dum arguitur à disiuncta ad disiunctivam, &c.

Intelligenda est secundò, ut medius terminus sit particularis; si enim sit terminus discretus, consequentia est bona: ut, *quidam homo est Sortes: quoddam album est Sortes, ergò quoddam album est homo*. quam consequentiam esse bonam, demonstro per reductionem ad impossibile sic: *nullum album est homo; Sortes est quoddam album. ergo Sortes non est homo*; qui est syllogismus in Ferio, & conclusio contradicit convertenti majoris primi syllogismi. Ratio est; quia terminus discretus, quoad vim inferendi æquivalet termino communi distributo; perindè est enim Sortes, ac omnis Sortes: quià cum sit essentialiter unus, unus ipse est omnis ipse.

Intelligenda est tertiò, ut medium particulare non sumatur in minori cum relativo identitatis; aliter consequentia est recta, ut patet in hoc syllògismo: *aliquod album est Sortes, & illud est currens, ergo aliquod currens est Sortes*. Ratio est; quia tale relativum servat in medio constantiam suppositionis; adeoque tollit impedimentum illud, ratione cujus particulares non concludunt.

Cæterum si præmissæ sint ambæ particulares, & medium stet confusè, consequentiam non valere, demonstr. 1. ex regula consequentiæ, juxta quam ex vero non potest sequi falsum; at sequeretur, si puræ particulares concluderent; ut constat in exemplo: *aliquod animal est homo: aliquis equus est animal; ergo aliquis equus est homo*.

Demonstr. 2. syllogismus non concludit, nisi

reguletur per *dici de omni*, aut *de nullo*. sed ubi medium est particulare, per neutrum regulatur; quia nihil sumitur sub subiecto distributo, sed solum confuso. ergo.

2. Reg. Ex puris negativis nihil sequitur. Hęc etiam regula limitanda est ad syllogismum, extrà quem multæ sunt consequentiæ bonæ ex negativis puris, in conversione scilicet, æquipollentia, &c.

Intelligenda est secundò de syllogismo in quo negativa non æquivaleat affirmativæ, ut accidit, dum medium simpliciter sumptum in majori, sumitur in minori cum relativo diversitatis. quare rectus hic est: *Nullum animal currit; nullus homo est aliud ab animali; ergo nullus homo currit*. hoc autem contingit; quia major æquivalet universali affirmativæ, *omnis homo est animal*; adeoque syllogismus re ipsa est in *Celarent*. Idem accidit, dum medium variatur penes finitum, & infinitum; ista enim est bona consequentia, *Nullum non animal est homo, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo*. sed major, in qua ly *non* stat infinitanter, convertitur in hanc, *nullus homo est non animal*, ex qua sequitur hæc alia, *nullus homo non est animal*; & hinc rursus, quod *omnis homo est animal*, per regulam æquipollentiæ. quare syllogismus positus re ipsa est in *Camestres*.

Aliter potest variari terminus penes finitum, & infinitum, ut teneat ex negativis consequentia, dum scilicet terminus aliquis finitus negatur de uno, & idem infinitus negatur de eodem; tunc enim sequitur conclusio negativa de secundo adiacente. Exemplum est; *Nullus homo est lapis; nullus homo est non lapis; ergo nullus homo est*. quæ consequentia tenet vi alterius syllogismi; *Omne quod est, est lapis, vel non lapis; nullus homo est lapis, vel non lapis; ergo nullus homo est*. quare prior est syllogismus non perfe-

ctus,

ctus, sed inchoatus, qui tandem reducitur ad Camestres.

Cæterum in syllogismo, qui conficitur præcisè ex tribus terminis in modo, & figura, nihil sequi ex puris negativis, demonstr. 1. quia secus ex vero sequeretur falsum; ut videre est in hoc exemplo; *Nullus lapis est vivens; nullus homo est lapis; ergo nullus homo est vivens*. Demonstr. 2. ut syllogismus negativus concludat, regulandus est per *dici de nullo*; quod non fit in puris negativis; non enim ostenditur minor extremitas contenta sub medio distributo, sed potius ab eo removetur. nihil ergo concluditur; quia evidens est, quod removetur ab uno, posse non removeri ab alio disparato.

Hinc fit, nec concludere syllogismum ex præmissis formaliter affirmativis, & negativis æquivalenter, ut est videre in hoc; *Omnis homo differt à planta, omnis ilex differt ab homine, ergo omnis ilex differt à planta*. Accedit & aliud hujus syllogismi vitium, quod variatur medium; nam in majori subiicitur *homo*. in minori non subiicitur *homo*, sed *differens ab homine*.

3. Reg. medius terminus semper excludi debet à conclusione. Ratio est; quia vis syllogistica in eo est tota, ut ex connexione, quam habent extrema cum medio distributo, arguantur connexa inter se. sic igitur arguo. In conclusione non debet poni, nisi quod probatur; quod enim probat, est in præmissis. sed sola connexio extremorum inter se est, quæ probatur. hæc igitur sola statui in conclusione debet, in qua perinde nihil de medio enunciandum.

4. Reg. medium in altera saltem præmissarum debet distribui. Ratio est; quia secus non regulatur syllogismus per *dici de omni*, & *de nullo*, ut patet.

5. Reg. Distributio medii debet esse perfecta. hinc iste syllogismus non concludit; *Omne animal fuit in arca Noe; bucephalus est animal;*

 ergo

ergo bucephalus fuit in arca Noe. *animal* enim in majori non distribuitur perfectè pro singulis generum, sed imperfectè pro generibus singulorum. Et quidem medium distributum sic imperfectè, relatè ad individua non est distributum, nihil ergo ex 4. reg. conficitur relatè ad individua, quod si in minori pro *bucephalo* ponatur *equus*, pro individuo scilicet species, consequentia est recta, quia quoad species medium est distributum.

6. Reg. Si in conclusione aliqua extremitas distribuatur, quæ non fuit distributa in præmissis, consequentia non tenet; ut patet in exemplo: *Omne album est disgregativum*, *aliquis homo est albus*, *ergo omnis homo est disgregativus*. Ratio est; quia eo modo extremitas participat extremitatem, ut participat medium, quod est ratio participandi extremitatem, adeoque si non secundùm se totam participat medium, non potest secundùm se totam participare extremitatem. Eodem vitio laborat hic alius syllogismus. *Omne animal est vivens*, *nulla planta est animal*, *ergo nulla planta est vivens*. nam vivens in majori stat confusè, in consequenti distributivè. Undè termini non sunt tres, sed quatuor; aliud enim est vivens, quod in majori affirmatur de animali, aliud, quod in consequenti negatur de planta. Rursus nec regulatur hic syllogismus per *dici de nullo*; quia nihil sumitur sub planta, quæ una est in præmissis negativè distributa.

7. Reg. Conclusio semper sequitur debiliorem partem. Hæc regula plures habet sub se partes, quæ sunt seorsim enucleandæ.

Prima est. si ex præmissis altera sit particularis, conclusio est necessariò particularis, constat ex dictis in 6. reg.

Secunda est; Si ex præmissis altera sit negativa, conclusio est necessariò negativa; aliter nulla est, ut apparet in exemplo *nullum animal*

est

est planta, omnis homo est animal; ergo omnis homo est planta. Demonstr. syllogismus, in quo præmissa est negativa, regulatur per *dici de nullo*. hoc autem petit, ut removeatur extremum ab extremo, quod removetur à medio distributo. conclusio igitur talis syllogismi debet extremum ab extremo removere; adeoque debet esse negativa.

Cæterum quoad veritatem, & necessitatem conclusionem non semper sequi partem debiliorem, constat ex regulis consequentiæ, per quas ex falso potest sequi verum, ex contingenti, aut impossibili necessarium. Quamquam si benè attendantur, quæ superius in earum regularum probationem attuli, fortasse reperietur; præsentem in iis regulam non falsificari formaliter; quia falsum, dum probat verum, venit ut verum: & contingens aut impossibile sumuntur ut necessaria, dum probant necessarium. Accedit, quod veritas, & necessitas conclusionis in tali casu accipiuntur ab obiecto, non à præmissis, quare potest in his conclusio, non sumpta ut conclusio, excedere præmissas, quatenus habet aliam causam, à qua perfectionem trahat. Cæterum si sumatur præcisè ut conclusio, & ut non habens aliam causam præter præmissas, non potest non sequi falsitatem earum, & contingentiam: quemadmodum non potest non sequi probabilitatem, infirmitatem, inevidentiam aut utriusque, aut alterius ex præmissis, sumpta item ut conclusio est; sed potest non sequi sumpta ut propositio est aliunde probata, aut demonstrata.

Porrò quod conclusio quà talis sequatur partem debiliorem quoad alias imperfectiones præmissarum. modò numeratas, nihil ad rem præsentem. sequitur enim ex principio non logico, sed physico; quià scilicet effectus excedere non potest perfectionem suæ causæ: quod Aristoteles protulit sub iis terminis, *propter-*

quod

quod unumquodque tale, & illud magis. quamvis autem una præmissa sit inevidens, totum eo ipso antecedens est inevidens, quia malum ex singulis defectibus. quare non potest consequens esse evidens, & sic de aliis imperfectionibus.

CAPUT X.

Leges singularum figurarum propriæ. Pro modis directis primæ.

1. REg. In modis directis primæ figuræ major non potest esse particularis. Dem. aliter medium non esset distributum; adeoque nec regularetur syllogismus per *dici de omni*, nec per *dici de nullo*.

2. Reg. In iisdem modis minor non potest esse negativa. Dem. 1. quia dum syllogismus regulatur per *dici de omni*, nullam patitur propositionem negativam. dum vero regulatur per *dici de nullo*, exigit, ut in minori extremitas sumatur sub medio distributo. sumi autem sub medio est illi subiici affirmative. requiritur ergo minor affirmativa.

3. Reg. tantùm 4. sunt modi concludendi directè in prima figura. Dem. ex modò dictis, nam major in his semper est universalis, sed variabilis per affirmationem, & negationem; minor semper affirmativa, sed variabilis per universalitatem, & particularitatem. istarum autem possibilis non est, nisi quadruplex combinatio. Nam vel universalis est affirmativa; & hæc potest habere sub se minorem universalem; atque ità habetur *Barbara*; vel particularem; atque ità habetur *Darii*. vel universalis est negativa, & si hæc habeat minorem universalem. existit *Celarent*; si particularem, *Darii*.

4. Reg. Omnes isti 4. modi sunt consequentiæ formales; quià regulantur immediatè per posi-

posita principia infallibilia, & evidentia. Debent tamen servari tres conditiones. 1. quod medium in majori perfectè distribuatur. 2. quod servetur omnimoda identitas terminorum. 3. quod termini iidem teneantur uniformiter secundùm Logicas passiones, suppositionem scilicet, appellationem, ampliationem, &c.

Pro modis ejusdem figuræ indirectis nihil addo; quià non est in his primæ, & secundæ regulæ exceptio, nisi in *Fapesmo*, & *Frisesom*. qui tamen modi reductivè sunt *Ferio*, hujusque proinde leges æquivalenter servant.

Pro modis secunda.

PRo hac, & sequenti figura illud universaliter noto, non afferri pro istis, nisi modos directè concludentes, in quibus scilicet extremum minoris subiicitur extremo majoris; modi enim concludendi indirectè cum addant novam imperfectionem suprà imperfectionem figuræ, ambages erunt potius, quam syllogismi; ideoque vulgò omittuntur.

1. Reg. Ex majori particulari in secunda figura nihil sequitur. Dem. aliter ex vero sequeretur falsum; ut est in hoc syllogismo: *aliquod vivens non est animal, omnis homo est animal, ergo aliquis homo non est vivens*. in quo & vivens in majore confunditur, in conclusione distribuitur cont. 6. reg cap. sup. & animal; quod est medium, in minore confunditur; adeoque *homo*, qui sumitur sub ipso, non rectè in consequenti excludit à se vivens.

2. Reg. Ex puris affirmativis in secunda figura nihil sequitur. Dem. quia dato opposito, habentur eadem inconvenientia; ut videre est in exemplo, *Omnis homo est animal, omnis equus est animal; ergo omnis equus est homo*. Et quidem medium in his nunquam distribueretur, cùm

in

in affirmativis prædicatum semper supponat confusè ex 3. reg. supposit.

3 Reg. Conclusio secundæ figuræ semper est negativa. Dum altera præmissarum est negativa, conclusio semper est negativa ex 7. reg. cap. sup. sed ex præcedenti semper altera hujus figuræ præmissa est negativa. ergo.

4. Reg. Quatuor tantum sunt combinationes utiles secundæ figuræ. Dem. Dum ambæ præmissæ sunt universales, modo altera sit affirmativa, altera negativa, bonus est syllogismus: ex quo sunt primæ duæ combinationes utiles in *Cesare*, & *Camestres*: quas rectè concludere, constat reducendo. Rursus si majori universali negativæ apponatur minor particularis affirmativa in *Festino*: aut majori universali affirmativæ subdatur minor particularis negativa in *Baroco*, non minus recta est consequentia. nec possibilis est alia combinatio, quin fiat contrà aliquam ex regulis demonstratis, ergò.

Pro modis tertiæ.

1. REg. Ex minori negativa in tertia figura nihil sequitur. ostenditur in exemplo: *Omnis lapis est substantia, nullus lapis est homo, ergo aliquis homo non est substantia.* Ratio est; quià major extremitas non distributa in majori distribuitur in conclusione: ex quo fit, ut ex vero sequatur falsum, &c.

2. Reg. Conclusio in hac figura semper sequitur particularis. Dem. quià si liceret inferre conclusionem universalem, maximè dum utraque præmissa est universalis; dum enim altera est particularis, conclusionem esse particularem constat ex 7. reg. cap. sup. at neque tunc licet; quià duplex est in hac figura combinatio utilis universalium præmissarum, altera, in qua utraque sit affirmativa in *Darapti*: altera,

ra, in qua major sit negativa, & minor affirmativa in *Felapton*; nam tertia, in qua major sit affirmativa, & minor negativa, exclusa est per primam regulam: quarta, in qua utraque sit negativa, excluditur per secundam cap. sup. at si in *Darapti* conclusio esset universalis, ex vero sequeretur falsum, ut patet in hoc exemplo, *Omnis stella est lucida, omnis stella est corpus, ergo omne corpus est lucidum*. Ratio est; quia arguitur à non distributo ad distributum; *corpus* enim confunditur in minore, & distribuitur in conclusione. Idem accidit in *Felapton*, in quo cum minor sit affirmativa, prædicatum ejus non distribuitur, perperam ergo distribueretur in consequente.

5. Reg. sex tantum sunt tertiæ figuræ combinationes ad concludendum utiles. Et quidem in præcedenti ostensum est, combinationes utiles utriusque præmissæ universalis non esse in hac figura, nisi duas. His adde, quod cum minor negativa esse non possit ex prima, consequens est, ut combinationes ex universali, & particulari non supersint, nisi quatuor. ex particulari, & universali affirmativis in *Disamis*: ex universali, & particulari affirmativis in *Datisi*: ex particulari negativa, & universali affirmativa in *Brocardo*: ex universali negativa, & particulari affirmativa in *Ferison*. Omnes istæ combinationes probantur utiles per reductionem, reliquæ probantur inutiles; quia peccant contra aliquam ex regulis stabilitis.

CAPUT XI.

Leges Syllogismorum modalium.

1. Regula, ex utraque præmissa de necessè fit eodem modo syllogismus in qualibet figura, ut ex utraque de inesse. Dem. in omni consequentia bona si antecedens est necef-

cessarium, necessarium est etiam consequens, si ergo utrique præmissæ in quavis figura syllogizatæ addi potest modus de necesse, idem potest, & debet addi consequenti; quia similiter consequens est necessarium, & ut tale sequitur ex antecedenti.

2. Reg. ex utraque præmissa de possibili constituente unum antecedens possibile in quavis figura sequitur consequens de possibili. Dem. ut præcedens, ex regula consequentiæ, quod ex vero non nisi verum, adeoque ex possibili non nisi possibile. Dixi, *constituente unum antecedens possibile*, quod non solùm importat præmissas possibiles, sed etiam compossibiles, ut dictum est cap. 4. §. *Pro 9. reg.* hinc non sequitur, *Possibile est omne currens esse equum, possibile est omnem hominem esse currentem, ergo possibile est omnem hominem, esse equum*. quia præmissę si perpendantur, implicitè repugnant. Hinc est discrimen inter modales de necesse, & de possibili; quia omnis necessaria est cuilibet necessariæ connecessaria: sed non omnis possibilis est cuilibet possibili compossibilis.

3. Reg. Ex utraque præmissa de impossibili non sequitur vi formæ conclusio de impossibili. Dem. in exemplo: *Impossibile est omnem lapidem esse animal; impossibile est omnem hominem esse lapidem: ergo impossibile est omnem hominem esse animal.* Ratio est; tum quia ex impossibili sequitur quodlibet; tum quia præmissæ æquivalent puris negativis, ex quibus nihil sequitur.

4. Reg. Ex utraque præmissa de contingenti stricto non sequitur vi formæ conclusio de eodem contingenti. Ostenditur in hoc syllogismo: *Contingit omnem hominem moveri; contingit omne currens esse hominem, ergo contingit omne currens moveri.* Ratio est; quia ex contingenti sequi potest tum contingens, tum necessarium.

5. Reg.

5. Reg. Ex una de necessario, & altera de inesse nunquam sequitur vi formę conclusio de necessario. Hæc regula sic universaliter statuta non admittitur communiter à summulistis, mihi tamen est evidens, eamque ostendo cum Scoto 1. Prior. q. 23. in 4. p. primæ. Indubitatum enim est apud omnes, quod si in his major sit de inesse, & minor de necessario, conclusio non sequitur de necesse. Patet in exemplo syll. affirm. *Omne animal movetur, necesse est omnem hominem esse animal, ergo necessè est omnem hominem moveri*. & in ex. negativi. *Nullum animal est album: necesse est omnem hominem esse animal: ergo necesse est nullum hominem esse album*. Ratio est; quia ex quo extremum necessario continetur sub medio distributo, sequitur quod prædicatum dictum de medio, necessariò, aut contingenter tribuatur extremo, prout medio necessariò, aut contingenter idem tribuitur, non ergò sequi in tali casu potest, nisi vi materiæ, ut extremum de extremo necessariò dicatur.

Idem est, etiamsi major sit de necessario, quod vulgò negant. sed ostenditur prius in syllog. affirm. *Necessè est omnem hominem esse animal; omne album est homo; ergo necesse est omne album esse animal*, tum in negativo. *Necesse est nullum hominem esse lapidem; Omne calidum est homo; ergo necesse est nullum calidum esse lapidem*. Ratio est, quia quod necessariò tribuitur medio distributo, non necessariò tribuitur cuicumque contento sub tali medio, nisi illud necessariò contineatur. Si enim contineatur solum contingenter, sicuti contingenter de illo dicitur medium, ità & poterit contingenter de illo dici prædicatum medii. Atqui extremum quandoque continetur sub medio solum contingenter, ut patet in datis exemplis, ergo quamvis major sit de necesse, si de inesse sit minor, potest sequi conclusio non de necessè.

6. Reg. Ex una de possibili, & altera de inesse semper sequitur conclusio de possibili. Dem. 1. quia in nullo modo ullius figuræ est in contrarium instantia. 2. quia possibile ut est quid commune necessario, & contingenti, involvitur in quavis propositione vera; nihil enim est verum, quin possibile sit ita esse, ut dicit, atqui ex vero non sequitur, nisi verum, ergo ex possibili, & vero in præmissis assumpto sequitur possibile.

Sed hic etiam apponenda conditio secundæ reg. ex cujus defectu non sequitur: *Possibile est omne album esse equum, omnis homo est albus, ergo possibile est omnem hominem esse equum*.

7. Reg. Ex una de impossibili, & altera de inesse non sequitur vi formæ conclusio de impossibili. Patet ex dictis in quinta; nam similiter hæc consequentia est nulla. *Impossibile est omnem hominem esse lapidem, omne calidum est homo: ergo impossibile est, omne calidum esse lapidem*. Ratio proportionaliter est eadem; quia quod necessariò removetur à medio, non necessariò removetur ab extremo, nisi extremum necessario contineatur sub medio.

8. Reg. ex una de contingenti, & altera de inesse non sequitur vi formæ conclusio de contingenti. Patet ex quarta, si dato ibi syllogismo apponas hanc minorem, *omne currens est homo*.

9. Reg. Ex una de contingenti, & altera de necessè non potest sequi conclusio de necessè. Patet ex quinta.

10. Reg. Ex una de contingenti, & altera de necessè in modis perfectis sequitur conclusio de contingenti, ut, *Necessè est omnem hominem esse animal: contingit omne album esse hominem: ergo contingit omne album esse animal*, vel: *Contingit omne animal esse album: Necessè est omnem hominem esse animal: ergo contingit omne hominem esse album*. &c. Demonstr. convenien-

venientia extremorum est contingens eo ipso, quod alterum eorum contingenter convenit medio, & alterum necessariò, sed hoc contingit in præmissis modalibus ità dispositis, ut per se patet. ergo sequitur conclusio, in qua convenientia extremorum est contingens: & per consequens conclusio de contingenti. ma. prob. talis enim convenientia extremorum, nec potest esse impossibilis, ut constat: nec necessaria; si enim A potest stare sine B potest stare sine omni eo, quod est essentialiter cum B connexum, quia juxta regulam consequentiæ 6.cap.4. demonstratam, quod est connexum cum A, est connexum cum omni eo, quod est cum A connexum; & per consequens si cum aliquo connexo cum A non connectitur, nec connectitur cum ipso A. Restat ergo ut talis extremorum convenientia sit contingens.

CAPUT XII.

Regula ad Fallacias dignoscendas.

Fallacias perinde est dignoscere, ac solvere. Jam verò huic uni operi hactenus est laboratum; quicumque enim syllogismi peccant adversum aliquam ex regulis consequentiæ hactenus traditis, fallaces sunt, & non rectè concludunt. Quia tamen ab Aristotele, & aliis traduntur præterea nomina fallaciarum, quæ solent in syllogismis committi, eas hic brevissimè adducam, & explicabo.

1. Aequivocatio est fallacia proveniens à dictione significante plura, quibus non est una communis ratio; unde terminus medius pro alio stat in una, pro alio in altera præmissa, ex. g. *Quodcumque ridet, habet os: pratum ridet ergò habet os.*

2. Amphibologia est æquivocatio non in dictio-

dictione, sed in oratione: ut, *Qui littus arat, terram scindit: Qui operam perdit, littus arat: ergo qui operam perdit, terram scindit.*

3. Fallacia sensus compositi, & divisi habetur; cum ab uno ad alterum arguitur: quæ consequentia nunquam tenet vi formæ, hinc non valet: *Nullum album potest esse nigrum: omnis paries est albus: ergo nullus paries potest esse niger.* major enim est solum vera in sensu composito albi cum nigro, consequens in sensu diviso albi à nigro. similiter hæc non valet. *Omnis paries potest esse niger: aliquod album est paries: ergo potest aliquod album esse nigrum*, in quo arguitur à sensu diviso ad compositum. Huc reducuntur variationes appellationum à formali in materialem, aut è converso; sic. *Hic equus est Pater: hic equus est tuus: ergo hic equus est Pater tuus*, & *Sortes est bonus, & est Philosophus, ergo est bonus Philosophus.*

Sed hic noto, ut non teneat universim vi formæ à divisis ad conjuncta (quod patet in datis exemplis, aliisque sexcentis) tenere tamen non rarò ratione materiæ. Quod si apponantur duæ conditiones in ejusmodi consequentia servandæ, semper tenebit, & per consequens poterit appellari consequentia formalis. Prima est, ut non varietur appellatio, idcirco non tenet, *Sortes est bonus, & est pistor, ergo est bonus pistor*, quià in antecedente *bonus* appellat Sortem, in consequente pistorem. Secunda est, ut determinatio non transeat à determinando uno ad determinandum aliud, hinc non tenet, *tu scis tantum tres homines currere. ergo tantum tres homines currunt*. nam ly *tantum* determinat in antecedente verbum *scis*, & facit sensum divisum ab adjuncto prædicati: in consequente contra. Hinc est, ut si prædicata sint absoluta, & necessaria, semper teneat à divisis ad coniuncta; quia in his nulla est variatio appellationis, quæ est præci-

pua

pua hujus fallaciæ causa, hinc valet, *Petrus est animal, & est rationalis: ergo est animal rationale.*

4 Figura dictionis fallit per dictionum similitudinem, & habetur præsertim cum mutatur clam medium per mutationem occultam prædicamenti sic: *Quod emisti, comedisti: carnem crudam emisti: ergo crudam comedisti* in quo subjectum majoris stat pro carnis substantia, à qua fit transitus in minore, & consequentia ad carnis cruditatem, quæ est ejusdem qualitas; adeoque mutatur quid in quale.

5 Fallacia accidentis habetur cum subiecto tribuitur, quod est proprium accidentis, aut viceversa. Accidens autem dicitur à Philosopho prædicatum non quodcumque, sed quod est subjecto ex parte idem, & ex parte diversum. Hoc autem notandum pro Nominalibus, qui, dum in materia de modorum distinctione adversus ipsos arguimus, semper à nobis committi autumant fallaciam accidentis; cum tamen juxta ipsos prædicatum sit omninò idem cum subiecto. Exemplum fallaciæ est: *Viventem video: Coryscus est veniens: ergo video Coryscum.* Consulatur reg. 4. appellat. c. 2. similis est illa: *homo est species: Petrus est homo: ergo Petrus est species*: de qua vide quæ latè dicam lib. 2.

6 A secundùm quid ad simpliciter est deceptio procedens ex eo, quod duo ista confunduntur, & ab uno aliud infertur. ut si arguatur Sortes bonus ex eo, quod sit bonus medicus, aut Sortes esse, quia est cognitus. quæ consequentiæ nullæ sunt, quia procedunt à dicto secundum quid, & cum addito diminuente ad dictum simpliciter, & sine addito. Idem contingit ex opposito, si ex prædicato simpliciter tali inferatur idem cum addito, ut si, quia reddenda sunt arma domino, concludatur eadem reddenda domino furioso.

7 Habetur ignorantia Elenchi (est Elenchus,

seu

ſeu Redargutio ſyllogiſmus probans contradi-ctoriam propoſitionis conceſſæ) cum adverſarius reducitur apparenter ad negandum, quod conceſſit, cum reverà, quod infertur, non ſit oppoſitum conceſſi; atque adeo peccatur contrà leges oppoſitionis. ut ſi quis aſſerens, *Aethiopem eſſe album ſecundum dentes*, redarguatur probando, *Aethiopem non eſſe album*. Huc revoco genus quoddam argumentationis, quod novi quibuſdam Recentioribus familiare; qui quidem, ut clavum clavo trudant, *ſi tu*, inquiunt, *hoc dicis*; & *ego hoc aliud aſtruam*; quam ego ſolitus ſum appellare Reductionem ad impoſſibile diſparatum; quia nec eſt propoſitio oppoſita dicto, nec impoſſibile, quod ſequitur ad dictum; ut patebit in decurſu.

8. Petitio principii committitur, cum concluſio ipſa aſſumitur in ſui probationem. Concluſio appellatur principium, quia primò proponitur, ut ad ipſam probatio dirigatur. dicitur autem peti, cum eadem ſub iiſdem, ut aliis verbis ad ſe confirmandam adducitur. Taliseſt probatio, in qua aſſumitur pro medio definitio quid nominis, ut oſtendam infrà l.4.q.2. c.3.

9. Fallacia conſequentis habetur, cum invertuntur bonæ conſequentiæ leges, ut ſi ex conſequente ad antecedens arguatur affirmativè, aut ex antecedente ad conſequens negativè adverſus ſtabilita cap.4.

10. Non cauſa ut cauſa habetur, cum aliquid abſurdi alicui tribuitur, quod non ab ipſo,ſed aliundè principaliter derivatur, ut ſi quis vites exſcindi jubeat, quod multi ebrii fiant;cum tanta ebrietas non tam vini, quam abutentis vino ſit effectus.

11. Ultima eſt fallacia plurium interrogationum per modum unius, ut ſi petatur, ſit nè Sortes homo, & aſinus? cui interrogationi ſi affirmativè reſpondeas, inferet ſophiſta, Sortem eſſe aſinum, ſi negativè, inferet, Sortem

non

non esse hominem. Hujusmodi interrogationibus captiosis occurrendum multiplici responsione. potest etiam adhiberi una responsio negativa; cum enim sit copulativa, ad ejus falsitatem satis est falsitas alterius copulatæ.

CAPUT XIII.

De Regulis obligationum:

De obligationibus tractant veteres summulistæ, Occam 3.p. Log. à cap.38. Venetus tract.5. cap.1. Martinus Malenfelt in speciali de obligatoriis tractatu, & alii. Est autem utile Logicam obligationem, ejusque regulas noscere ad rectè disputandum; est enim obligatio, quæ resultat ex quadam specie contractus arguentem inter, ac defendentem, & habet plures species.

1. Est Positio, quæ habetur, cum arguens ponit, seu supponit aliquid ut verum, & defendens illud idem ut verum acceptat. Prima hujus regula est, quæ ostendit, quando sit acceptanda: & dicitur universim, quod omne possibile positum est admittendum. De positione impossibilis rectè distinguit Occam, quod absolutè nullum impossibile est recipiendum, ut verum: quod per se patet: sed potest recipi conditionatè. & in ordine ad aliquam consequentiam ex eo inferendam. quare si quis tibi ponat istam, *Spiritus sanctus non procedit à Filio*, non est acceptanda, sed reiicienda. at si eam ponat, ut videat, an ex ea sequatur indistinctio Patris à Filio, est admittenda. Aliæ sunt regulæ Positionis, quæ ostendunt, ad quid teneatur, qui eam admisit, & dicitur propterea *Obligatus* intrà tempus obligationis. Istæ autem quamvis multæ à Summulistis traditæ ad duas reducuntur. 1. tenetur ad omnes regulas consequentiæ, quare omne pertinens sequens ad positum; con-

cedendum: omne pertinens repugnans posito, negandum. 2. ad impertinens intra tempus obligationis respondendum juxtà suam cujusque qualitatem, ut verum concedatur, negetur falsum, dubium dubitetur.

2. Species est Depositio, quæ habetur, cum arguens statuit aliquam propositionem sustinendam negativè, in eamque promittit defendens. ex quo apparet, omnem propositionem unius esse simul contradictoriæ depositionem; qui enim sustinet affirmativè unam, tenetur alteram contradictoriam negativè sustinere. quapropter quæ sunt positionis regulæ, eædem proportionaliter sunt depositionis.

3. est Casus, qui quidem ad Positionem reducitur, nisi quod Casus semper est in singularibus: ut si dicas, *Detur Casus, quod Sortes sit albus*, tres de hoc regulas tradit Occam. 1. ut nunquam recipiatur casus, nisi particulare certificetur. 2. ut nunquam casus admittatur ad sustinendum impossibile: quod mihi videtur intelligendum de admissione absoluta, non de conditionata. 3. ut casus non recipiatur repugnans actui responsionis. ut si arguens portat casum, quod defendens sit mortuus.

4. Obligationis species est petitio, quæ obligat ad aliquem actum pertinentem ad respondentis officium, ab eoque exercendum. Dat Occam hoc exemplum ut si opponens dicat; *Peto ut concedas primam propositionem à me proponendam*: quæ petitio, inquit, recipienda est. Ego verò non eam reciperem. quid enim, si mihi deinde ponat, me esse asinum? Rationabilius ait, peti posse, ut concedatur quælibet propositio consequens ad concessam; cui petitioni consentiendum à respondente omnino. Addit demum huic obligationi non magnum esse locum in scientiis.

5. Est Dubitatio, quæ ponit aliquid ut dubium, cujus hæ sunt regulæ. 1. ad dubitatum

tempore dubitationis recurrens semper respondendum est dubiè. 2. dubiè item est respondendum ad omne pertinens repugnantia: quia dubium utramque partem contradictionis afficit. 3. si consequens dubitati sit falsum, non potest negari (quidquid dicat Occam) quia dum negatur, sumitur ut falsum: hæcautem sumptio tollit dubitationem antecedentis, quia falsum non potest sequi, nisi ex falso hoc autem obligationi repugnat. 4. si consequens dubitati sit verum, debet concedi; quia veritas consequentis ut stat cum falsitate, ita & à fortiori cum dubio antecedentis. 5. Ad impertinens respondendum juxta cujusque qualitatem.

6. Est Institutio, cum novum vocabulum, aut nova vocabulo significatio imponitur pro tempore disputationis, & non ulterius duratura. quod contingit, vel ut brevior sit locutio: vel qui à disputatur de re ignota, pro qua instituta jam vocabula non suppetunt. De hac unam regulam statuit Occam adversus sophistas in materia Insolubilium: de quibus vide lib.3.q.3.c.4.

CAPUT XIV.

Definitionis, ac Divisionis Leges.

DEfinitio alia est quidditativa, alia descriptiva, alia nominalis, prima dicitur absolutè definitio: secunda descriptio; tertia interpretatio, seu definitio quid nominis.

Definitio propriè dicta est oratio indicans quid est esse rei per essentialia. Ut sit bona, has habere debet conditiones. 1. ut sit clarior definito non quidem semper secundùm voces, sed secundùm rem; debet enim explicare intimam rei naturam, & prædicata. Ex quo habes, quam sit ridicula, & puerilis objectio, quam nonnulli contrà Aristotelem instruunt, ut probent definitionem esse potius rei obscurativam, quam

declarativam; *quisque enim*, inquiunt, *intelligit, quid dicas, dum dicis hominem sed non, si dicas, esse animal rationale*. hoc namque ut sit verum de vocibus, his tamen penetratis, hominis substantiam per *animal rationale* melius, quam per *hominem* tenes. 2. ut convertatur cum definito; cum enim explicet naturam, explicat consequenter, quod est rei propriissimum; proprium autem convertitur: aliter non est proprium, sed commune. 3. ut constet ex genere, & differentia: in rei enim cujusque natura sunt prædicata, per quæ cum aliis convenit, & ab aliis secernitur. 4. ut non apponatur in definitione nisi ultimum genus, & ultima differentia, nam & ultimum genus omnia superiora continet: & donec apponatur ultima differentia, res ipsa non explicatur. 5. demum ut non peccet per excessum, aut per defectum.

Descriptio est, in qua pro prima & essentiali rei differentia ponitur proprium, ut si describas hominem, *animal admirativum*. Hujus conditio est prima, ut sit clarior descripto, secunda ut proprium, quod additur, sit in quarto modo; sic enim conficitur rigorosa descriptio, quæ convertatur cum descripto.

Interpretatio sæpè est una nominis ethymologia, ut si *hominem* dicas vocem ab *humo* derivatam. sed apud Logicos rigorosa interpretatio, seu *quid nominis* definitio est ea, quæ præcedit omnem de se quæstionem, & est nata evadere definitio quid rei, dum ad quæstionem, *an est*, respondetur affirmativè. sic dum ante quæstionem de compositione continui punctum definitur, *Id cujus nulla pars est*, hæc non est nisi nominis notio, de qua convenit inter disputantes. tum verò Zenoni affirmanti continuum componi ex punctis, hæc eadem erit definitio *quid rei*, Aristoteli neganti puncta hæc eadem erit definitio sola *quid nominis*; non enim habet rem, pro qua supponat.

Præ-

Præter has est apud summulistas alia definitio, quæ dicitur *data per additamentum*; & habetur, cum in definitione rei ponitur aliquid rei omninò extrinsecum; ut si dicas; *albedo est color disgregativus visus*, visus enim est potentia omninò extrinseca albedini, & colori. Hinc habes, quod definitio, quæ appellatur à Recentioribus *causalis*, reducitur, vel ad quidditativam, si sit data per causas intrinsecas materialem, & formalem, quæ sunt rei constitutivæ: vel ad definitionem *per additamentum*, si sit data per causas extrinsecas, efficientem scilicet, & finalem.

Sit jam 1. Regula. Nec ratio ulla transcendens, nec ratio ulla simplex capax est definitionis rigorosæ. Nam ratio transcendens non habet aliam rationem superiorem, per quam tanquam per genus definiatur; nec ratio simplex habet rationem communem, & propriam; aliter non esset simplex, sed composita.

2. Reg. In nullius bona definitione poni rectè potest ratio aliqua transcendens. tum quia transcendentia non sunt genera, ut infrà probabitur. tum quia sunt notissima, & frustrà proinde adduntur. tum præcipue quia definire est rem circumscribere, adeoque limitare, distinguere, ac separare; sed transcendentia non sunt nata separare, ac distinguere. ergo nec definire.

3. Reg. Res non definitur ut in se, sed ut in anima, adeoque in suppositione non personali, sed simplici. Prob. tum quia definire est terminus non primæ; sed secundæ intentionis, qui termino primæ appositus facit illum stare non personaliter, sed simpliciter, ut patet ex 5. reg. suppos. cap. 1, tum quia definire est explicare: non explicatur autem res ut in se, sed ut in anima sub conceptu obscuro, quem oporteat declarare.

4. Reg. Nomina propriè connotativa non ha-

bent definitionem quid rei, sed quid nominis; ut dum dico, *album est habens albedinem*. Prob. ejusm. enim nomina important plura ut plura, subjectum nim. & formam: plura autem ut plura non possunt unica definitione definiri, quod si dicas, hanc esse definitionem *quid rei*, album est disgregativum visus; resp. esse definitionem *quid rei* non albi, sed albedinis, quæ adiicitur subjecto perinde ut forma, & formæ loco.

5. Reg. In definitione per additamentum extrinsecum, quod adjicitur, debet esse notius. Patet; quia secus non notificat. Hinc habes 1. unum contrarium non rectè definiri per aliud v. g. calidum per frigidum. Ratio est, inquit Occam; quia licet unum contrarium sit altero perfectius, adeoque aliquo modo notius secundùm naturam; non tamen est notius quoad nos. Habes 2. habitum non rectè definiri per privationem, rectè tamen privationem per habitum; privatio enim supponit habitum, & per illum innotescit. non è contrario. Habes 3. permanens non definiri per successivum, sed hoc per illud, nam successivum supponit permanens; tempus enim supponit motum, & motus spatium, per quod notificatur, ut patebit in physicis. Habes 4. Relativum in rigore non posse definiri per correlativum (quia sunt æquè nota, aut æquè ignota) sed per terminum absolutum. Vide, quæ de hoc dicam in c. de specie, & in de. Prædicamentis c. 8.

Deinde divisio est oratio totum in suas partes distribuens. Nomine totius hìc venit totum potestativum, h. e. genus, cujus est propriè dicta Logica divisio instituta ad vitandam in doctrina confusionem. Leges divisionis sunt 1. ut sit adæquata; h. e. ut omnes partes invicem segreget; si enim aliquam relinquat in toto, confusionem omninò non tollit. 2. ut fiat per membra opposita sive re, sive ratione. cum enim omnis divisio sit inter distincta (nam idem non

po-

potest à se dividi, omnis erit inter opposita; quia omnis distinctio oppositionem involuit aut realem, aut formalem pro modo distinctionis. 3. ut nulla pars seorsim adæquet totum, aliter non erit divisio totius in partes, sed totius in totum. 4. ut unum membrum non includatur in alio; aliter non fieret per opposita, nec vitaretur confusio.

CAPUT XV.

De Argumento Mirabili.

MIrabile appellatur argumentum in quo ex uno contradictorio infertur aliud, ut si diceres; *homo est bipes, ergo homo non est bipes*. mirabile dicitur, quia admirationem audientibus parit, quod terminis pertinentibus repugnantia utamur tanquam pertinentibus sequela; & ex veritate contradictoriæ unius, undè sequitur alterius falsitas, inferimus alterius veritatem; atque adeo concludimus omninò paradoxicè, & ab inexpectato. Cardanus l. 5. de propr. propos. 201. apud Clavium in lib. 9. elem. Eucl. gloriatur se omnium primum hanc rationem demonstrandi invenisse. sed immeritò: nam multò anteà usus ea fuerat & Theodosius in sphæricis prop. 12. & Euclides l. 9. prop. 12.

Ut ergò de hoc etiam arguendi genere non nihil dicam, Pono primò, nullam propositionem simplicem tum formaliter, tum æquivalenter, posse concludere suam contradictoriam. Ratio est evidens ex lege contradictionis, quæ singularibus est ipsa veritas primi principii cōplexi, & hinc fuit cap. 7. demonstratum hoc idem de propositionibus quantis. Prætereà nullum impossibile est simplex (involuit enim affirmationem, & negationem cadentes suprà idem) atqui omnis propositio composita cum

sua contradictoria, eamque trahens est impossibilis. ergo nulla talis est simplex.

Pono secundò dari propositionem simplicem explicitè, implicitè compositam ex esse, & non esse. talis est ista, *Chimæra est*, quæ non explicat nisi esse, sed cum in subjecto sit esse, & non esse, implicat consequenter etiam non esse & æquivalet huic, *esse, & non esse est*. talis est hæc alia, *tantum creatura est*, quæ involvit hanc aliam impossibilem, *Deus non est*.

Pono 3. propositionem ejusm. affirmativam impossibilem probare vi formæ suam contradictoriam, quæ scilicet appareat, & revera non sit contradictoria antecedentis, sed pars in antecedente inclusa. Exemplum affert Scotus in hac, *tantum pater est*, ex qua sequitur vi formæ, *ergo non tantum pater est*. sic enim arguo: *tantum pater est, ergo pater est*. ab exclusiva ad præjacentem. *pater est, ergo filius est*, ab uno correlativo ad reliquum in propositione de 2. adjacente. *Filius est, ergo aliud à patre est*. tenet vi oppositionis relativæ. *aliud à patre est; ergo non tantum pater est*. vi undecimæ reg. de exclusivis. à primo nunc ad ultimum ex 6. reg. conf. sequitur, *tantum pater est, ergo non tantum pater est*.

Pono 4. ejusm. consequentiam re ipsa tenere vi primæ regulæ hypotheticarum, per quam à copulativa affirmativa ad quamlibet copulatam seorsim bona est consequentia; quæ fuit ibi in primo corollario extensa etiam ad copulativam de partibus contradicentibus. in antecedente enim continentur contradictoria; cum præjacens involvat aliud à patre, quod negat nota exclusionis. Ex quo ulterius fit, modum istum arguendi esse non ostensivum, sed deducentem ad impossibile, ostendit enim antecedentis impossibilitatem, ostendendo contradictoria in eo involui.

Hoc totum valet pariter in consequentia affirmati-

mativa deducta ex negativa antecedenti: ut, *non tantum hic Deus est Deus, ergo tantum hic Deus est Deus*: in cujus antecedente cum involvatur in prædicato essentialis unicitas, quæ negatur per negatam notam exclusionis, consequens est, ut in eodem involuantur contradictoria, atque ità proceditur ad consequentiam affirmativam, contradictoriè in specie oppositam, re ipsa inclusam. Hoc est totum hujus argumentationis mysterium, quod mihi hactenus occurrit, si aliud aliis visum præterea fuerit, libentissimè discam.

Atque ità finem Logicis præceptionibus impono: in quibus video multa omninò deesse, multa esse manca, & obscura; ordinem alii, ac methodum meliorem, qua regulæ una ex alia, mathematico more descendant, desiderabunt. Sed infinitam hanc legum sylvam primum præcidere visum est; tum quod aliæ non ità utiles; tum quod aliæ alibi, ut se dederit locus, in progressu operis tractabuntur. Quoad reliqua partim ingenium defuit, partim otium: quin etiam, nec par affuit tricis hisce spinosissimis patientia, Animus certè probabitur juvandi publicum studiosus, cui satis est viam monstrasse, incitasseque alios, qui hoc stadium accuratius, feliciusque decurrant.

LIBER SECUNDUS

De iis, quæ spectant ad simplicem intelligentiam.

QUÆSTIO PRIMA.

De Universalibus in communi.

PRimam Logicæ suæ partem prædicamentis tribuit Aristoteles. Verum quia in iis sæpe fit mentio de Genere, de Specie, de Differentia, Proprio, & Accidente, quorum notitia ad ea, quæ in Logica tractantur, necessaria est, in animum induxit Porphyrius Isagogen scribere, quæ juxtà Peripateticam doctrinam de his quinque vocibus ageret. Huic aliam præmisere consequentes Logici de Universali in communi, quod est ad illa quinque genus. Quem morem nos etiam sequuti, ab Universalibus in communi incipimus, acturi deinceps de iisdem in particulari.

Sed præmittenda prius est vocis notio, & variæ significationes, quæ subsunt huic termino *Universale*. Ergo Universalè ex vi vocis sonat unum pertinens ad multa. dividitur in simplex, & complexum. Complexum aut. est propositio habens rationem principii, unde multæ conclusiones erui possunt, ut illa, Idem non potest simul esse, & non esse: vel est propositio notata signo universali distributivo, *omnis*, aut *nullus*. De hoc in præsenti non est sermo. Simplex, seù incomplexum quadrifariam dividitur. Aliud est universale in causando, una scil. causa potens in omnes, aut plures effectus, ut Deus, & cælestia corpora, quæ dicuntur propterea causæ universales. Universale in significando. unum scil. significans

plu-

plura, quales sunt omnes termini communes. Universale in essendo, unum scilicet, quod pluribus natum est inexistere, ut natura humana, quæ una secundum speciem in omnibus nata est esse humanis individuis. hoc dicitur universale metaphysicum. Universale demum in prædicando, unum scilicet natum prædicari de pluribus, ut homo, qui de singulis humanis individuis affirmari potest. hoc appellatur universale logicum. De his duobus postremis tota erit præsens tractatio, & quia prius est esse in multis, quam prædicari de iis, adeoque metaphysicum universale prius est Logico, priora hujus quæstionis capita erunt de primo, de altero posteriora.

CAPUT I.

Quid sit, & an sit universale Metaphysicum.

Aristoteles 1. post. t. 81. definit universale, quod sit natura una comprehensa in multis, quæ enuncietur de ipsis, & 7. met. t. 45. dicit, universale esse illud unum, quod pluribus natura aptum est inesse. Atque hæc est propria notio universalis metaphysici, quod duo importat unitatem in se, & aptitudinem essendi multa sub se. De his duobus universalis metaphysici constitutivis pauca nunc dicam, multa in decursu dicturus.

Ab unitate incipio, est unitas indivisio rei in se, & divisio ab omni alio. Sed unitas universalis debet esse tum secundùm nomen, tum secundum rationem per nomen importatam, quapropter excluduntur & complexa, quæ non habent unitatem nominis, & æquivoca, quæ non habent unitatem rationis. Analoga vero, quæ habent unum nomen, & rationem nominis ex parte eandem, ex parte diversam,

ut sunt ens unum, sanum &c. aliquando appellantur universalia propter aliqualem rationis identitatem; ut 3. met. t. 16., ubi dicitur, ens, & unum esse maxime universalia: aliquando negatur de iis universalitas propter diversitatem rationis, ut 4. met. t. 6. ubi dicitur: ens, & unum non esse universalia, & eadem in omnibus.

Dicit deinde universale aptitudinem, ut sit in pluribus, & quidem secundùm integram rationem, quam importat. Sic homo est in Sorte, Platone, &c. de singulis enim verificatur, quod sit homo secundum totum id, quod præsefert nomen: & ratio hominis. hinc uno dumtaxat hominis individuo existente, potest simpliciter affirmari esse hominem. Dicitur autem universale aptum, ut sit in pluribus; neque enim est opus, ut actu pluribus insit. quo circa, uno Sorte existente, ratio hominis inexisteret pluribus, & ex hoc universalis esset;

Ex his habes 1. unitatem propriam Metaphysici universalis non esse numericam, sed formalem. Unitas numerica est immultiplicabilis; est .n. propria individui, quod ita est unum, ut non possit esse in pluribus, quorum singula sint ipsum. Unitas autem formalis est unitas cujusdam rationis, quæ potest ad plura pertinere, quorum singula illam adæquatè participent. Ex hac unitatum istarum explicatione satis constat illatio: quæ tamen in sequentibus discutietur, & illustrabitur.

Habes 2. plura illa, quæ subsunt universali, debere esse plura in ea ipsa ratione, quæ per universale importatur. patet ex proxima illatione; & ità fortasse interpretanda verba Philosophi, quod universale sit aptum inesse *pluribus natura*, hoc est pluribus secundùm ipsam rationem universalis naturæ. Sic homo est universalis, quia individua humana ita rationem

homi-

hominis multiplicant, ut sint plures realiter homines.

Habes 3. divinam naturam, ut communicetur tribus distinctis realiter suppositis, quorum quodlibet est simpliciter Deus, non tamen esse universalem. Ratio est ex modo dictis; quia Deitas in Personis non multiplicatur; sunt enim tres personæ unus tum formaliter, tum realiter Deus. Atqui ad rationem universalis dictum est requiri multiplicationem secundum propriam rationem naturæ. aliter natura secundum se ut immultiplicabilis, ita individua est, & singularis. Quæ est expressa ratiocinatio Aug. 7. de Trin. c. ultimo.

Habes 4. ex eadem ratione nec totum homogeneum esse universale relatè ad suas partes, quia non est secundùm se totum in singulis partibus: nec unam formam, si sit eadem in pluribus subiectis inadæquatis naturaliter, ut anima rationalis in pede, & capite, aut in pluribus subiectis adæquatis miraculosè, esse universalem; nam & est semper realiter eadem. nec est in pluribus per identitatem; quod est opus ad universale de pluribus prædicabile.

Quod attinet jam ad existentiam e.m. universalis Metaphysici, ea est communiter ab omnibus asserta, & patebit ex toto præsentis quæstionis decursu. Sed in quo demum illud situm sit (quod est quærere quid rei metaphysici universalis) maxima est inter Doctores dissensio, aliis juxta alia principia aliter opinantibus. Ad tres classes possunt sententiæ omnes reduci, quas hic referam, ut ad propriam sententiam stabiliendam per aliarum impugnationes ordine progrediar.

Prima classis est eorum, qui universale Metaphysicum adæquate statuunt extra animam. Sed isti ipsi dividuntur. alii enim putant universale esse naturam quandam communem à singularibus separatam, ad cujus imitationem,

&

& participationem ponantur singularia: quæ sententia Platoni tribuitur. Alii naturam in re communem admittunt singularibus inexistentem, & identificatam, sed ita, ut formalem unitatem, quam per se habet, etiam individuis conjuncta retineat, quæ sententia tribuitur Scoto. Alii cum Cajetano in natura unitatem non inexistentiæ, sed indifferentiæ recognoscunt, adeoque unitatem non positivam, sed negativam, qua scilicet natura secundum se nec una, nec multiplex, multiplex tamen re ipsa in inferioribus est. Alii demùm cum Fonseca realem naturæ concedunt unitatem ante contractionem ad individua, quam amittit per contractionem.

Altera classis est Nominalium volentium, universale nihil esse extra animam, sed integre absolvi in solo nostræ mentis conceptu plura per modum unius repræsentante: qui conceptus est universalis in repræsentando, ut constat: & est universalis in prædicando, ac supponendo æquè pro pluribus singularibus: cui subordinatur vox una communis, quæ est universalis in significando. Præter hæc nullum aliud contendunt esse in rebus universale.

Tertia classis media inter recensitas opinatur universale esse in rebus simul, & conceptibus; adeoque non esse quid reale solùm, nec solùm quid rationis, sed esse quid reale, ipsa scilicet particularia, quæ præstant denominationi universalis materiale substratum; & esse quid rationis secundùm formale, quod particularibus tribuit denominationem universalis. Quare juxtà hos authores datur à parte rei natura universalis solùm fundamentaliter, quæ fit deinde universalis per actum intellectus plura unificantem. Hæc sententia est longe reliquis probabilior, ut jam ostendere aggredior.

CA-

CAPUT II.

An sit universale Metaphysicum in re separatum à singularibus.

SEntentia de universali separato usque adeo est absurda, ut gravissimi, doctissimique viri negaverint eam fuisse de Platonis mente, sed Platoni ab Aristotele per summam injuriam huncerrorem impositum, ut multum de magistri doctrina detraheret, eamque in publicam invidiam adduceret. Ità sentiunt non modo Platonici, sed ex Peripateticis etiam nec pauci, nec ignobiles, ut Durandus in 2.d.3.q.6. ad 3., Vasquez 1. p. disp. 71. c. 1. num. 1. & alii. sed immerita, neque enim probabile est, Aristotelem aut Platonis mentem non assequutum, quem 20. ipsos annos audierat, aut maligne interpretatum, ut ait Vasquez, florente adhuc Academia, viventibusque, ac videntibus plurimis Platonis discipulis, à quibus facile potuisset tam imprudentis mendacii, calumniæque coargui.

Media ergo via incedendum, ut neque Platonem omnino absolvamus, neque verò sententiam illi tam manifestè erroneam, atque inopinabilem appingamus, credamusque nec talem illi ab Aristotele impositam. Triplex ergo est sensus quò potuerunt à Platone statui universales rerum ideæ, & exemplaria. Primus est, quod dentur in prima rerum causa ideæ hujusm. & exemplaria effectuum omnium creatorum, à quibus dirigatur in producendo creatrix omnipotentia. Atque hic sensus est verus, nec ab ullo, vel Philos., vel Theologo negabilis. Alter sensus est, quod præter ideas, quæ sunt in supremi artificis mente, sint aliæ obiectivæ ideæ à Deo, & rebus creatis distinctæ: quæ ad duo sint necessariæ, ad scientiam, & ad generationem.

nem. ad scientiam; quia singularia sciri non possunt, cum sint corruptibilia, & contingentia. quod ergo scitur, est illud abstractum, quod ponitur necessarium, & immortale ad generationem verò; quia ex homine fit homo, eo quod natura aspiciens hominem separatum, similem hominem in materia producit. Tertius sensus est, quod ideæ hujusm. abstractæ sint verum universale in essendo, de quo in præsenti. Jam verò in 3. hoc sensu ideas universales Plato non admisit, nec Aristoteles hoc illum dixisse usquam asseruit. Neque solum in primo sensu ideas statuit. sed etiam in secundo, ut constat ex Philosopho, Platonicis ipsis, & Augustino, quos refert Aversa q. 8. de universali sc. 2. & probat Aureolus in 1. d. 36. parte 2. ar. 1. ex eo præsertim, quod *conceptus illi obiectivi, ad quos aspicit definiens, & demonstrans in unaquaque scientia, sunt illæ formæ subsistentes, quas Plato appellabat ideas, ut per eas fugeret opinionem Heracliti, qui nihil esse scibile asserebat. constat autem, quod conceptus hujusm. obiectivi non sunt istæ ideæ, quas Catholici ponunt esse in Deo; alioquin omnis artifex specularetur Deum.*

Dico nunc 1. Dantur quidem universales rerum ideæ, quæ tamen nihil important à Deo, creatisque effectibus distinctum.

Hæc conclusio est extra rem præsentem. prob. propterea breviter; quia datur in Deo creatorum omnium effectuum perfecta, & comprehensiva notitia, à qua Divina virtus regulatur in rei cujusque productione. In hoc autem stare rationem ideæ ostendam 2. phys., ubi de causa exemplari. Quod verò non sit alia idea à Deo, & creaturis distincta, prob. 1. quia nec est ea necessaria ad generationem, cum nec debeat regulare agens primum, quod satis à sua natura, & cognitione dirigitur, nec agens secundum naturale, quod à nulla idea est regulabile, cum agens à proposito non sit; nec est necessaria ad scien-

scientiam; ad quam scilicet satis sunt res ipsæ; scientia enim est de universali, quod inest singularibus, & potest de singularibus prædicari: quare dum scio hominem esse animal, hoc scio; Petrum, Sortem, &c. esse animal. Prætereà homo abstractus, & separatus corruptibilis & ipse, ac singularis esset. corruptibilis quidem; quia nihil à Deo distinctum habere potest essendi necessitatem. singularis verò; quia quidquid est distinctum, & separabile à reliquis, est aliud numero à reliquis, quibus additur; & cum quibus proinde numeratur. non ergo ille homo abstractus potest esse ad generationem, & scientiam necessarius plus, quam reliqui singulares homines, si nihilò minus corruptibilis ipse est, ac singularis.

Dico 2. universale in essendo à singularibus separatum manifestam contradictionem involuit. Hæc conclusio, ut dictum est, non est contrà Platonem, imò nec contra quemquam hominem sanum. Universale enim in essendo est unum aptum inesse pluribus; ad quod sequitur, ut possit de pluribus prædicari; adeoque importat inexistentiam per identitatem; quam sane asserere in homine separato relatè ad humana individua, est evidenter sibi pugnare. esset enim homo idem cum reliquis, & distinctus à reliquis. adeoque idem non idem, distinctus, & non distinctus. Conf. 1. Ista est vera. Sortes est homo; sed ista non est vera, Sortes est idea. ergo homo non est idea. Conf. 2. quidditas rei non potest esse à re separata; nihil enim rei intimius, quam sua cujusque quidditas, & natura. at ratio hominis pertinet ad quidditatem cujusque humani individui; interroganti enim quid sit Sortes. recte respondetur, est homo. ad interrogationem autem *quid est* non reponitur, nisi quidditas. ergo ratio hominis non est idea ab humanis singularibus separata.

Obbic. 1. scientia non est de singularibus, ut dici-

dicitur 1. post. & est tamen scientia ergo de universalibus distinctis omninò à singularibus, ac separatis. Con. scientia est de veritatibus necessariis, & æternis, nullum singulare habet e. m. veritatem, est ergo scientia non de singularibus, sed de universalibus separatis.

Scientia non est de singularibus, ut singularia sunt, sed ut accipiunt ab intellectu unitatem infra explicandam, est ergo scientia de universali coniuncto, non separato. Ad conf. dico entia creata habere necessitatem veritatis ad scientias sufficientem; quia licet non habeant absolutam, habent conditionatam veritatis necessitatem, sic quamvis non sit necesse, ut sit homo animal rationale: est tamen necesse, ut si homo sit, animal rationale sit, quæ una de contingentibus veritas necessaria per scientias humanas acquiritur.

Obiic. 2. Potest intellectus considerare hominem abstractum, & ab individuis separatum, & sic considerando non errare; abstrahentium enim non est mendacium. ergo datur homo abstractus, & separatus; aliter qui sic hominem consideraret, falleretur.

Sed aliud est hominem cognoscere sejunctim à singularibus: aliud hominem cognoscere à singularibus esse sejunctum, primum importat præcisionem aut ex parte actus, aut ex parte objecti juxta varias dicendi vias in metaphysicis examinandas. Secundum importat non facere, sed supponere in re divisionem hominis à singularibus. In argumento autem & primum confunditur cum 2. & male proindè adhibetur principium illud commune, abstrahentium non est mendacium: quod est verum de intellectu considerante unum, alio non considerato, non vero considerante, aut affirmante unum esse in re ab alio separatum.

CA-

CAPUT III.

An sit in re universale completum per formalem inexistentiam in singularibus.

SEntentia, quæ Scoto tribuitur (quamquam non desint optimi Scotistæ, qui ab hac calumnia subtilem Doctorem vindicent) supponit inter naturam, & hæcceitates distinctionem aliquam actualem, quam dicunt formalem ex natura rei, per quam antecedenter ad omnem intellectus considerationem aliud est id, per quod Petrus v.g. formaliter est homo, aliud per quod formaliter est Petrus, qua distinctione supposita, contendit naturam, in quantum à singularibus distinctam habere à parte rei unitatem quandam formalem communem de se, & communicabilem pluribus, quam retineat etiam dum singularibus inexistit, quare dicit, eam in se unam, & immultiplicabilem evadere sub se multiplicatam.

Hæc mihi sententia displicet; suppono enim ex Metaphysicis nullam e. m. distinctionem in naturam, & hæcceitates haberi, quare tam est impossibile naturam Petri reperiri quoquo modo eandem in Paulo, quam est impossibile reperiri in Paulo Petri hæcceitatem.

Sed adhuc adversus illam specialiter arguo. Si humanitas esset una formaliter in omnibus singularibus suis, in nullo bono sensu esset alia natura Petri à natura Pauli. Hæc autem sequela quam est evidens, tam est absurda. ergo. Probo prius evidentiam sequelæ. si enim aliquo pacto natura divideretur, maximè per hæcceitates, atqui hæcceitates ut dividant individua, unumq; ab alio singulare distinguant, non tamen ullatenus naturam, ut enim recte Aegid. in 1. d. 26. q. 2. per idem res habet esse, & unum

est,

esse, & distinctum esse: quod vulgò dicimus; per idem rem constitui, & distingui. Atqui natura per hæcceitates nullatenus constituitur, cum sit in priori ad ipsas per sua essentialia prædicata plenissimè constituta, ergo per hæcceitates nullatenus distinguitur. Nec juvat dicere, quod distinguitur per illas non quidem formaliter, sed realiter, & materialiter, contra enim est; quia probat argumentum, hæcceitates afferre quidem hanc realem distinctionem singularium, quæ constituunt, non tamen naturæ, cui sunt extraneæ, sic duæ distinctæ formæ eidem subiecto advenientes in nullo bono sensu dicuntur distinguere subiectum, quod non constituunt, sed ad summum denominationes, aut concreta, quorum sunt partes.

Probo nunc absurditatem sequelæ. 1. quia hæc natura sic in multis una, & immultiplicata ponit in creatis mysterium longe mirabilius mysterio Trinitatis; in quo una est natura in tribus Personis, cum juxta hanc sententiam una sit natura in infinitis individuis. Neq; dicant disparem esse rationem; quia in Trinitate una est in tribus singularis natura, cum in creatis sit natura in multis nō numericè, sed formaliter una. Nam contra est; jam enim probavi singularitates nullo pacto multiplicare naturam. Ut ergo in Trinitate est una simpliciter Deitas, quæ per accedentes Relationes non multiplicatur ipsa, sed solum Personæ, quæ per relationes constituuntur; item humanitas est una simpliciter, & immultiplicabilis in ratione humanitatis, potensque inexistere in pluribus individuis, quæ sola per accedentes individuationes multiplicantur ex quo ulterius fieri debet, ut, quemadmodum tres Personæ propter unitatem Deitatis unus sunt Deus, ita & omnia hominis individua, si una omnium est humanitas, unus sint homo. Non igitur apparet, quæ sit unitas illa numerica Deitatis, qua humanitas

nitas caret, cum pari passu utraq; procedat.

2. Si una in omnibus est natura, una est in omnibus operativa potentia; natura enim principium est motus, at ubi una est in omnibus potentia operandi, quidquid unius operatur, operantur eo ipso & reliqui, ut videre est in Trinitate. ergo operatio unius hominis, eadem esset omnium operatio; quod est evidenter falsum, & impossibile.

3. Pereunte Sorte, aut perit cum eo natura; atq; hæc cum eadem sit in reliquis superstitibus, eadem natura periret, & non periret, aut manet natura; & perit sola sorteitas; & jam natura realiter à sorteitate distingueretur, à qua scilicet realiter separaretur, aut perit natura simul & sorteitas; atque hinc utrumque absurdum sequeretur; nam & natura periret simul, & non periret; & realiter à sorteitate distingueretur, quæ tantum periret.

Respondent 1. naturam neque perire; neque non perire; actiones enim non sunt naturæ, sed suppositi, seu singularis.

Sed contra est 1. quia existentia est actus per se primò afficiens essentiam, cujus est actus: hæcceitas autem est ratio quædam materialis, & conditio requisita, ut natura sit actu, sed non pertinet ad essentiam, ut ratio illi tribuens posse esse: hoc enim habet per se ipsa quælibet realis formalitas. Et cum dicitur actio non esse naturæ, sed suppositi, verum est, si fiat sensus, quod actio non sit naturæ ut principii quod; falsum, si fit sensus, quod non sit actio naturæ ut principii, quo: à quo scilicet aut per se primò emanet, aut ad quod per se primò terminetur, & nomen ipsius derivetur in suppositum.

Contra est 2. eadem enim quoad hoc est ratio de natura, & de singularitate, cum utraque sit formalitas incapax per se seorsim actionis aut productivæ, aut destructivæ, hinc autem fieret, ut singulare, quod nihil est præter natu-

ram,

tam,& hæccecitatem pereundi incapaces,nec ipsum perire posset. Quod si dicas, hæcceitatem, & naturam destruibiles esse coniunctim, non seorsim, benè dicis, sed reddit argumentum; ut enim hæcceitas desinit simpliciter esse per individui desitionem, ità deberet desinere natura, quod si hæc simpliciter non desinit ut hęcceitas, jam est plus quàm formaliter ab hæcceitate distincta: aut si desinit, cum in aliis maneat, desinit, & non desinit.

Respondent 2. non esse contradictionem in in hoc, quod natura formaliter una pereat, & non pereat; cum enim plures in pluribus individuis existentias sortiatur, perit per amissionem unius existentiæ in uno, non perit per retentionem alterius existentiæ in altero.

Sed principiò videtur crassiuscula imaginatio in Metaphysicis abundæ reiicienda fingere existentiam dultiplicem accedere, & recedere à natura veluti multiplicem vestem, quarum una hiberno, alia æstivo tempore utatur. Deinde reddit, quod si natura manet, amissa una existentia, ab existentia ipsa realiter distinguitur: quod negant Scotistæ.

Obiic. 1. Unius potentiæ unum est objectum. Potentia visiva (idem dic de reliquis sensibus) una est potentia, ergo unum habet obiectum, non unum numero, ut constat: non unum per intellectū; quia obiectum sensus præcedit intellectum; ergo unum unitate formali ex natura rei

Nego universaliter majorem, quæ quidem in sensu est manifestè falsa; cum enim sensus sit ad singularia, necessario est ad multa, quamvis ex his multis unam abstrahit intellectus rationem, in ordine ad quam potentiam ipsam explicat, & definit.

Obiic. 2. In omni genere est unum primum, quod est mensura reliquorum ut dicitur 2. met. t. 2. & illud est unum unitate reali, non tamen numerali; unum enim individuum non est aliorum

rum

rum mensura; cum. n. hæc prior sit mensurato, unum individuum esset reliquis prius: quod negat Philosophus 3. met. t. 11. ergo illud est unum aliqua unitate reali, quæ numerica non sit.

Super hoc Philosophi textu digladiantur interpretes, ut videre est in Sueslano ibi disp. 1. Alii enim dixere intellectum nostrum esse rerum mensuram, sed rectè distinguit Alensis, id verum esse relatè ad artefacta, quæ pendent, & mensurantur ab intellectu artificis; sed falsum relatè ad naturalia, quæ potius ipsa mensurant intellectum verum, aut falsum. Alii 2. dixere mensuram esse Deum, alii materiam primam, utrique verum dicunt; si enim mensurandæ sunt entium perfectiones per accessum ad summum, mensura est Deus: si per recessum ab infimo, mensura est materia. Alii 3. dixere, mensuram substantiæ esse eiusdem operationem; & hi etiam verum dicunt, si loquuntur de mensura quoad nos; nos enim ab operatione accidentali arguimus perfectionem principii substantialis. Hæc tamen omnia ut vera sint, sunt tamen præter textum, & præter rem, nam textus loquitur mensuram in genere quantitatis, quam Philosophus ibi contendit esse *unam*; numerus enim est major, & minor per accessum, & recessum ab unitate: & continuum ipsum non mensuratur nisi ab habente rationem unius, v. g. palmo, ulna, &c. Rursus ad rem nostram est satis, si unum, quod est mensura, sit unum per intellectum, à quo scilicet fit mensuratio.

Obiic. 3. non omnis unitas realis est numeralis. ergo est aliqua realis unitas formalis, & numerali minor. ant. prob. si omnis realis unitas est numeralis, numeralis etiam erit omnis realis diversitas; quia quot modis dicitur unum oppositorum, dicitur & reliquum ex 1. top. sed non omnis diversitas est numeralis; aliter Petrus, & equus solo numero differrent. ergo non omnis unitas realis est numeralis

Nego antec. ad prob. nego suppositum majoris; diversitas enim formaliter accepta, nec est realis, nec est opposita unitati, sed identitati, quæ est relatio rationis ut in met. ostendetur, unitati autem non diversitas, sed multiplicitas opponitur, quare ut omnis unitas realis est individualis, ita est individualis omnis multiplicitas, sed quia cum hoc stat, ut quæ solum individualiter sunt multa, sint nata alios, & alios conceptus fundare, sub quibus vel unificentur, vel dissideant; sequitur, ut quæ numeraliter tantum plurificantur in re, possint in anima vel esse idem, sub uno conceptu conveniant, vel esse diversa, si unus conceptus uni, alter alteri correspondeat.

Obiic. 4. si natura esset à p. r. de se singularis, non posset sine errore concipi sub opposito modo universalitatis; ut constat, sed potest natura concipi universalis sine errore, ergo natura est à p. 1. non singularis, sed universalis.

Natura dupliciter concipi potest universalis; vel in re, & ante opus mentis; atque ita universalem illam concipiendo erratur, vel concipitur universalis in anima, & dependenter ab opere mentis, quæ una, ut loquitur Comment. facit universalitatem in rebus; atq; ità ut nullus est error, ita & nullum aptum pro Scotistis hinc argumentum.

CAPUT IV.

An sit in re natura universalis negative, & per indifferentiam.

PRopter hæc alii naturam in re omninò multiplicant; putant tamen adhuc in ea residere unitatem nescio quàm negativam mox explicandam. Sed quia hæ, & similes imaginationes fundantur in distinctione naturæ ab hæcceitatibus; idcirco sententias omnes, quæ ex tali distin-

ſtinctione procedunt, evertam breviter, ut ita fundamentum ipſum indirectè eruatur.

Sic igitur arguo. Sumo naturam Petri, quæ ſupponitur in re aliquo modo alia è Petri hæcceitate. Vel ergo hæc natura de ſe eſt una poſitivè cum Pauli natura, vel eſt poſitivè alia, vel præſcindit ſecundùm ſe ab unitate, & alietate. Si dicis primum, incidis in ſententiam capite ſuperiori rejectam.

Probo jam non poſſe dici ſecundum. hoc enim ipſum dupliciter fingi poteſt 1. ut natura Petri ſit per ſe alia à natura Pauli, exigens tamen per ſe eſſentialiter eſſe naturam Petri, & repugnans proinde ad hoc ut ſit natura Pauli. 2. ut ſit per ſe indifferens perinde, ut materia prima, quæ ita de facto conſtituit Petrum, ut potuerit eadem conſtituere Paulum. Neutrum ex his poteſt ſine repugnantia dici. Non primum ſic enim natura inter individua eſſet non ſolum conveniendi, ſed etiam diſconveniendi ratio, Petrus enim & Paulus convenirent in rationalitate; ſed quia rationalitas ipſa Petri de ſe exigeret Petreitatem, cui repugnaret natura Pauli, eſſet in ipſa Petri rationalitate, per quod Petrus differret à Paulo. Atque hinc ulterius fieret, ut fruſtraneæ eſſent ſupervenientes hæcceitates, quæ ſcilicet ſupponerent individua per ipſas naturas & diſtincta ſatis, & diverſa. Quod tantò magis eſt verum; quia exigentia eſt prædicatum ſecundarium; adeoque naturæ præter diverſas exigentias alia etiam haberent prædicata prima diverſa, quæ diverſas traherent exigentias.

Nec poteſt dici ſecundum, quod natura Petri ſit de ſe indifferens ad Petrum, & Paulum. Natura enim Petri de facto realiter eſt idem cum Petreitate. ergo nullus eſt poſſibilis caſus, in quo cum Pauleitate ſit idem; aliter poſſet à Petreitate ſeparari, adeoque non eſſet cum illa realiter identificata: ex quo capite negamus

materiam esse cum forma ulla identificatam. Ex hoc autem manifestè sequitur, naturam Petri non esse indifferentem ad Pauleitatem, cum qua identificari repugnat; aliter esset indifferens ad chimæram.

Probo demum non posse dici tertium, quod natura scilicet per se nec una sit, nec multiplex positivè. Sed prius examinanda est argumentatio Scoti relata à Cajetano adversus hunc ipsum dicendi modum, quæ sic se habet: Natura de se in priori ad hæcceitates non est multiplex, ut concedit hæc sententia. ergo in priori ad hæcceitates est una. nam esse unum idem est, ac non esse multiplicem. Negat hanc consequentiam Cajet. opusc. de ente, & essentia c.4. q.6. à propositione enim, inquit, negativa, non tenet ad affirmativam de prædicato infinito cum reduplicatione, quamvis teneat simpliciter, & sine reduplicatione, ut dicitur 1: periherm. quare licet hæc sit bona consequentia, *homo non est albus*; *ergo est non albus*; ista tamen est mala, *homo in quantum homo non est albus, ergo in quantum homo est non albus*. quod enim alicui convenit per se, convenit semper, & necessariò. quare si homini per se competeret esse non album, nunquam posset esse albus. Hinc conficit, processum Scoti non esse rectum; sic enim arguit: Natura de se non est hæc, & multiplex: ergo de se est communis & una, h.e. de se est non hæc, & non multiplex Quemadmodum igitur homo, qui de se non est albus, à forma superveniente potest accipere, ut sit albus. ita natura, quæ de se non est multiplex, potest accipere, ut sit multiplex, à supervenientibus hæcceitatibus.

Equidem ut fatear, relatum argumentum ex vi formæ non concludere; ut constat ex impugnatione Cajetani, censeo tamen illud omninò concludere ex vi materiæ, sic enim arguo. Quoties prædicatum propositionis negativæ reduplicatione

duplicantis est tale, ut, si competit subjecto, debeat illi reduplicativè competere, tenet consequentia à negativa reduplicante ad affirmativam de prædicato infinito. sed multiplicitas, quæ in ea propositione de natura negatur, est tale prædicatum. ergo ea consequentia est recta.

Major hujus syllogismi explicatur simul, & probatur. Ideo universaliter consequentia illa non tenet, quia subjectum potest de se esse indifferens ad prædicatum, ejusque negationem ut homo est indifferens ad album, & non album cæterum dum prædicatum eo ipso, quod dicitur de subjecto, dicitur de eo necessariò, & in quantum talis entitas est eo, ipso, quod prædicatum illi secundùm se non competit, competit eidem de se, & essentialiter negatio ejusdem prædicati. sic valet ista consequentia, homo de se non est leo; ergo de se est non leo. Ratio à priori est; quia in materia naturali prædicatum, quod negatur de subjecto reduplicante essentiam, eo ipso est prædicatum repugnans essentiæ. at ubi prædicatum repugnat subjecto, propositio reduplicans sive sit negativa, sive affirmativa de prædicato infinito, semper est vera.

Probo nunc minorem principalis syllogismi. Unitas, & multiplicitas realis essentialiter competunt, eo ipso, quod competunt. res enim quælibet per suam essentiam formalissimè ut est ens, ita est una. quare ut non potest illi accidere, quod sit ens, ita nec quod sit una. Et quidem si natura per se multiplex non sit, non video, qua ratione possit à supervenientibus hæcceitatibus, à quibus nullatenus constituitur, dividi, ac distingui; ut ostensum est contrà Scotistas cap. superiori.

Confirm. 1. ex unitate negativa, quam hæc sententia admittit, sequitur unitas ejusdem positiva. quid est enim positiva unitas, nisi entitas

aliqua positiva, quæ in se fundat divisionis negationem? hoc autem totum in natura habetur ut antecedente hæcceitates; quæ quidem ut dividant naturam sub se, hoc est reverà individua, non naturam; naturam tamen in se dividere non possunt.

Conf.2. quia hæc natura sic in se præscindens ab unitate, & multiplicitate, vitari non potest quo minus indifferens de se sit ad dividentes hæcceitates, si enim uni præ altera addicta per se esset, positivè per se multiplex esset. Hanc autem indifferentiam (sive ea positiva, sivè negativa appelletur) esse chimæricam, ut pote habentem pro termino aliquid Metaphysicè impossibile, ut scilicet quæ natura est cum ista hæcceitate nunc eadem, evadat deinde ab hac distincta, & eadem cum alia hæcceitate, jam est superius ostensum.

CAPUT V.

An sit in re natura universalis in statu antecessionis.

TRiplicem naturæ statum distinguit S. Thomas quodl.8.q.1. ar.1. ex Avvicenna in Metaph. Primus est, quem habet natura in singularibus, ut natura lapidis in hoc, & illo lapide. Secundus est, quem habet natura secundùm esse suum intelligibile, & objectivum, quod acquirit per considerationem intellectus. Tertius est quem habet natura secundum se, ut abstrahens ab utroque statu, & ut consideratur secundùm illa solum prædicata, quæ ipsi per se competunt. Primus dicitur status contractionis, & realis existentiæ; secundus dicitur status abstractionis, & objectivæ existentiæ: tertius dicitur status solitudinis, & realis essentiæ.

Hac distinctione supposita, Fonseca 5. Met. c.28.q.3. contendit, naturam in statu solitudinis, &

nis, & essentiæ habere unitatem quandam universalem, quæ antecedit omne opus nostræ mentis, & ita est propria naturæ in eo statu, ut nullo pacto possit ad inferiora descendere. cum enim illi conveniat propriè ratione status, eo ipso quod natura ad inferiora contrahitur, necesse est, ut priorem unitatem amittat. Hinc infert, talem unitatem non competere naturæ realiter existenti; quia illam non habet, dum est in inferioribus, in quibus unis realiter existit. Vult præterea hanc unitatem formalem non esse, quia scilicet inferioribus non communicatur, sed esse unitatem quandam præcisionis, quæ per veram negationem divisionis competit naturæ non quidem per se sumptæ, prout ly *per se* sonat idem, ac necessariò, & ab intrinseco (est enim ea unitas a natura separabilis) sed quatenus ly *per se* sonat naturam solitariam; ac denudatam à conditionibus individuantibus. Hanc sententiam jure Suarius disp.6. Met.sec.3, novam, & singularem appellat; quæque à sequentibus Philosophis meritò derelicta, in sua se solitudine continuit.

Adversus illam sic arguit ibi Suarius. Ex una parte talis unitas convenit naturæ ante opus mentis. ergo est unitas realis. ex altera parte ista unitas esse à p. rei non potest, ergo est, & non est realis unitas.

Neque dicas, quod esse à p. r. non potest, posse esse reale non quidem secundum esse existentiæ, sed essentiæ. Contra enim est; quia esse ipsum existentiæ ut reale sit, debet dicere aptitudinem ad existendum; illa enim essentia, quæ dicit repugnantiam ad esse simpliciter, non est entis, sed chimæræ.

Neque iterum dicas, aliqua prædicata negativa, quæ naturæ in statu existentiæ convenire non possunt, posse illi convenire in statu solitudinis, ut non generari per se, non corrumpi, &c. Contra enim est; nullum enim prædi-

catum antecedens opus mentis naturæ convenire potest, nisi ratione singularium ; homo enim est animal, quia Sortes, & Plato est animal, quod idem à fortiori est verum de prædicatis contingentibus ; esse enim album, aut calidum primò competit individuis, quibus unis potest albedo, & calor inhærere. Cum ergo dicitur natura secundùm se nec generari, nec corrumpi, ut verum dicatur, debet accipi natura abstracta à singularibus, & secundùm esse objectivum præcisum, quod accipit ab intellectu: ut .n. concipitur abstracta, non potest item abstracta poni. at si consideratur natura secundùm se, ut supponit personaliter, dicenda est secundùm se generari, & corrumpi propter hoc ipsum argumentum, quod secus natura realis, & contingens non esset.

Arguo iterum. non possunt in eodem reali temporis instanti duæ formæ incompossibiles in eodem subjecto poni. neque enim sufficienter vitatur repugnantia ex distinctione signorum naturæ ; aliter in eodem instanti reali potest res aliqua esse, & non esse, si esse sit prius natura ad non esse, aut è contrario: quod est evertere veritatem primi principii. Et quidem signa naturæ non scindunt indivisibile temporis, nec illud capax reddunt miscendi pugnantia ; sed solum efficiunt, ut quæ sunt simul, unum sit ab alio independens, aliud vero dependens. Hæc doctrina apud omnes indubitata imaginationem Fonsecæ funditus evertit ; statuit enim ipse unitatem naturæ ex una parte incompossibilem cum divisione, quam in singularibus, & per singularia acquirit : ex altera parte contendit, naturam in priori naturæ ad singularia esse unam, & in naturæ posteriori, sed simul tempore esse per singularia multiplicem ; adeoque naturam re ipsa statuit simul tempore unam, & non unam, multiplicem, & non multiplicem.

Ar-

Arguo 3. Natura juxtà huncauthorem in statu solitudinis est de se indifferens, ut per hanc vel illam hæcceitatem contrahatur. ergo ad hanc potius, quam ad illam ab aliquo determinatur, nec nisi à Deo determinante effectus individuationem, ut ostendetur in physicis. Si igitur in libera Dei potestate est, ut natura sit hæc in ejusdem potestate libera erit, ut natura sit alia; determinatio enim quæ ex una Dei libertate oritur, ad ejusdem nutum revocabilis est; atque adeo si natura de se indifferenter hæcceitates respicit, eandem indifferentiam in statu determinationis, & contractionis retinebit eo ipso, quod se retinet. Sic quia voluntas est indifferens de se ad volendum, & nolendum, etiam dum vult, retinet antecedentem indifferentiam ad nolle: & materia indifferens per se ad omnes formas, sub quavis forma stet, suam intrinsecam indifferentiam non deperdit. Ratio est; quia universim actus secundus non destruit, sed perficit primum. Hinc consequentius alii superius relati, & rejecti dixere, naturam secundùm se æqualiter respicientem hæcceitates, sub quavis hæcceitate æqualiter indifferentem ad reliquas permanere. Ex hoc ipso conficitur, ut, si natura in statu antecessionis indivisa de se est, in statu contractionis divisa in se esse non possit: nam & actus secundus non tollit primum: & quod advenit, non distinguit ut suprà confecimus.

CAPUT VI.

An nulla sit in re natura universalis.

AFfirmative respondent ad hoc quæsitum Nominales, nullam rem agnoscentes, cui universalis denominatio tribuatur, sed solas voces, & conceptus, qui universales sunt in significando, & repræsentando, quod omnes

concedunt, atque etiam uni universales sunt in prædicando, quod ipsi singulariter contendunt, Contrà hanc sententiam multa dicuntur à multis, sed pleraque ut reor, extrà rem. Prius igitur exponam ipsam Nominalium mentem; tum eos ostendam à nobis voce tenus dissidere; adeoque sententiam ipsorum non esse multum operosè reiiciendam.

Dicunt igitur, illi competere, ut sit universale, cui competit, ut sit prædicabile; prædicabilitas enim universalis est passio: & universim cui passio, eidem & essentia competit. Sola autem vox, & conceptus prædicabiles sunt; prædicatio enim cum tota sit intrà animam, perficiaturque componendo, & dividendo, manifestum est in res ipsas non cadere, quæ nec componuntur ab anima, nec dividuntur; sed hoc solum habent voces extrà in propositione prolata, cognitiones intra in propositione concepta.

Hinc definitur à Buridano Prædicabile *Terminus univocus, qui ex modo suæ impositionis, vel suæ naturalis significationis aptus natus est pro pluribus supponere, de iisque sub una ratione prædicari*, Ex quo ulterius infert universale, & prædicabile esse terminos convertibiles, sed non synonimos; differunt enim ut subjectum, & propria passio; cum sint pro eodem converti biliter supponentes, sed ita ut universale sit minus connotativus, prædicabile verò magis. Nam prædicabile connotat modum tum supponendi, tum prædicandi; cum universale non connotet, nisi modum supponendi. quare in universalis notione sola aptitudo ad supponendum exprimi debet. Ex hoc autem fit, ut universale prius sit prædicabile; prius enim est terminum posse supponere, deinde posse prædicari, Alii distinguunt universale, & prædicabile, ut universale dicatur tale ratione significationis communis omnia singularia complectentis.

Sed

Sed Buridanus voluit exprimere in universali rationem magis immediatè inductivam prædicabilitatis, quæ est suppositio consequens ad significationem.

Hinc procedunt ad dissolvenda præcipua argumenta. dum enim 1. obiicitur, si eorum sententia sit vera, omnem propositionem affirmativam fore falsam; cum enim ad hujus veritatem requiratur identitas prædicati cum subiecto, sit autem inter vocem, & vocem, inter conceptum, & conceptum distinctio, si vox de voce, & conceptus de conceptu affirmetur, propositio omnis affirmans erit falsa. Respondent facilè, terminum supponere vel materialiter pro voce, vel simpliciter pro conceptu, vel personaliter pro re. Jam vero licet falsa sit propositio affirmativa enuncians v. g. hominem esse animal, si termini isti supponant materialiter, aut simpliciter (quod unum facto argumento probatur) non tamen ea est falsa, sed verissima, si termini supponant personaliter, & cum urgetur, ad veritatem affirmationis requiritur identitas inter prædicatum, & subiectum; distinguunt sic: requiritur identitas rei, h. e. ut prædicatum & subiectum sint in re idem; negant: requiritur identitas suppositionis, h.e. ut prædicatum, & subiectum pro uno, eodemque supponant; concedunt.

Dum obiicitur 2. scientiæ versantur circà universalia: non versantur circa voces, & conceptus. ergo universalia non sunt voces, & conceptus. min. prob. dum animastica definit hominem animal rationale, non definit conceptum hominis, sed hominem. dum demonstrat de homine passionem v. g. risibilitatem, non demonstrat conceptum risibilitatis de conceptu hominis, cui revera non competit. Et universim scientiæ reales ut à rationali differunt, non considerant proprietates conceptuum, sed rerum. Res ergo, & non conceptus sunt

obiecta scientiarum, adeoque universalia. Respondent, hoc argumentum non magis urgere, quam priùs. Scientia enim reverà non est de rebus, sed de propositionibus: est enim de veritate complexa, nec quacumque, sed necessaria: veritas autem formalis ab intellectu intenta est suus ipsius actus, in quo unice necessitas est non physica, & simpliciter talis, qualis in uno Deo reperitur, sed Logica, & ex suppositione. Deinde falsum est, quod assumitur definiri rem, non conceptum, ut nos etiam alibi conficiemus. Dum vero de homine demonstratur risibilitas, ut conceptus prædicatur de conceptu, ità & demonstratur in suppositione non simplici, sed personali. Postremo reales à rationalibus scientiis secernuntur, quod illæ sunt de conceptibus ut stant pro re; istæ de conceptibus ut stant pro se.

Ex his apparet, nihil habere in re Nominalium opinionem, quod sit merito exsibilandum, ut multi faciunt. quin etiam à nostra, & communi sententia differunt in solo modo loquendi, cum re ipsa conveniant. Hoc facile unusquisque deprehendet. si animadvertat, totam quæstionem in hoc uno esse sitam; ut videatur, reinè, an conceptui tribuendum sit nomen universalis. Convenimus quidem cum ipsis; in universali haberi unum signum, & multa significata, unam scilicet præcisivam cognitionem singularia confundentem, in quibus nihil re ipsa universalitatis agnoscimus. dubium ergo id unum est, an universale dicatur illa ipsa cognitio, an res, ut illi cognitioni substantes, ab illaque denominatæ. Ad eandem litem de voce reducitur illa alia quæstio, quæ non est in rigore alia, sed eadem utrum res, an conceptus prædicentur: quod est quærere, utrum nomen prædicati (idem est de reliquis secundis intentionibus) sit impositum ad significandos conceptus ipsos, an vero res ut conceptibus substantes.

Hoc

Hoc secundum ego assero cum sententia communi (cum qua certe, loquendum; est enim ea sola sufficientissimum argumentum, ubi sumus in controversiis de vocabulo) aioque prædicari formaliter quidem conceptus, sed denominativè res; & per consequens res est; quæ prædicatur, ut quod, conceptus, ut quo. unde ulterius consequitur rem esse ut quod, & materialiter universalem, conceptum verò ut quo, & formaliter.

Hoc primum probo ex doctrina Phisici, 1. elench. c. 1. ubi hæc habet. *Post quam res in disputationem afferre non possumus, vocibus utimur loco rerum. & quemadmodum his usuvenit, qui supputant calculis, ut quod in calculis colligunt, in rebus numeratis inveniant; ita quod vocibus prædicamus, est in rebus.* Ex quibus sic arguo. Voces, & conceptus non prædicantur invicem, nisi in quantum sunt signa, ac veluti instrumenta rerum. res ergo principaliter, mediate, & ut quod prædicantur. quod enim tribuitur signo, & instrumento quà tali, magis tribuitur significato, & principali, si sit capax. quare qui pro nummis calculos supputat, dicitur potius nummos, quam calculos supputare. Cæterum rem ipsam capacem esse denominationis prædicati. constat ex eo, quod ut obiectum denominatur à cognitione cognitum, quia esse cognitum nihil est aliud, quam esse terminum cognitionis, ita & à prædicatione prædicatum. quia hoc non est aliud, quam esse obiectum prædicationis. neque enim solus conceptus, sed & res ipsa dicitur ab intellectu judicante: quod expressit S. Th. q. 4. de ver. ar. 2. ad 3. ubi, *Id*, inquit, *quod intelligitur potest dici & res ipsa, & conceptio intellectus; & similiter id, quod dicitur, potest dici & res, quæ dicitur per verbum, & verbum ipsum: ut etiam in verbo exteriori patet, quia & ipsum nomen dicitur, & res significata per nomen dicitur, ipso nomine.*

Confirmat id ipsum Martinon disp. 17. de Sacr. sec. 1. n. 11. quia in Nominalium sententia omnis propositio, ut sit vera, debet resolvi in circumlocutionem nec propriam, nec necessariam; dum enim dico, *homo est animal*, ea debet sic exponi, vox & conceptus *homo* supponit pro eodem, pro quo supponit vox, & conceptus *animal*. Nemo autem alius à Nominalibus opinione sua præoccupatis propositiones ita intelligit, aut resolvit, cum possint, & soleant facilius multo, & planius intelligi de rebus ipsis invicem affirmatis, Addo, futuram interminabilem in his expositionibus circulationem, nisi ad res ipsas tandem deveniatur, & sistatur in ipsis; dum enim dicunt, eam propositionem esse veram, quia sic expositam, *res eadem est, pro qua supponunt duo illi termini*, vel in hac exponente *res eadem* est res ipsa, quæ subiicitur, vel nomen, & conceptus. primum est intentum, alterum si dicatur, sequitur, ut hæc etiam propositio sit exponenda, & sic in infinitum.

Obiic. 1. Propositio non coalescit ex rebus, sed si mentalis sit, ex conceptibus, si vocalis, ex vocibus, atqui subiectum, & prædicatum sunt ea, ex quibus coalescit propositio. ergò subiectum, & prædicatum non sunt res.

Ut hoc argumentum solvant. duplicem nonnulli propositionem distinguunt obiectivam, & formalem; ajuntque illam ex rebus, hanc componi ex conceptibus. Sed non recte. 1. quia in rebus non est propositio, sed obiectum propositionis, nec prædicatio, sed prædicatum, ut non datur in rebus cognitio, sed cognitum. 2. quia propositio est oratio verum, & falsum continens. in rebus autem nec est oratio, nec verum aut falsum in rigore continetur, quod 6. Met. dicitur esse tantum in anima. 3. quia eodem modo concedendum esset dari in rebus propositionem de inesse, & modalem exceptivam, exclu-

clusivam, universalem &c. quæ de facili concedenda non sunt.

Melius ergo resp. argumento, propositionem non esse ex rebus, sed de rebus. quare debet coalescere non rebus, quæ subiecti, & prædicati denominationem suscipiunt, sed formis dumtaxat ita denominantibus: formæ autem hujusm. subjectum & prædicatum dicuntur non ut quod, sed ut quo.

Obiic. 2. si res, & non conceptus prædicarentur, in aliqua propositione nulla esset distinctio prædicati, & subiecti, ut in hac, Petrus est homo: & in aliqua prædicatum distaret localiter à subiecto, ut in hac Neapolis non est Roma: & in aliqua subiectum comederet prædicatum, ut in hac, homo non est panis: & alia hujusm. sequerentur absurda, & ridicula.

Jam dixi, in rebus esse prædicatum, non prædicationem, quæ in voce tantùm, ac mente exercetur. quare, ut notat Sotus in prol. prædicab., aptiùs multò loquebantur antiqui dicentes, voces non prædicari, sed prædicare. Primo igitur in affirmativa vera distinctio non debet esse inter prædicatum, & subiectum, sed inter terminos stantes loco prædicati, & subiecti: quod est satis, ut propositio non sit identica. Quæ verò absurda, & ridicula contra nostram sententiam inferuntur, talia sunt, si de terminis verificentur, secùs, si de rebus per terminos prædicatis.

Obiic. 3. prædicare, seù judicare est vel componere, vel dividere. nulla res potest ab intellectu componi, aut dividi, ergo nulla res potest prædicari. min prob. quod enim componitur, & dividitur, debet esse in potestate componentis, & dividentis. atqui non res, sed conceptus, & voces sunt in potestate intellectus,

Resp. compositionem, & divisionem non accipi in anima, ut in rebus. intellectualis enim compositio idem est, quod affirmatio, &

divi-

divisio idem, quod negatio. res ergo ut sub uno conceptu dicitur, aut negatur de se ut sub alio conceptu: ad quod non est opus, ut res ipsa sit in potestate intellectus, sed satis est, si sint in ejus potestate formæ taliter denominantes. quemadmodum ut sit in manu intellectus, quod res sit cognita, non opus est, ut res sed sufficit, si cognitio ejusdem potestati subiiciatur.

Obiic. 4. Philosophum 7. Met. t. 48. ubi sic habet: *Ex his itaque considerantibus patet, nihil eorum, quæ universaliter existunt substantiam esse. nihilque eorum, quæ communiter prædicantur, quod quid, sed tale significare*: ex Aristotele igitur universale, & prædicabile non est res, ejusque substantia, sed rem, substantiamque significat. significare autem non convenit nisi vocibus, & conceptibus.

Resp. ex D. Thoma ibi lec. 13. substantiam hic accipi à Philos. pro supposito seù singulari. intendit ergo ostendere hominem communem, & animal commune non esse aliquam substantiam in rerum natura a singularibus distinctam, aut separatam. Unde concludit nomina universalia non significare quod quid, sed tale, h. e. tale quid, seù quale quid, quod explicans idem D. Thomas apud Capreolum in 3 d. 5. q. 3 ar. 3. sic ait; *Quod substantia prædicetur de subiecto; hoc habet, in quantum per actum rationis induit naturam accidentis. quod enim nostra ratio facit circa substantiam, accidens est, & non substantia. & ideo Phil. in l. prædic. dicit secundas substantias per quandam nominis similitudinem hoc aliquid significare, quod est proprium substantiæ, ut cum dicitur homo, vel animal. sed secundùm rei veritatem magis significant quale quid, in quantum per actus animæ transeunt in similitudinem accidentis &c*;

Hoc igitur est, quod nomen universale significat quale quid, quia significat & substantiam rei, & accidens rationis, illam ut materiam, &

sub-

substratum, hoc, ut formam denominationis Quæ est ipsissima sententia, quam hic docemus contra Nominales.

CAPUT VII.

An, & qua ratione intellectus faciat universalitatem in rebus.

EX hactenus disputatis constat universale nec esse totum extra, nec totum intra animam. aliquid ergo involuit de re, aliquid de ratione: sed res se habet ut substratum subiectumque denominatum, ratio ut forma denominans. Quæ quidem ipsissima est Philos. sententia, si credimus Commentatori, qui 1. de An.t. 8. interpretans illud Arist. *Universale aut nihil est, aut posterius est*, sic habet: *Demonstrat per hoc Aristoteles, quod ipse non opinatur, quod definitiones generum, & specierum sint definitiones rerum universalium existentium extra animam sed intellectus est, qui facit in eis universalitatem*. & 11. Met. idem Comment. dicit, quod universalia apud Aristotelem sunt conllecta ex singularibus ab intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit ea intentionem unam.

Est ergo universale singularia ipsa concepta per cognitionem unam præscindentem, quod est in iis uniforme, & consimile, ab eo, quod est in iis difforme, ac diversum, atque ita multa intentionaliter unificantem. In quo habetur sufficiens multiplicitas, & unitas ad universale requisita: multiplicitas quidem intrinseca, & à recto, quod per universale importatur, indistincta: unitas autem extrinseca à cognitione non distinguente multiplicitatem. Sed ut hoc ipsum & declaretur distinctius, & solidius probetur, sit

§. I.

§. I.

Res multas ab una cognitione præscindente accipere unitatem ad universale sufficientem, ostenditur.

SUpponendum ex Metaphysicis inesse intellectui nostro vim quandam præcisivam, & abstractivam, qua obiectum realiter unum in plura prædicata, rationesque dividere, & ex iis unam sine alia considerare potest. quare ut potest in homine sejunctim cogitare animal quod est commune, & rationale, quod est proprium; ità & in Petro potest seorsim tractare naturam, per quam est homo, & hæcceitatem, per quam est Petrus. atque hoc est, quod dicimus posse naturam considerari sine contrahentibus individuationibus.

Dico nunc 1. Natura ab hæcceitatibus præcisa accipit per cognitionem sic præscindentem *unius & universalis* denominationem.

Prob. 1. authoritate Philos., & D. Thomæ. & primi quidem, præter modò dicta, mens est apertissima 5. Met. t. 11. ubi, *Quorumcumque*, inquit, *intellectio, quæ quod quid erat esse intelligit, indivisibilis est, neque separari potest nec tempore, nec loco, nec ratione, hæc maxime unum sunt. Universaliter namque quæcumque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur; ut puta si prout homo non habet divisionem, unus est homo: quod si prout animal, unum animal &c.* S. Thomas verò alibi sæpe, sed præsertim opusc. 55. laudans dictum Boetii, *Universale, dum intelligitur; singulare, dum sentitur*, dat rationem; *quia*, inquit, *una, & eadem natura, quæ singularis erat, & individuatur per materiam in singularibus hominibus, efficitur postea universalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic, & nunc.*

nunc, & adhuc expressius opusc. 42. cap. 5. ait, quod *universale dicitur natura illa sub intentione universalitatis sibi attributa; & sic propter uniformitatem rationis inventam in intentione, quæ fit propter remotionem à materialibus conditionibus, & omni diversitate, est unum in multis*, Et opusc. 56. *Debes*, inquit, *scire, quod homo non dicitur universalis, nisi quia consideratur universaliter* &c. tum concludit: *Universale ergo est unum & plura; plura in quantum in pluribus est; est autem unum in cognitione.*

Prob. 2. ratione, quæ descendit ex ipsa authoritate. Unum dicitur, quod est indivisum, at. qui natura sub intentione præscindente, eamq; reduplicans est indivisa, ergo est una: minor non indiget, nisi explicatione. Ut ergo natura si in re nullam haberet rationem dividentem, ac multiplicantem, in re indivisa omnino esset, ut constat ex terminis, adeoque esset realiter una: ita dum nullam habet divisionem in intentione, & intellectuali apparentia, meritò dicitur intentionaliter indivisa, & una: ex quo nos consueti rebus nomina imponere non ut in se, sed ut in cognitione sunt, naturas singulares à singularitatibus præcisas unius naturæ vocabulo designamus. Neque hoc plus habet absurdi, quam quod reliquas etiam denominationes à cognitionibus derivamus in res, & ut nunc dicimus naturam à præcisione unam, ita & alibi rem unam dicemus à multiplici cognitione in plura prædicata, perfectionesque distinctam.

Dico 2. natura per hanc unam præcisivam cognitionem est plenè constituta Metaphysicè universalis. Ita Sotus q. 3. de univers. addens nec apud Aristotelem, nec apud S. Thomam posse esse dubium, quo minus universale fiat per solam abstractionem. Idem habet Masius sec. 2. de Univ. q. 5. citans pro hac sententia nobilissimos Thomistas Capreolum, Cajetanum, Son-

cin-

cinnatem. Contrarium tamen opinantur Complutenses, aliiq; præter cognitionem præcisivam aliam simplicem comparativam requirentes ad universalis constitutionem.

Prob. universale Metaphysicum non est, nisi unum in multis, adeoque unum, quod simul est multa. Sed hoc totum una cognitione præscindente perficitur, quæ scilicet multa coadunat sub intentione multiplicitatem non distinguente; adeoque multa denominat unum, ut dictum est, ergo alia cognitio quæcumq; superfluit. Confirm. ab essentia non plenè constituta præcipua rei passio dimanare non potest, atqui à natura sub sola intentione præcisiva emanat prædicabilitas, præcipua universalis Metaphysici passio. ergo natura sub ea una intentione universalis est Metaphysice. min. prob. ad prædicabilitatem duo requiruntur, identitas rei, & distinctio rationis, utrumq; habetur in natura præcisa, quæ & eadem est in re cum singularibus, & est ab iisdem ratione distincta. sed hæc melius infrà constabunt, ubi ab ipso universali Logico, & proximè prædicabili simplicem istam comparationem excludam.

Neque dicas, universalitatem esse respectum rationis, quem dicit natura una ad inferiora multa: respectus autem rationis non habetur nisi per rationem, seu cognitionem, nec absolutam, sed respectivam, & comparativam.

Nam contra est; quia ut actualis respectus rationis haberi non possit, nisi per intellectualem comparationem; non tamen aptitudinalis, qui aliud non est, quam aptitudo ad comparari: quæ certè aptitudo nullam actualem comparationem involvit, nec per eam constituitur, ut nullus actus primus constituitur per secundum.

Dico 3. Denominatio unius, & universalis in natura est denominatio merè extrinseca à cognitione derivata. Sequitur ex dictis manifestè;

stè; neque enim apparet, quid possit intrinsecum cognitio in obiectum suum derivare. superest ergo, ut solam illi denominationem tribuat ita, vel ita repræsentati, unde accipit denominationes omnes secundò intentionales, quæ cum species sint denominationis cogniti; consequens est, ut omnes sint extrinsecæ.

Ex his infero 1. unitatem non se tenere ex parte obiecti, sed obiecto advenire per cognitionem. Patet ex modo dictis. Nec juvat opponere: Vel natura apparet ab hæcceitatibus divisa, vel non. Si secundum; ergo natura non præscinditur, si primum, ergo natura apparet una; adeoq; unitas se tenet ex parte naturæ cognitæ. Resp. enim, non apparere naturam à singularibus divisam, quasi verò divisio ejusm. appareat in obiecto, sed apparere naturam divisam à singularibus, quia apparet natura, non apparentibus singularibus: quod est haberi cognitionem, sub qua singularia dicuntur natura una, non habita cognitione, aut cognitionibus, sub quibus dicuntur individua multa Sed de hac re in Metaphysicis ex professo, ubi de præcisionibus, & distinctionibus.

Infero 2. non rectè dici, ex cognitione præcisiva resultare in natura unitatem: unitas enim naturæ est illa ipsa cognitio: nihil autem rectè dicitur ex se resultare, meliùs ergo dicitur ex præcisione resultare natura una, ut ex cognitione dicitur resultare cognitum, & ex albedine album.

Infero 3. quid sit dicendum de aptitudine naturæ universalis, & 1. quidem nulla est realis aptitudo, ut natura secundum rem una sit in multis. 2. est in natura realiter multiplicata realis aptitudo, ut multiplex sit in multis, natura nim. Petri in Petro, Pauli in Paulo &c. unumquodque enim aptum est esse, quod est, cum sit evidens consequentia ab actu ad aptitudinem. 3. natura dum sit per intellectum una,

acci-

accipit ab eodem aptitudinem rationis, & quidem dupliciter, primò quia aptitudines singularium naturarum realiter multæ evadunt intentionaliter una aptitudo, eadem prorsus ratione, qua fiunt una natura. Præterea quia cum in qualibet natura individua creata sit aptitudo ad multiplicari non per identitatem, sed per similitudinem; fit, ut natura Petri per intellectum à Petreitate sejuncta sit apta esse in aliis individuis, quatenus sub ipsa simul cum Petro alia quoque individua coadunantur, quæ scil. eodem prorsus pacto, eademq; intentione exprimuntur.

§. II.

Occurritur adversariorum obiectis.

OBiic. 1. sola cognitio non videtur satis esse, ut naturam unam, universalemque denominet. 1. quia si cognitio quià est una, denominat naturam unam, illam, etiam denominabit spiritualem, quia est spiritualis &c. 2. cognitio quamvis una, qua tamen multa cognoscantur ut multa, non denominat multa unum, ergo nulla alia cognitio una id potest 3. si hoc potest cognitio, potest etiam id ipsum prævia species impressa, in qua, ope intellectus agentis, natura primò præscinditur, adeoq; unificatur. 4. id ipsum potest unitas similitudinis, quæ est à parte rei antecedenter ad omnem operationem mentis.

Resp. breviter ad singula. ad 1. illud esse solvendum ab omnibus; ut enim cognitio denominat cognitum, cur non item spirituale; pro responsione directa dico universim attendendā esse naturam, & significationem denominationis, cum ergo esse unam in natura nihil aliud sit, quam terminare cognitionem præscindentem unam, ut ex Philos., & D. Th. ostensum est potest,

potest optimè natura per cognitionem denominari una. at vero rem esse spiritualem non est denominatio extrinseca importans id unum, quod est terminare cognitionem spiritualem.

Ad 2. dictum jam est, non satis esse quamcumque cognitionem unam, sed eamque dividit à natura rationes multiplicantes, ut unitatem rationis accipiat. Ex quo solvitur aliud argumentum, quo unitas universalis probatur esse non posse unitas cognitionis, quæ singularis est unitas, neque enim dicimus universale constitui per unitatem illam individuam, & entitativam cognitionis, quæ pariformiter habetur in cognitione multa ut multa repræsentante, sed per unitatem, quam habet cognitio in repræsentando, in quantum est ratio uniformiter se habens ad omnia; & singula individua repræsentata, ut egregiè explicat D. Thom. op. 55.

Ad 3. dico illud pertinere ad vocabulum; ac propterea loquendum cum D. Thom. apud Capreolum in 3. d. 5. q. 3. ar. 3. ubi, *obiectum*, inquit, *intellectus in quantum est prius omni actu intellectus tam agentis, quam possibilis non est intelligibile, nisi in potentia, nec universale, nisi in potentia, sed ut sequitur actum intellectus agentis, & præcedit actum intellectus possibilis, est universale quasi in habitu, vel actu primo: sed ut sequitur actum intellectus possibilis formantis conceptum perfectum de re, est universale in actu completo, & quasi secundo*. Et quidem operationem intellectus possibilis esse plane requisitam ad completam rationem universalis, nemo negabit, nisi qui non intelligit, ea remota, prædicabilitatem, proprietatem scilicet universalis non haberi, eam porro solam sufficere constat facilè ex dictis.

Ad 4. dico similitudinem non unitatem esse, sed conformitatem; similitudo enim non multipli-

plicitati, sed difformitati opponitur, quod si mavis protervire, similitudinem pro arbitrio appellando unitatem, ex qua universale consti-tuas, nihil de re invehis adversus nostram, com-munemq; sententiam, sed vocibus dumtaxat abu-teris: in quo nihil est plane, cur tibi plaudas.

Obiic. 2. esse *de* sequitur esse *in*; quæ est phra-sis Cajetani significans, esse prædicabile de pluribus fundari in esse in pluribus, sed natura una est prædicabilis de pluribus, ergo natura una est in pluribus, ergo est una non solum ra-tione, verum etiam re.

Resp. ex argumento sequi naturam unam esse in pluribus, sed non sequi naturam esse unam in pluribus: quæ consequentia si inferre-tur committeretur fallacia figuræ dictionis, qua-lis est illa, *quidquid emisti, edisti: carnem crudam emisti; ergo carnem crudam edisti*: in qua scilicet mutatur quid in quale, ut & mutatur in re præ-senti; quod enim prædicatur, debet esse in re, de qua prædicatur, sed non modus, & qualitas, sub qua prædicatur, unitas nim. intentionis.

Obiic. 3. si ad universale satis esset unitas ex-trinseca, & intrinseca multiplicitas, posset pa-riter fingi aliud genus universalis, in quo uni-tas sit intrinseca, & multiplicitas sit extrinse-ca, ex quo fieret, ut quodlibet singulare con-fusè cognitum sub intentione præscindente es-set completum universale, esset enim & unum intrinsecè, ut patet, & multiplex extrinsecè; nam quemadmodum multa quia cognoscuntur non ut multa, evadunt extrinsecè unum, unum quodlibet quia cognoscitur non ut unum, eva-det extrinsecè multiplex.

Resp. 1. hoc esse arguere per reductionem ad impossibile disparatum, ex hoc scilicet quod nos fingamus tale universale, velle sibi pro arbitrio aliud fingere nec connexum, nec consequens ad nostrum, & quidem tolerabilius id foret, si nostrum esset fictum ad arbitrium; nec funda-

tum

tum in Aristotelis, ac D.Thomæ doctrina. Resp. 2. singulare utcumque dicatur illo modo extrinsecè multiplex, non esse tamen universale, quod est unum in multis per identitatem cum multis, & per prædicabilitatem de multis. quæ non contingunt Petro aut alteri singulari confusè cognito. Resp. 3. negando, quodlibet singulare cognitum confusè esse unum intrinsecè, & multiplex extrinsecè; imo verò singulare sub ea cognitione duplicem habet unitatem, unam intrinsecam in se, per quam à reliquis distinguitur, alteram extrinsecam in ratione, per quam cum reliquis unificatur.

Falsum est autem ideo plura esse unum, quia non cognoscuntur ut plura, cum insuper sit opus ut subsint uniformaliter intentioni. quare ut res multiplicetur extrinsecè, debet subesse intentioni multiplici; nec propterea universalis est; quia sic solum habentur multa prædicata pertinentia ad unum subjectum, cum è contrario universale sit unum prædicatum pertinens ad subjecta multa.

Obiic. 4. si universale esset partim in re, partim in anima, esset ens per accidens, cum in se aggregaret res diversorum prædicamentorum, rem scilicet extrà, quæ est substantia, & cognitionem, quæ est accidens. Hoc autem est absurdum, quia universale est unum definibile, adeoque unum per se.

Capreolus l. cit. quadruplicem affert universalis acceptionem 1. materialem, seu pro materiali, quod denominatur universale, seù pro eo, pro quo supponit terminus *universale*. 2. formalem, seu pro forma dante denominationem universalis, quæ est præcipuum, & expressum significatum hujus termini *universale*. 3. materialem sub formali, seù ut dicit materiale denominatum in recto, & formam denominantem in obliquo, quo pacto importantur per terminos secundæ intentionis. 4. materialem simul

& for-

& formalem seu ut dicit subjectum & formam universalis per modum aggregati, atque adeo utrumque in recto. Jam dico universale. 4. modo acceptum definibile non esse; sic enim non est unum, sed multa. 3. modo definibile est tantum definitione quid nominis, ut de omni concreto accidentali ac denominativo dictum est q. sup. c. 2. primo, & secundo modo universale est per se unum, & definibile unum; nam & homo ipse, qui universalis denominatur, definiri potest, & definiri potest cognitio, in quantum forma tribuens universalis denominationem.

Sed cum dico universale sumptum pro materiali esse per se unum, ac definibile unum, non tollo ab eo formale cognitionis, à qua una habet & ut sit unum, & ut sit definibile; sola enim cognitio unificat multa, & cum obscura sit, explicabilis ac definibilis est explicatione ac definitione immediatè cadente supra ipsam, mediatè supra rem, pro qua ipsa supponit. Sensus ergo est, quod ipsum materiale est, quod ultimatè definitur; & cognitio non se habet ad hoc, ut forma, sed ut conditio; neque enim intentio est forma animalis, sed generis, nec est forma hominis, sed speciei; quamquam nec animal, nec homo definiri possint, nisi subsunt intentioni unificanti, & confundenti.

CAPUT VIII.

An ad Logicum universale constituendum simplici aliqua comparatione sit opus.

A Metaphysico universali, quod est unum aptum inesse pluribus, gradum facio ad universale Logicum, quod est illud idem, quatenus est aptum prædicari de pluribus, quibus inest. secundum hanc considerationem universale dicitur Logicum, quod Logicæ nim. sit considerare prædicationem. Jam verò circà hoc

hoc universale illud primum occurrit controversum, an prædicabilitas per aliquam simplicem comparationem habeatur, ita ut proximè prædicabile non sit universale, nisi comparetur ad inferiora. Affirmativè respondent Thomistæ, & Recentiores communiter putantes judicari non posse, nisi prævia sit notitia identitatis inter subjectum, & prædicatum, quia intellectus moveatur ad componendum, aut distinctionis, qua moveatur ad dividendum. alii specialiter putant hanc comparationem prærequiri ad universalis prædicationem, ut scil. præcognoscatur hunc terminum esse universalem, illum singularem, & hic prædicetur, ille subiiciatur.

Dico 1. ad proximam prædicabilitatem naturæ universalis de singularibus nulla requiritur simplex comparatio, quæ sit notitia identitatis inter naturam, ejusque inferiora.

Prob. non potest identitas sic cognita prærequiri, nisi ut motivum affirmandi. rursus non potest esse motivum, nisi cognoscatur exercite intercedere inter subjectum, & prædicatum. Si enim nihil aliud vellent adversarii, nisi hoc unum, quod omnis judicans debet scire, quid sit identitas, me etiam assentiente, id vellent: quod & conficiam in metaphysicis, ubi de conceptu identitatis. sed plus aliquid contendunt, identitatem nim. debere prænosci, quod inter terminos habeatur, ad hoc, ut unum de altero intellectus affirmet. Jam vero ad hanc identitatis simplicem notitiam manifestè motivo est opus; quod si potest movere ad simplicem hanc notitiam, non video, cur non possit immediatè determinare notitiam identitatis compositam, ac judicativam. Quod tanto magis est verum, quod ea notitia, quæ appellatur ab adversariis simplex, reverà est judicativa, quod primum ostendo ad hominem contra ipsos communiter censentes, judicium esse co-

gnitionem identitatis inter subjectum, & prædicatum. Deindè qui actus capax est veritatis, & falsitatis simpliciter dictæ, est judicativus. atqui notitia identitas exercitæ inter terminos, est vera, si identitas intercedat re ipsa; falsa, si intercedat distinctio. Postremò tali notitiæ inutiliter superadditur dictio, seù enunciatio, qua intellectus sibi loquatur identitatem extremorum. prævia nempè notitia jam scitam, & quidem perfectius simplici, quàm composita.

Conf. ulterius ostendendo, talem notitiam præviam, quam adversarii appellant simplicem, verè esse formaliter, aut virtualiter compositam, & omninò enunciativam; si enim talis non esset, posset componi cum simili notitia oppositæ distinctionis inter eadem extrema intercedentis, quid enim certius, quam posse in eodem intellectu componi notitias contradictoriorum omninò simplices? imò in his fundatur affirmatio veritatis primi principii, cum nemo possit dicere, *idem non potest simul esse, & non esse*, quin simul habeat notitiam essendi, & non essendi. atqui notitia identitatis, qualis ab adversariis ponitur affirmationi prævia, non compatitur similem notitiam distinctionis; aliter cum per illam intellectus determinetur ad affirmationem, per hanc determinaretur pariter ad negationem; adeoque maneret determinatus ad assensum, ac dissensum circà idem. ergò talis notitia identitatis simplex non est.

Dico 2. sed neque ad eam prędicabilitatem est opus, ut hic termninus explicitè, & expresè cognoscatur superior, ille inferior.

Prob. 1. ab experientia; quis enim rusticus, dum asserit, Sortem esse hominem, cogitat hominem esse terminum superiorem, Sortem inferiorem? Rusticus autem? Doctiores ipsi, manifestum est, quod non semper id actu animad-

ver-

vertunt, nec inter directam, & indirectam propositionem distinguunt. 2. à priori; quia intellectus, ut dicat hominem esse animal, potest aliundè determinari, quam à notitià superioritatis, & inferioritatis terminorum. & quidem cum sit alia veritas, *homo est animal*, & alia, *animal est homo*, illud motivum quod priorem tantùm ostendit, ad eandem simul determinat. Sic qui habet has præmissas, *omne rationale est animal, omnis homo est rationalis*, sufficienter est determinatus, ut dicat *omnem hominem esse animal* potius. quam è converso. Tertiò, quia talis notitia est notitia identitatis inter extrema: scire enim, quod animal est superius ad hominem, est scire quod homo includatur in animali, & cum eo saltem inadæquatè identificetur. atqui notitia identitatis prævia ad universalis prædicationem jam satis rejecta est in superiori concl.

Obiic. 1. terminus communis est sæpè indifferens ad subiici, & prædicari; nam homo v. gr. potest comparari cum animali, cui debet subiici, & cum Petro, de quo debet prædicari. debet ergò determinari, & non nisi à cognitione comparativa ostendente hominem esse animali subiicibilem, & de Petro prædicabilem.

Resp. determinationem haberi posse ab eo ipso, à quo intellectus determinatur ad simplicem comparationem. certè enim mens nostra non sine motivo scit, terminum *animal* latius patere, quam *hominem*. hoc autem motivo stante, non video, cur debeat intellectus necessariò elicere actum simplicem comparativum, & non possit immediatè prorumpere in actum comparativum compositum, h. e. in actualem prædicationem.

Obiic. 2. modus cognoscendi proportionatur modo essendi. Hinc Angelus, qui habet modum essendi simplicem. simplici intuitu citrà

compositionem, divisionemque intelligit. at homo ex materia, formaque compositus, modo etiam composito intelligit, copulando intentionaliter prædicatum cum subjecto. Sicut igitur materia, & forma, ut sint proximè unibiles, debent se seinvicem respicere, ut perfectibile, & perfectivum; ita prædicatum, & subjectum ut possint intentionaliter conjungi, debent intentionaliter se respicere per cognitionem comparativam.

Longissimè petitum argumentum. mitto, quæ dicuntur initio de modo cognoscendi consequente modum essendi, quia nec valent, nec sunt ad rem: paritas desumpta ex materia, & forma primò probat ultrà intentum, prædicabilitatem scil non proximam solum, sed & remotam in cognitione comparativa consistere. 2. nihil probat; prædicatum enim & subjectum, præcisa omni comparatione, se mutuo respiciunt relatione affirmabilitatis intentionalis, quæ duo dicit, identitatem rei, & distinctionem rationis cum sufficienti motivo, quod in per se notis est sola ipsa notitia terminorum: in notis per aliud sunt præmissæ.

Obiic. 3. Ideò non requiritur comparatio simplex, quia quod determinat ad simplicem, potest etiam determinare ad compositam. sed hæc forma arguendi nimis probat, similiter enim dici potest non prærequiri ad judicium simplicem apprehensionem; quia quod determinat ad simplicem, potest immediatè determinare ad cognitionem compositam.

Hoc argumento premuntur, qui judicativum actum cognoscitivum etiam faciunt. Verum ego, qui judicium formaliter sumptum esse cognitionem nego, argumento nec tangor; qui enim fieri potest, ut quis judicet de terminis nullatenus cognitis? hoc autem contingeret, si quod formale in judicio poneretur immediatè sine ullis cognitionibus præ-

prævijs. Vide, quæ de hac re habeo infrà l. 2. q. 3. cap. 1.

CAPUT IX.

Qua ratione, cum prædicabilitas rebus principaliter competat, nomina tamen secundæ intentionis ad inferiora prima non descendant.

CAp. 6. adversus Nominales ostendi prædicabilitatem non conceptibus primariò, sed rebus ipsis competere; ex quo fit, ut rectum in denominatione universalis sit natura, obliquum verò cognitio singularia confundens. atque hoc satis cohærenter est dictum ad ea, quæ inferius de denominativis universim docebo; Itaque nomen *Universale*, & quæ sub ipso sunt, *Species*, *Genus* &c. non sunt nomina stantia pro conceptibus, sed pro rebus, ita ut res per ipsa significentur, conceptus consignificentur, adeoque sint nata supponere non pro conceptibus; sed pro rebus: quemadmodum nomen *album*; & reliqua accidentalia concreta, ut significent formam, non tamen supponunt nisi pro subjecto, quod unum importatur in recto.

Hinc autem difficultas insurgit non exigua, quam possunt pro sua sententia adversus nostram, & communem urgere Nominales; quod scilicet si verum id sit, jam non minus de Petro affirmari verè poterit, quod sit homo, quā quod sit species, nec minus quod sit animal, quam quod sit genus. Sic enim possunt arguere 1. quoties duo termini habent idem rectum, de quocumque verè prædicatur unum, prædicatur & reliquum: atqui homo, & species habent idem rectum; ergo de quocumque dicitur homo, dicitur species, adeoque Petrus ut dicitur homo, ità & species minor est nostra doctrina, major prob. tum quia universim vera est

propositio affirmativa, in qua termini pro eodem supponunt, ut vera est negativa, in qua termini supponunt pro distinctis, tum quia non alio ex capite verum est, quod album sit dulce in lacte, Verbum sit homo in Christo &c.

2. Dum fit iste syllogismus, *Homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species*, juxtà summulas, concessis præmissis, negatur consequentia: variatur enim suppositio, quod terminus homo in majori supponat simpliciter, in minori personaliter, at in nostra sententia hæc Logica præceptio non subsistit. neque enim suppositio variatur, si pro eodem semper supponit terminus. atqui homo in majori non stat, ut volunt Nominales, pro conceptu, & in minori pro re, sed utrobique pro re. non ergo variatur suppositio, adeoque recta est consequentia.

3. Verum est, quod Petrus sit homo, & quod homo sit species. ergo saltem verum erit de Petro dicere, quod quatenus homo sit species. hinc autem fit, ut absolute de Petro verum sit dicere, quod sit species: à reduplicativa enim tenet universim ad præjacentem.

Sed principio si rectè, quæ dicunt Nominales; intelligo, hæc omnia solvenda ab ipsis sunt. asserunt enim conceptus propriè, & formaliter prædicari: cæterum non negant res etiam prædicari denominativè. quid est autem, res ita prædicari, nisi subire denominationes prædicati, ac reliquas secundò intentionales appellationes? hoc autem intelligi non potest, quin simul dicantur res in e.m. denominationibus se habere ut subjectum, & substratum, atque adeo importati in recto. Sic paries eo ipso, quod denominatur albus, seu (quod perindè est) subit albi denominationem, se habet in ea denominatione ut subjectum, & importatur ad modum per se stantis, & in recto. quod si hoc nolunt, doceant; quid sit rem prædicari denominativè.

Ut

Ut autē directè occurratur propositę difficultati, recurrunt nonnulli ad illud, quod putant nomen generis, & speciei cadere suprà aggregatum individuorum formaliter sub una cognitione confusum, & incapax proinde distributionis in singula. species enim humana omnia simul hominis individua importat, nemine excepto, & quamvis eadem significentur per terminum *homo* primò intentionaliter venientem, non tamen significantur sub conceptu aggregati, sed sub conceptu potentis sentire, ac discurrere, quæ est ratio in singularibus ex integro distributa.

Sed hoc est verum tueri falso nomina secundæ intentionis non descendunt. hoc verum est, ratio ea traditur, quod significent multa per modum aggregati, adeoque quod sint nata supponere copulatè. hoc falsum est. copulata enim est species suppositionis personalis; & juxtà omnes summulistas ratio, cur termini secundæ intentionis non descendunt, est, quia stant in suppositione simplici, quæ planè dividitur contrà personalem.

Equidem ut nodum hunc solvam, noto, quamvis suppositio simplex, & personalis faciat utraque stare terminum pro re, discrimen tamen esse, quod personalis facit stare terminum pro re, ut ea est in se, simplex pro re, ut ea est in anima. ista reduplicatio efficit; ut in simplici suppositione semper sensus, & appellatio sit formalis cadens suprà cognitionem, sub qua res talis dicitur, quare perinde est enunciare, *homo est species*, ac enunciare, hominis individua à conceptu, sub quo accipiunt denominationem hominis, accipere etiam denominationem speciei. Hinc apparet non dici speciem, de quocumque dicitur homo; sic enim dum enunciares; Petrum v.g. esse speciem, sensus esset, Petrum esse speciem à conceptu, sub quo dicitur Petrus: quod est falsum; quia Petrus ab eo con-

ceptu non species denominatur, sed individuum

Secus contingit, dum dicitur, *album est dulce in lacte*, quæ est propositio vera, quod habeatur appellatio materialis, & sensus, sit quod substernitur albedini, idem & substerni dulcedini. at si sensus esset, ab albedine lac habere ut dulce sit. (quæ est appellatio formalis, quia prædicatum appellat formale subjecti) prædicatio sine dubio falsa esset. Quod si instes inquirendo, cur in ista, *homo est species*, habeatur formalis appellatio, & in ista, *album est dulce*, materialis? Resp. hanc esse indolem simplicis suppositionis, in qua stat terminus primæ, dum illi per prædicationem apponitur terminus intentionis secundæ, ut faciat semper formalem appellationem supra conceptum proprium subiecti. ratio non est alia, nisi communis sensus, & usus. qui unus attendi debet in acceptione, ac modo significandi vocabulorum.

Atque hinc constat manifesta responsio ad primum, & secundum, quod obiicitur in oppositum. est tamen, quod addatur, ut melius fiat satis secundo, posse nonnunquam suppositionem variari, stante recto prorsus eodem, imo revera suppositionem non variari, nisi stante eodem recto; si enim varietur rectum, non variatur suppositio, quæ est modus standi pro re, sed variatur res ipsa. Sic in duabus istis propositionibus, *Omnes Apostoli sunt duodecim*, *Omnes Apostoli sunt Sancti*, variatur subjecti suppositio non quod aliæ sunt res, quæ subsunt subjecto primæ, & subjecto secundæ, sed quod res eædem in subjecto primæ importantur copulatim, in subjecto secundæ distributim. Hoc ipsum evidentius constat celebri Philos. exemplo de fallacia accidentis. sophisticè enim sic arguitur, *Veniens est Coryscus*; *video venientem*; *ergo video Coryscum*: idque non propter recti distinctionem, ut constat, sed

pro-

propter appellationis varietatem. Simile est in re nostra, dum arguitur, *homo est species, Petrus est homo ergo, Petrus est species*, quamvis rectum hominis in utraque præmissa sit idem, non tamen concluditur; quia in majori prædicatum appellat suprà formalem rationem hominis, à qua est denominatio speciei; sed in consequentia appellat supra formalem rationem Petri, à qua non est denominatio speciei, sed individui.

Ad 3. quod superest, dico, quod ea propositio, *Petrus quatenus homo est species*, potest facere proprium sensum reduplicativum; & sic est falsa propter hoc ipsum, quod præjacens est falsa, ut dicitur in argumento: & potest facere sensum impropriè reduplicativum, & propriè specificativum; & sic est vera; quià non aliud significatur, nisi quod res, quæ est sub conceptu Petri, dum est sub conceptu non Petri, sed hominis, species denominatur.

CAPUT X.

An universale, dum prædicatur, universalitatem retineat.

RESolutionem negativam videtur tueri Scotus q. 16. univ. ad 8. ubi, *Alicui*, inquit, *in quantum prædicatur prædicatione exercita, quæ fit per esse, extraneatur ratio universalis*. sed revera his verbis aliud Scotus non intendit, nisi quod ratio universalis sit extrà prædicationem exercitam, quatenus licet prædicetur res sub universalitate, non tamen prædicatur universalitas. Cæterum ibi in resp. ad 6. ait, *prædicari de homine animal, quod est indifferens ad idem homini, & ad aliud ab homine, verificari tantum pro animali, quod est idem homini.*

Quidquid tamen Scotus senserit, negativam hanc partem amplectitur Oviedus, paucique

Recc. fateturque Venetus c. *de specie* eam fuisse suo tempore opinionem, quæ communiter tenebatur.

Resolutio tamen affirmativa communior nunc est, & verior, quam probo 1. à priori. impossibile est universale non manere; dum manent omnia ejus constitutiva, quæ ab universali constituto nullatenus distinguuntur. atqui dum universale prædicatur, manent ea omnia, quæ ipsum in esse universalis constituunt; nam & multiplicitas rei, & unitas, seu præcisio cognitionis stat tota in prædicato. quod quidem certissimum est in mea sententia inferius explicanda de natura judicii, in quo nulla formaliter est cognitio, sed prævii dumtaxat conceptus simplices intentionaliter conjunguntur in signum unum, ac trahuntur in suppositionis identitatem per solam actus syncategorematici additionem.

2. Si universale per prædicationem universalitate spoliatur, item erit universale prædicabile, ut cæcus potens videre; erit enim id verum dumtaxat ampliative, & in sensu diviso: quod tamen verum esse non potest, nisi sit oppositio inter prædicationem, & universalitatem, ut est inter cæcitatem, & visionem. hoc autem quis rectè dicat? quæ enim incompossibilitas inter potentiam, & actum? certè quamvis actus indifferentiam potentiæ determinet consequenter ad unum, non tamen antecedenter; cum non possit destruere totum antecedens, quod ad ipsum necessario præsupponitur. ut ergo ignis æquè indifferens per se ad plures materias comburendas, determinatur per applicationem ad hanc præ illa, retinens tamen adhuc potentiam, ac virtutem ad illam: ita universale de hoc, & illo prædicabile, dum de hoc determinatè prædicatur, retineat oportet antecedentem potentiam, ut prædicetur etiam de illo.

3. Opposita adversariorum doctrina plerasque

que Logicas præceptiones evertit: sic enim nullius propositionis termini diversam latitudinem habebunt, sed omnes patebunt æquè, ut animal, ità & homo. quid ergo oportet notare communitatem majorem, minoremvè, superioritatem, inferioritatemque terminorum; si nihil ex his in propositione (pro qua una est usus ejusm. advertentiæ) deindè manet? tam igitur erit propria, & directa propositio, *homo est animal*, quàm *animal est homo*: maximè, quod si animal in prima restringitur à subiecto ratione identitatis, ratione ejusdem restringetur in secunda à prædicato. Rursus ut est verum, quod omnis homo est animal, ità & quod omne animal est homo, si animal in propositione ad hominem restringitur, & ita ad illum comparatur, ut risibile.

4. Arguit Venetus. si quæras, quid est Sortes, resp. est homo. si rursum quæras, propter quid Sortes est homo, resp. quia est animal rationale. constat autem, *animal rationale* non terminare quæstionem, propter quid est, ut contractum; quià non singularium, sed universalium est definitio, ut habetur 7. met. igitur homo terminat quæstionem, quid est, non contractus; definitio enim & definitum convertuntur.

Obiic. 1. si de Petro prædicatur homo retinens universalitatem, de Petro prædicatur homo universalis, seu homo ut sic. ex quo fit, ut non tantum sit verum dicere, Petrus est homo, sed etiã, Petrus est homo universalis, & homo ut sic.

Resp. hoc secundum non sequi, quod committitur fallacia accidentis juxta ea, quæ capite proximè superiori sunt disputata;

Obiic. 2. terminus inferior superiori affixus illum restringit, ut dicitur in summulis, ubi de Restrictione terminorum. Sic, cum dico, *homo sapiens docet*, *homo* à sua universali significatione restringitur ad solos sapientes. f in

hac propositione; *Petrus est homo*, terminus singularis universali affigitur, Petrus scilicet homini. ergo illum restringit.

Resp. ab inferiore restringi superiorem terminum, dum coalescit cum eo in unum terminum complexum, ut in his, homo sapiens, & animal rationale: & hoc est, quod summulæ docent. aliter res habet in casu. hæc enim propositio, Petrus est homo, non est de prædicato restricto, ut hæc alia, homo est animal rationale. quod quidem preter jam dicta inde ulterius constat, quod si in prima animal restringitur ad hominem, eique appropriatur, perinde ex ea, ut ex secunda licebit inferre, hominem esse risibilem.

Obiic. 3. Natura realiter per singularitatem contracta, ità hæcceizatur, ut communitatem suam non retineat, sed sit realiter singularis, & hæc. ergo coniuncta intentionaliter cum singularitate, quod fit per prædicationem, singularizatur item intentionaliter, atque adeo non manet intentionaliter universalis.

Resp. 1. nego suppositum antec nullam enim per se habet natura communitatem in re, quam amittat, dum singularitati conjungitur. 2. nego antec. si enim detur naturam per se esse communem, & indifferentem, à nulla superveniente hæcceitate poterit ea indifferentia antecedente spoliari; ut non potest voluntas antecedenter indifferens ad amorem, & odium, non retinere, dum amat, potentiam antecedenter æquilibrem ad odium.

Obiic. 4. Judicium affirmativum ut non supponat præcognitam identitatem subjecti cum prædicato, eam tamen importat, & significat. atqui identitas necessariò contrahit prædicatum universale ad singulare subjectum. cum illud huic approprieτ; quæ enim major appropriatio, quam identitas? ergò prædicatum non manet amplius universale, & abstractum, sed fit contractum, & singulare.

Resp.

Resp. judicium non semper esse notam identitatis adæquatæ, qualis habetur inter terminos æquè latè patentes, ut inter essentiam, & proprietatem, sed esse quandoque notam identitatis inadæquatæ, qualis intercedit inter genus, & speciem. contractio autem quæ habetur, tota est in prædicatione, nulla in significatione prædicati universalis: quatenus ille terminus, qui in sua confusa, præcisaque significatione omnia complectitur, de uno tantum, non de aliis dicitur. Sed hæc dictionis contractio ad unum nihil officit universalitati, ut universim actus non officit potentiæ, quam potius perficit.

Obiic. 5. ita comparatur prædicabile ad prædicationem, ut ad divisionem divisibile; per prædicationem enim universale quodammodo in sua inferiora dividitur, ac distribuitur: atqui divisibile per divisionem amittit divisibilitatem, ergo & prædicabile per prædicationem deperdit prædicabilitatem, & consequenter universalitatem.

Divisibile aliud remotè, aliud proximè. remotè divisibilia sunt, quæcumque sunt distincta, & unibilia. proximè divisibilia requirunt insuper unionem, quam quià tollit divisio, pugnat ea consequenter cum divisibilitate proxima, cujus scilicet non est actus nisi logicus, ut non esse est actus logicus contingentiæ, quæ est potentia essendi, & non essendi. De utravis ergo divisibilitate loquatur argumentum, non concludit; nam prima divisibilitas manet cum divisione, secunda tollitur propter pugnam, ut dictum est. sed nullam esse pugnam inter prædicabilitatem, & prædicationem, hactenus est abundè demonstratum, & constat etiam, quià re ipsa prædicatio non est divisio, cum prædicatum maneat in sua totalitate potentiali eo ipso, quod manent ea omnia, quæ ipsum in sua totalitate constituunt.

Obiic. 6. natura universalis importat in re-

cto omnia individua stantia sub præcisiva cognitione. sed omnia individua hoc pacto stantiá non possunt de singulis prædicari. ergo non potest de singulis prædicari natura universalis. major habet nostram doctrinam. min. patet; quià de nullo hominis v. c. individuo est verum, quod sit omnia hominis individua.

Ad evidentiam responsionis adverto. quamvis prædicentur res, non conceptus; res tamen prædicari juxtà naturam, modumque conceptuum, qui uni ut formaliter prædicatur, ità aliam & aliam subeunt prædicationis, ac suppositionis rationem, atque ita diversimode res denominant. Jam verò conceptus & terminus universalis, & universaliter significativus non semper habet universalem suppositionem; quià cum possit stare pro omnibus, stat quandoque pro uno, sed aliter, ac terminus discretus, qui ex suo significandi modo per se ad unum determinatur, cum terminus communis habeat quendam modum supponendi vagum, verificabilem tantum per unum, quæ dicitur suppositio confusa, & resolvitur per descensum disjunctum, quamobrem perinde est dicere, Petrus est homo, ac Petrus est hic, vel ille, vel ille homo. est tamen discrimen inter hanc, & illam propositionem, quod hæc explicitè ut distinctionem, ità & multiplicitatem importet, cum illa neutram explicet.

Ad formam igitur argumenti dist. ma. natura est omnia individua, quæ importentur à nomine, & conceptu naturæ, ut importantur à nomine, & conceptu omnium individuorum, seù aggregati individuorum, nego. quæ importentur confusè, adeoque modo verificabili in singulis, conc. majorem, dist. min. omnia individua non possunt prædicari de singulis sub nomine, & conceptu explicante omnia, seù aggregatum ex omnibus, concedo: sub nomine & conceptu ea confundente, adeoque stan-

te in confusa suppositione, nego min. & conf. Ad hoc ergo ut possit homo verè prædicari de Petro, non est opus, ut Petrus sit, quodcumque significatur per nomen homo, sed satis est; si sit ille homo, qui est; quia hoc unum est sufficiens ad veritatem propositionis æquivalenter, & implicitè disjunctivæ. Quod totum est proprium universalis, cujus ratio est æquè ab omnibus, & singulis abstracta, æquè in omnibus, & singulis tota; ac proindè potest æquè de omnibus, ac singulis prædicari; ad quam prædicationem satis est specialiter identitas inadæquata.

Hanc eandem responsionem alii aliter explicant, & proponunt. distinguunt duplicem unitatem, seu indivisionem. ut enim duplex est distinctio alicujus rei à significato alicujus nominis, una dicitur distinctio à quolibet contento sub illo nomine, ut distinguitur Bucephalus ab homine: altera dicitur distinctio non à quolibet, sed ab aliquo, ut ego distinguor ab aliquo, non ab omni homine; ita duplex est unitas, seù indistinctio, alia cum quolibet, quæ utrique priori distinctioni opponitur; alia est unitas opposita tantum distinctioni à quolibet: quam unitatem habet pars subjectiva cum toto, species nim. cum suo genere, & individuum cum sua specie. Dum autem universale de singulari dicitur, veritas hujus prædicationis non fundatur in unitate priori, sed posteriori. Præscindit tamen hic modus prædicandi à prædicatione adæquata, & inadæquata, copulativa, & disjunctiva; enim. determinat, utrum Petrus sit idem cum quolibet homine, ut facit illa, *Petrus est omnis homo*. nec, utrum sit idem cum aliquo tantum, ut facit illa, *Petrus est aliquis homo*; sed solum excludit distinctionem Petri à quolibet contento sub homine, adeoque per solam unitatem huic distinctioni oppositam sufficienter verificatur.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De universalibus in particulari.

CAPUT I.

Numerus universalium, seù prædicabilium assignatur.

Divisio universalis seù prædicabilis in quinque partes, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens, quam tradit Porphyrius in ipso introductionis suæ aditu, ab omnibus Peripateticis recipitur, ut optima, & adæquata. Ejus Ratio habetur 1. in doctrina ejusdem Porph. c. de Gen. quidquid n. prædicatur de aliquo, vel essentialiter, vel accidentaliter prædicatur. si essentialiter, aut in quid, dum scilicet respondetur interroganti, quid est; & hoc bifariam; vel enim prædicatur de pluribus specie differentibus, atque hoc est Genus; vel de pluribus differentibus solo numero, atque hæc est species. aut prædicatur essentialiter, in quale, seù in quale quid; atque hæc est Differentia. Si vero prædicatur accidentaliter, aut est accidens ab intrinseco. & à principiis essentialibus fluens; atque hoc est proprium; aut advenit ab extrinseco; atque hoc Accidens absolutè appellatur,

Paulò aliter hanc ipsam divisionem probat Albertus. Omne, quod est in multis aut est in iis secundum substantiam, aut secundùm accidens secundùm substantiam tripliciter contingit; aut enim per modum potentiæ determinabilis, ac perfectibilis. Hoc Genus est, aut per modum actus determinantis, ac perficientis. Hæc est differentia. aut per modum actus perfecti, ac constituti. Hæc est species. Quod autem est in multis secundùm accidens, aut secundùm

dùm accidens naturæ, hoc est Proprium, ut risibile, quod prius speciei, quam individuo convenit, aut secundum accidens individui, hoc est simpliciter Accidens, ut album, quod prius individuo, & per hoc speciei tribuitur.

Confirmat, & explicat id ipsum Sotus paritate. Compositum metaphysicum imitatur physicum, in hoc autem quinque est reperire, materiam, quæ est in homine corpus. Formam, animam, compositum ex utraque hominem ipsum, accidentia propria, quæ insunt ratione formæ, ut potentiæ sensitivæ, & rationales, communia, quæ accidunt ratione materiæ, ut quantitas &c. Idem proportionaliter habetur in compositione totius metaphysici: in quo Genus tenet locum materiæ, differentia formæ, species totius, quod ex utraque conflatur sunt præter hæc accidentia, quæ sequuntur naturam, & Propria dicuntur. & sunt accidentia, quæ sequuntur individuum, & accidentium nomen retinent.

Hinc apparet ordo inter universalia. Nam primò quæ secundùm essentiam, priora sunt iis, quæ secundum accidens; prius enim est rem constitui, & esse, quam perfici per adiuncta; adeoque priora tria prædicabilia priora sunt secundum naturæ ordinem duobus extremis. Rursus quia partes universim præcedunt, & causant totum, ut anima, & corpus hominem, genus & differentia prævertunt speciem: & inter hæc ipsa præit genus ut pote pars materialis, & subiectiva. Deinde quæ accidentia radicantur in essentia, ut intimiora, ità & priora sunt iis, quæ sequuntur individuum. Quare Proprium prius est Accidente.

Posset nunc disputari, an universale sic divisum sit Genus, & univocè descendat ad quinque prædicabilia, in quæ dividitur. Res est non magni momenti. Placet resolutio negativa, quàm tuetur Albertus, Boetius, aliiq; apud Co-
nimbr.

nimbr. hic q.7. ar.2. Ratio est hæc. Universale aut est unum in multis, aut unum de multis; neutro modo est univocum, & genus, nam. 1. aliter sunt in multis tria priora, ac duo postrema universalia, illa sunt in multis per essentiam ista per accidens. præterea genus est in multis per modum partis potentialis, differentia per modum partis actualis, species per modum totius; proprium est in multis convertibiliter, & necessariò, accidens inconvertibiliter, & contingenter. Hæc autem tota diversitas cum afficiat non differentiam aliquam inferiorem extraneam rationi communi universalis, sed ipsam rationem universalis, h. e. inexistentiam in pluribus, & prædicabilitatem de pluribus, consequens est ut universalis ratio non univoca sit, sed analoga quod constabit ex iis, quæ infrà dicemus de ratione entis, quam propterea analogam ostendemus, quòd discrimen inferiorum sit in ipsa ratione existendi unicuique imbibita.

Jam contra numerum prædicabilium solet obiici 1. Definitio est universalis, & de pluribus prædicabilis, nec ad ullum ex quinque numeratis reducitur. Præterea individuum vagum est ratio communis, ut & ratio entis, nec videtur ad quod universale ex positis pertineant. Item prædicamenta sunt decem; ergo & prædicabilia. Postremò universale dividitur in quinque prædicabilia. sed nullum illorum quinque dividitur in quinque prædicabilia, ergo præter illa quinque datur sextum, quod dividitur: plura igitur sunt prædicabilia, quàm quinque.

2. Philos. 1. top. quatuor tantum prædicata statuit, Genus, Differentiam, Proprium, & Accidens, constat autem tot esse prædicabilia, quot prædicata. Præterea ita comparantur genus, & species, ut differentia subalterna, & atoma, ita scilicet animal, & homo, ut sensitivum, & reale, atqui differentiæ diversæ non con-

stituunt

stituunt duo prædicabilia. ergo nec genus & species. Demum accidens continetur sub genere; nam coloratum est genus ad album, & nigrum, pauciora igitur sunt prædicabilia, quā quinque.

Ad 1. resp. aut definitionem reduci ad speciem, quam explicat, aut esse non unum sed duo prædicabilia, genus & differentiam, quæ explicitè importat. Individuum verò vagum, ut & ens non sunt termini univoci, sed analogi, ut infrà dicetur, hic autem universale dividitur, h.e. univocum. Sed neque par est ratio de prædicamentis, ac de prædicabilibus; nam prædicamenta dividuntur juxta varias interrogationes, quæ fieri primò intentionaliter possunt de prima substantia, adeoque ea est divisio metaphysica, non Logica: at prædicabilia dividuntur juxtà diversitatem modi prædicandi essentialiter, aut accidentaliter &c. ut declaratum est. quare hæc est, divisio ex asse Logica. Quod demum obiicitur, fallax est, nec concludit, etiam dato, quod universale ad suas partes subiectivas univocè descendit: quod patet in simili; non enim nisi sophisticè ita concluditur: homo est species, & nullus homo singularis est species, ergo est aliquis homo, qui non est homo singularis: variatur enim suppositio, cum homo in majori supponat simpliciter, in minori personaliter, ita in casu.

Ad 2. si quinque sunt prædicabilia, quæ possunt prædicari; quinq; etiam sunt prædicata, quæ actu prædicantur. Neque oppositum voluit ibi Phil. sed quia de prædicatis loquebatur ut pertinentibus ad definitionem, ad ostendendum, quæ definitioni sint apta, quæ non, speciem omisit, quia hæc non definit, sed definitur. Alia deinde est ratio differentiarum, ac generis, & speciei: quævis enim differentia eundem habet prædicandi modum in quale quid, seù ut pars formalis, & actualis essentiæ, at genus prædicatur in quid ut pars essentiæ, species ut to-

ta

ta essentia. Denique Accidens sive proprium, sive commune potest comparari cum inferioribus; atq; ita non est prædicabile distinctum; & potest comparari subiecto, cui inest; atque ità duo illa prædicabilia conficit.

CAPUT II.

De Genere.

ANtequam genus Logicum definiat, tres distinguit Porphyrius generis acceptationes. 1. genus dicitur hominum multitudo trahentium denominationem à communi vel patria, vel parente: qua ratione dicitur Romanorum genus per respectum ad Romam, vel ad Romulum. 2. genus dicitur cujusq; generationis principium, sivè principium sumatur à generante, influente per vim propriam seminalem sive à loco, in quo quis est genitus, influente per virtutem à Cœlo acceptam. ex. 1. dicimus Orestem à Tantalo, Hylum ab Hercule genus ducere. ex. 2. dicimus Pindarum quidem genere Thebanum, Platonem verò Atheniensem. Hinc 3. Dialectici genus accipiunt pro eo, quod species sub se continet.

Tria ejusm. genera conveniunt invicem, & differunt. Conveniunt in hoc uno, quod important unitatem principii, à quo est multorum descensus, sed differunt 1. ex parte principiorum; quoniam principium primi generis est denominativum, secundi effectivum, tertii formale, hinc principium primæ multitudinis per nihil sui descendit in illam, quam habet solum extrinsecè denominare; principium secundæ descendit in illam per aliquid sui, separatum tamen secundum esse, & secundùm rationem: principium tertię descendit in illam cum tota sua essentia, sed descendit per differentias ab ipso separatas non re, sed rationę. Differunt 2. ex partę

multi-

multitudinum; nam in 1. quælibet pars multitudinis subiicitur generi suo ut pars integralis. in 2. quælibet pars suo generi subiicitur, ut pars virtualis, in ejus scil. virtute præcontenta. in 3 quælibet pars subiicitur generi, ut pars subiecta, quæ in potentia generis continetur, hinc in prioribus multitudinibus quælibet pars re differt à suo principio; sed nulla pars tertiæ multitudinis re distinguitur à suo genere.

Ex his primum genus pertinet ad Morales, præsertim Politicos: alterum ad naturales Philosophos: tertium ad Logicos, quod proinde hic à Porphyrio definitur ex Arist. 1. top. 4. Genus est, quod de pluribus specie differentibus in eo, quod quid est, prædicatur. Ubi verbum, prædicatur, quod sonat actum, revera stat pro aptitudine ad prædicari.

Notandum hic generaliter ex Phil. 7. met. t 13. & 14. accidens in concreto non habere quod quid erat esse, h.e. definitionem quid rei, ut suprà etiam notavi, sed si sic definiatur, definiri potius abstractum ipsius. Ut ut autem definiatur sivè in concreto, sive in abstracto, semper definitur per subiectum, sed cum distinctione, in concreto enim definitur per subiectum stans loco generis: in abstracto definitur per subiectum stans loco differentiæ, sic coloratum dicitur res habèns colorem. ubi subiectum est definitionis initium, perinde ut animal in definitione hominis. Color dicitur, extremitas perspicui in corpore terminato; ubi corpus seù subiectum claudit definitionem, perinde ut in definitione hominis rationale. Cum ergo genus sit concretum, genereitas abstractum, & utrumq; sit accidens; rectè genus definitur per subiectum, dicendo, esse illud, quod potest de pluribus specie differentibus prædicari, quod si velis definire genereitatem, dices esse universalitatem & prædicabilitatem illius, quod potest &c.

Præ-

Probat hanc definitionem Porphyrius; quia per eam explicatur, in quo genus conveniat, in quo differat à reliquis prędicabilibus. Convenit in eo, quod potest prædicari: sed per posse prædicari de pluribus differt ab individuo, quod dici non potest, nisi de uno: & in hoc ipso cum aliis universalibus convenit.

Differt autem à specie; quod hæc prædicatur de pluribus numero differentibus; genus verò præterea etiam de pluribus differentibus specie; undè fit ut de pluribus differentibus numero genus non nisi mediatè prædicetur, h. e. mediante specie; atque adeo genus de iis dicitur ut pars essentiæ, species ut tota essentia.

Differt à tribus reliquis, quia prædicatur in quid, cum illa prædicentur in quale, ut explicatum superius est.

Obiic. 1. genus potest in unica specie conservari; non enim plus ipsum exigit pluralitatem specierum, quam species individuorum: constat autem speciem conservari in unico individuo, ut videre est in Sole &c. non ergo est de generis ratione prædicari de pluribus speciebus.

Antec. potest dupliciter intelligi. 1. ita ut nulla alia species sit possibilis. 2. ita ut unica sit existens, reliquæ possibiles. Altero hoc modo potest genus in unica specie conservari, ut & species in unico individuo; quia universale non est unum in multis, nisi secundum aptitudinem. primo modo & genus in unica specie, & species in unico individuo esse potest secundum essentiam realem, & prædicata primò intentionalia; si enim nullum esset animal possibile pręter hominem, adhuc animal esset in homine principium sentiendi: sed non secundum prædicata secundò intentionalia, ut infrà adversus Cajetanum ostendam.

Obiic. 2. Genus potest de individuo immediatè prędicari neque enim minus rectè de Sorte dicitur, quod sit animal, quam quod sit homo, ergo

ergo malè in hoc genus à specie discriminatur.

Sed aliud est, quod prædicatio sit immediata, aliud, quod sit inter terminos immediatos jam Petrus & animal utcumque immediatè coniungantur ab intellectu, immediati non sunt; mediat enim inter ipsos homo si minus actu, saltem aptitudine: per quod satis differt à specie genus.

Obiic. 3. Proprium quandoque dicitur de genere, ut divisibilitas infinita de continuo. hoc autem proprium perinde ut Genus suum poterit de pluribus specie differentibus prædicari, non ergo hæc est generis differentia.

Sed 1. proprium non dicitur de genere ut genus est, sed ut quædam species est in sua essentia constituta, ad quam propria passio consequatur. Rursus Proprium de specie immediate ut de subiecto, de inferioribus speciei non nisi mediatè, h. e. media specie, demum de his omnibus non in quid, sed in quale prædicatur, atque ita à genere omninò distinguitur.

Obiic. 4. omnis forma de suo subiecto prædicatur in quale, ut constat in ipsa essentiali differentia, at Genus ex Phil. 7. met. est forma suarum specierum, ergo de iis non dicitur in quid, sed in quale.

Verum, ut habet Phylosophus ipse, & Comment. 5. met. t. c. 30 genus est dupliciter considerabile. 1. ut pars componens metaphysicè speciem; atque ità non formę, sed materiæ rationem habet; venit enim ut determinabile, & potentiale. 2. ut totum potestativum suas omnes species in se complectens; atque ità est forma specierum ut omnem totum est forma partium: sed est forma totius, quæ habet modum per se stantis, non adiacentis; atque ideo non in quale, sed in quid prædicatur.

Ob. 5. nullum univocum est genus. Omne universale est univocum, ergo nullum univer-

ſale eſt genus. ma: prob. ex Phil. 7. phyſ. cap. 4. dicente, quod in genere latent æquivocationes.

Hic Phil. textus ab aliis aliter explicatur: Placet præ cæteris expoſitio Ægidii, & D. Th. putantium Ariſtotelem ibi loqui de genere ſumpto non logicè, ut dicit intentionem, & rationem unam, in qua nulla diverſitas, & nulla æquivocatio, ſed de genere ſumpto phyſicè, ut importat reales naturas, quæ cum ſint invicem diverſæ, natæ ſunt parere æquivocationem.

CAPUT III.

De Specie:

SPecies ſtati. pro pulchritudine, ut cum ſpecies dicitur digna imperio. Stat 2. pro ea, quæ eſt ſub dato genere, ut cum homo dicitur ſpecies animalis, hæc autem poſterior ad prioris ſimilitudinem nominatur: eſt enim & ipſa forma, ac perfectio ſui generis. Hujus ſpeciei 3. definitiones à Porphyrio traduntur juxta triplicem ejus habitudinem. Definitur 1. ut comparatur ad Genus quà univerſale, dicendo, ſpecies eſt, quæ immediatè ponitur ſub aſſignato genere. 2 ut comparatur ad Genus qua prædicabile, dicendo, ſpecies eſt, de qua prædicatur immediatè Genus in eo, quod quid eſt. 3 ut comparatur ad individua, dicendo, ſpecies eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. Duæ priores competunt omni ſpeciei, etiam ſubalternæ. 3. nonniſi atomæ. ſed per hanc ultimam explicatur potiſſimum id, per quod ſpecies eſt unum ex 5. prædicabilibus, cum per alias ſubiicibilitas ejuſdem explicetur, quæ formaliter ad univerſale non pertinet.

Obiic. 1. Genus eſt definitum per ſpeciem, nunc ſpecies definitur per Genus. committitur ergò

ergò circulus in definiendo. Et quidem universim quod definit, debet esse quid notius definito. Si ergo idem & definit, & definitur, erit simul notius, & ignotius. Conf. quoties in definitione ponitur aliquod definibile, clarior erit definitio, si ejus loco definitio ipsius ponatur, ut dicitur. 8.top. & patet in animali, quod definit hominem: quod si in definitione hominis loco animalis ponas animalis definitionem, clarius hominem definies, dicendo, est vivens sensitivum rationale. Si ergò genus definitur per speciem, & è converso, in utriusque definitione utriusque definitio poni poterit. Sed tunc habebitur definitio manifestè nugatoria, ut constabit experiri volenti.

Resp. Porphyrius id esse proprium relativorum, ut se mutuò definiant; ut.n.se habet res ad esse, ità ad cognosci. quia ergo relativa se mutuò quoad esse, & quidem essentialiter exigunt, ità ut unum sine altero esse sit impossibile; consequens est, ut nec possit unum sine altero cognosci, ac definiri. Ut autem fiat satis argumento, & ostendatur nullum esse in his definitionibus vitium, noto; relativa, ut & alia quæcumque, duas habere definitiones, alteram quid nominis rudiorem, & priorem, alteram quid rei perfectiorem, & posteriorem. Sic in casu genus secundùm quid nominis est collectio diversarum naturarum, species est collectio multorum non adeò dissimilium individuorum. Hinc facile respondetur dicendo, genus & speciem comparari invicem, ut quid notius simul & quid ignotius, sed secundum alias, & alias notiones. nam cum prius ambo innotescant secundùm quid nominis, tum transeunt ad se mutuò definienda secundùm quid rei. quare quid rei generis pendet à quid nominis speciei; atque ita genus pendet à specie.

Ad conf. dico, eam regulam habere locum, dum definiens est pars intrinseca definiti, ut pa-

patet in exemplo animalis, non verò dum est terminus extrinsecus intrinsecæ habitudinis, nisi malis, etiam in hoc casu posse apponi definitionem definientis, sed eam, quæ sola supponitur, h. e. definitionem quid nominis, non quid rei.

Obiic. 2. Duæ priores definitiones speciei competunt etiam individuo, quod est sub genere, & generi in prædicatione subiicitur. nec juvat dicere, individuum non esse immediatè sub genere, nec de ipso genus immediatè dici. tum quia debebat in definitione hæc ipsa immediatio explicari. tum quia individuum generis, v.g. hoc animal non mediatè, sed immediatè ponitur sub genere.

Resp. non debuisse immediationem explicari in speciei definitione; semper enim tale simpliciter stat pro eo, quod est primò tale. Individuum autem generis stat immediatè sub genere, non in quantum genus, sed in quantum species est: quod ex eo constat, quia de illo prædicatur genus in quid complete.

Obiic. 3. Species non solum de individuis, sed etiam de differentia prædicatur; tàm enim est verum, quod Petrus, quam quod rationale sit homo, non ergò species adæquatè per prædicabiliitatem de individuis explicatur.

Resp. Logicè loquendo, & ut est opus ad scientias, speciem non rectè prædicari de differentia, quod ostenditur, ubi de modis dicendi per se, neque enim species est de conceptu differentiæ, sed contrà, cum non rationale per hominem, sed homo explicetur, ac definiatur per rationale.

CA-

CAPUT IV.

De individuo.

INdividuum est speciei correlativum, adeoque ejus notitia manifestat speciem. Potest accipi primo intentionaliter, ut significat rem extrà; sic est, Petrus, Sortes, Plato; & secundò intentionaliter, ut significat rem quà conceptam proprio, ultimoque conceptu; atque ita exprimitur per eas voces, individuum, singulare, &c.

Jam verò triplicem Individui definitionem Porphyrius habet. Prima est individui primò intentionaliter stantis. quæ definitio, quod erat extra ipsius institutum, minus est accurata; dicitur enim Individuum, cujus collectio proprietatum, & accidentium nunquam in aliquo alio eadem esse potest: quæ certè descriptio est procedens per ea, non quæ individuum est, sed per quæ nobis manifestatur, tanquam per suas characteristicas proprietates, quæ à Logicis eo carmine comprehenduntur.

Forma, Figura; Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus.

Reliquæ sunt definitiones individui sumpti secundò intentionaliter; quarum altera sic habet: individuum est, quod sub specie continetur. altera sic: Individuum est, quod de uno tantum prædicatur. quæ definitiones constructæ sunt ad earum imitationem, quæ traditæ sunt de speeie; adeoque ex ibi traditis facilè intelliguntur.

Restat, ut inquiramus, an possit ab omnibus individuis abstrahi una ratio communis, & univoca individui, & quæstio procedit de individuo primò intentionaliter, non secundò intentionaliter accepto.

Huic quæsito Cajetanus, & cum eo plerique Thomistæ affirmativè respondent, ac proindè addunt Porphyrio sextum universale, quod ajunt prædicari non in quid, nec in quali essentialiter, aut accidentaliter, sed in cujusmodi, seu in quale modaliter. Mihi verò responsio negativa videtur omninò probabilior. Et quia possumus loqui de ratione importata per hoc nomen, Individuum, & de ratione importata per individuum, ut dicunt, vagum, ut aliquis homo, neutri subesse rationem communem univocam contendo.

Probo primum, nomen individui est impositum ad significandam de formali eam rationem, per quam ultimò res constituitur, & distinguitur ab omni eo, quod non est ipsa. Utcumque autem abstrahi possit conceptus hic omni individuationi communis: at certè est conceptus in qualibet individuatione imbibitus, & de ea prædicabilis non in concreto, sed in abstracto. Nomen igitur individui & conceptum istum unum, & conceptus diversos, per quos singula & constituuntur, & distinguuntur importat; adeoque non univocum est, sed analogum, ut melius constabit ex iis, quæ infra de Entis analogia disputabo.

Conf. quia revera singularitas coincidit cum ratione unius simpliciter dicti, quæ Entis est passio, quare est ratio transcendens, & in omnibus individuis cujuscumque prædicamenti reperitur. Nulla autem ratio transcendens est univoca, ut concedunt adversarii, qui proptereà suum hoc dictum limitant ad individua ejusdem prædicamenti; sed qua cohærentia, ipsi videant.

Probo secundum. in omni nomine univoco illud habetur, quod inferiora per eandem rationem ipsum participant. atqui individuum vagum per aliam abaliis rationem participatur; neque enim est eadem ratio, per quam Pe-

trus,

trus, & per quam Sortes est aliquis homo; cum Petrus per suam individuationem, Sortes per suam fit aliquis, seu singularis homo. Profectò hic terminus aliquis homo humanitatem importat cum notitia disjuncta cujuspiam hæcceitatis ipsam particularizantis. nulla autem notitia hæcceitatis est univoca, ut est probatum.

Conf. utrumque ad hominem contrà adversarios opinantes ad omnem univocationem requiri objectivam præcisionem inter rationes præcisas: quo dato, videtur non posse vitari processus infinitus in rationibus individualibus, si individuum sit univocum, adeoque objectivè præcisum. si enim individuum objectivè duas rationes involuit communem, & propriam, quæri potest de propria, utrum illa etiam sit individuatio? & si sic, ut negari non potest jam in illa etiam erit reperire duplicem aliam rationem communem, & propriam; atque ita erit progressus sine termino.

Dices cum Cajetano. In individuo v.g. Petro tria sunt consideranda, natura humanà, modus particularis, quo natura est in Petro, & principium, quo natura determinatur, ut sit in Petro potius, quam Platone. Jam si consideretur natura secundo modo, consideratur ut particularis, quamvis nondum determinata ad Petrum; atque adeo habetur tunc conceptus naturæ particularis perfectè præcisus à singularibus.

Sed contra est 1. non est alius modus particularizans naturam, nisi ipsa singularitas; & quivis alius gratis fingitur. quid enim si pariter quis fingeret genus, v. g animal, in priori ad differentiam; à qua contrahitur, habere modum existendi specificè? ex quo fieret, ut homo & equus non solum convenirent univocè in ratione animalis, verum etiam in ratione speciei; & omnia similiter genera intermedia haberent universim duplicem convenientiam,

univocam primò intentionalem, alteram per ipsas rationes communes, alteram per talem modum existendi communium rationum; quod est inauditum.

Contrà est 2. natura ut facta per talem modum particularis non potest objectivè præscindere à Sorte, & Platone, in quibus unis natura realiter inexistit. cum enim hic sit modus existend irealis, & objectivus, nec realiter detur individuum, ut sic, sed hoc & illud; consequens est, ut natura non aliter individuetur, nisi per hoc quod existat in hoc, & illo, Sorte nim. & Platone.. non ergò sub tali modo considerata natura univocationem sortitur, cum in eo differentias dividentes involvat.

Conf. natura juxta Thom. non est per se hæc, & singularis, sed per materiam quantitate signatam, ut per principium individuans, & distinguens. Rursus hæc ipsa materia naturam communem determinat, ut sit Sortes potius, quam Plato. non potest ergo natura intelligi individuata, nisi simul intelligatur facta Sortes, aut Plato. ergò non potest intelligi univocè individuata. patet 2. consequ. nulla enim univocatio, ubi veniunt rationes discriminantes, & distinguentes. prob. prima. intellecto constitutivo Sortis in esse Sortis, impossibile est non intelligere Sortem. atqui natura individuatur formaliter per materiam signatam, quæ est ultimum constitutivum Sortis in esse Sortis. ergò impossibile est intelligere naturam individuatam, & non intelligere Sortem.

Obiic. Individuum à Porphyrio definitur. sed definiri non posset, nisi rationem unam indiviiduis omnibus communem haberet. datur ergò una ratio communis individui.

Quis unquam hoc negavit? negavi eam esse univocam, non quia non est una, sed quia est in singulis imbibita, adeoque unitatem, & diversitatem importat: quod est proprium ratio-

nis

nis analogæ, ut constabit in Ente. Mitto alia argumenta, quæ congeri possunt: omnia enim id solum probant, dari rationem unam abstractam individui: quod sponte do; sed plus aliquid ad univocationem est opus.

CAPUT V.

An genus requirat essentialiter multitudinem specierum sub se, & species individuorum.

QUoad utramque hujus dubii partem communis responsio est affirmativa. discordant quoad secundam à reliquis Thomistæ putantes esse in hoc disparem rationem inter genus, & speciem. nam genus habet in potentia differentias, quas non habet species, quæ scil. ad inferiora sua non descendit per differentias, sed per materiæ divisionem. Sed quidquid de hoc sit, quæstio præsens non absoluta est, qualis pertinet ad Metaphysicam, sed conditionata, ac resolubilis per Logica principia. & sensus est; dato, quod genus, puta animal, unam tantùm speciem humanam possibilem sub se haberet, & homo unum tantùm possibile individuum, qualem Thomistæ censent speciem omnem Angelicam, adhuc & animal genus logicum, & homo logica, species dici posset.

Huic equidem quæsito communis est negativa responsio, quam amplector. Prob. communiter ex notione generis, & speciei, importantium habitudinem rationis ad plura sub se, ut constat ex definitionibus c. 2. & 3. assignatis. Ut ergo non manet habitudo vel aptitudinalis ad plura, si non sunt possibilia ea plura; ita nec manet essentialis ratio generis, & speciei, quæ in ea habitudine consistit.

Occurrit huic argumento Cajetanus De En-

te, & essentia c. 5. q. 9. ad 2. Scoti, notando ex D. Th. aliquid posse dici universale dupliciter, vel secundum rem, & rationem, vel secundum rationem tantum: cum enim universalis fundamentum ex parte objecti sit natura actu plurificata, vel plurificabilis secundum numerum, ex parte verò intellectus sit repræsentatio naturæ sine conditionibus individuantibus, tunc habetur universale primo modo, cum habetur natura, & actu divisa in multis, & actu præcisa à multis; tunc habetur universale secundo modo, cum habetur natura non divisa actu, sed præcisa.

Jam vero quia naturam nos Angelicam immaterialem, atque adeò immultiplicabilem secundùm numerum ad modum materialium concipimus, fit ut abstrahatur non raro à ratione individuante, eamque uni addicente. natura sic abstracta potest appellari universalis secundùm rationem, non quod possit inesse multis (sic enim esset etiam universalis secundùm rem) sed quia ut taliter concepta nullam explicat repugnantiam ad esse in multis: quod est ponere in tali natura potentiam. & aptitudinem non physicam, sed logicam ad multiplicari, & hanc ipsam non simpliciter dictam, sed solum quantum est ex capite naturæ sic expressæ '. Hinc resultat in natura relatio universalitatis ad multa, non quidem quæ sit ad multa, sed quæ esset ad multa, si ea essent. neque vero ex hoc rectè inferas, eam naturam non absolutè, sed conditionatè futuram universalem. etenim est actu in natura relatio universalitatis, quæ scilicet est apta ex se referre ad multa.

Hæc doctrina ut sit ingeniosè excogitata, mihi tamen non probatur, nec secundùm id quod habet de re, nec secundum id quod habet de nomine. De re habet, posse naturam Michaelis præscindi ab individuatione in hypo-

thesi

thesi Thomistica. De voce habet naturam sic præcisam posse appellari universalem.

Prob. non rectè dici primum ad hominem contrà adversarios requirentes ad universale præcisionem perfectam ex parte obiecti. Quæ enim natura in sua essentiali ratione involuit repugnantiam ad multiplicari, non potest obiectivè ab ea repugnantia præscindi, & per consequens nec à sua individuatione; ut constat ex terminis; quià nulla est obiectiva præcisio à ratione essentialiter involuta; aliter hæc esset inclusa simul, & exclusa, atqui Michael in hypothesi includit in sua essentia repugnantiam ad multiplicari. ergò non potest ab ea obiectivè præscindi. minor patet ex doctrina adversariorum, apud quos repugnantia ad multiplicari est ipsa immaterialitas, quæ cum sit juxtà D. Th. ratio à priori probans intellectivitatem, erit pariter, ut intellectivitas, imò à fortiori involuta in essentiali ratione Michaelis.

Conf. natura Michaelis taliter præcisa ex hoc esset universalis, quia quantùm est de se, posset & esse in multis, & dici de multis, si ea multa essent; atqui hoc est impossibile, aut enim ista non repugnantia (utcumque dicatur non positiva, sed negativa) realis est, aut rationis tantùm. non realis; tum quia natura esset universalis etiam secundùm rem; tum quia chimærica est quæcumque non repugnantia ad chimæram; cum enim unaquæque realis ratio per se sit realis, & ens per se positivè repugnat chimæræ. Non rationis tantùm; & per conceptum, ut aiunt, inadæquatum; hoc enim juxtà adversariorum doctrinam ad universalitatem non est satis; quandoquidem quod dicit in suo conceptu obiectivo diversitatem, non potest per ipsos esse univocum. ergo quod dicit in suo conceptu objectivo addictionem ad unum, non potest esse universale; ita enim

pugnat cum univocatione diversitas, quàm cum universalitate singularitas.

Probo deindè non rectè dici secundum. Conceptus enim universalis est, ut sit natura una apta esse in multis: quæ aptitudo merè negativa esse non potest, ut singulariter interpretatur Caietanus (singularitas ipsa in quæstione de vocabulo sententiam satis improbat) sed debet esse positiva per habitudinem ad multa vel actu, vel potentia. Quod primum ostendo ex impositione nominum generis, & speciei, quæ distinguuntur ex gradualitate perfectionum, quas videmus a multis participatas. Unde distinguimus gradum superiorem ab inferiori, quod illum in pluribus, hunc in paucioribus reperimus: individuum autem dicimus, quod in uno dumtaxat est. 2. ex Phil. pluries asserente, universale esse unum collectum ex multis. 1. post. t. c. 182. ait, universale manifestum esse ex multiplicatione singularium 1. phys. t. 4. dicit universale esse quoddam totum, quod multa sub se comprehendit ut partes. quod expressius habet 5. met. t. c. 31. ubi postquam definivit totum, *cuius nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur, & quod continet contenta, ità ut unum quid illa sint*; addit universale esse totum quoddam, quod multa continet, eò quod de singulis prædicatur, & sunt omnia unum. Quod verò attinet ad genus, de eo specialiter in topicis testatur, cadere à generis ratione eo ipso, quod sub eo species non sunt; Sic enim ait 4. top. c. 3. *Quoniam autem omnis generis plures species, inspiciendum, si non contingit alteram speciem esse dicti generis; nàm si non est, manifestum, quoniam non erit genus omninò.* Eadem autem videtur ratio de specie, si inspicias utriusque definitionem.

Neque valet. si dicatur, Philosophus loquutus non de toto, quod re ipsa est totum. sed quod secundùm se non explicat repugnan-

tiam

tiam ad esse totum. Contra enim est; quia hoc non est exponere, sed ad immanem improprietatem trahere verba Philosophi. quid enim, si quis pariter dicat, animam rationalem, & Angelum esse totum integrale, dum in suo essentiali conceptu præscindunt à materia, & quantitate, quæ per Thomistas est ratio partium? quid si dicat, esse totum essentiale Physicum, dum in suo conceptu non explicant repugnantiam ad componi ex materia, & forma? Profectò nihil dicitur tale, nisi quod re ipsa est tale, non verò quod spectatum secundùm unam rationem non repugnat ut sit tale, si repugnat secundum aliam; aliter equus rectè poterit dici homo, quia spectatus secundùm præcisam rationem animalis non repugnat ut sit homo.

Præter hæc posset etiam natura divina hoc pacto evadere, ac dici meritò universalis; nam & ipsa potest à nobis concipi ad modum entium materialium; adeoque præscindi à sua individuatione nihilo minus, ac natura Michaelis. Negat Caietanus hanc sequelam; quia, inquit, natura divina utcumque considerata, & abstracta semper est purus actus, adeoque determinatus essentialiter ad unum: quod non contingit in Angelo omnem potentialitatem non excludente. Sed contrà est; ut enim Deus in sua natura consideratus est purus actus, ita Michael consideratus in sua est purus spiritus. ex quo fit, ut licet Michael non excludat omnem potentialitatem, hanc tamen, qua possit in multa individua descendere, essentialiter excludit. quare data disparitas non videtur ad rem, quia non distinguit inter id, quod re ipsa est, & id quod præscindenti apparet.

Obiic. 1. Michael, & Gabriel in ea hypothesi adhuc specie differrent, ut differrent specie equus, & homo, si unus tamen sit possibilis equus, & unus homo. ergo reti-

nent in ea hypotheſi veram rationem ſpeciei:

Sunt, qui reſpondent, antecedens ad ſummum eſſe verum de ſpecie non Logica, ſed Phyſica, vel ut alii diſtinguunt, de ſpecie non prædicabili, ſed ſubiicibili; ſed de hac re dicam c. 7.

Obiic. 2. poſſet dici ſpeciem Angelicam prædicabilem eſſe de multis individuis non realibus, ſed fictis.

Reſp. hunc eſſe peſſimum modum tuendi ſententiam Cajetani; quare, & reiicitur à melioribus Thomiſtis. tum quia prædicabilitas, ſeu affirmabilitas de individuis fictis non poteſt non eſſe ficta, & chimærica; identitas enim cum chimæra formaliſſimè eſt chimæra: nihil autem fictum poteſt conſtituere univerſale, de quo hactenus loquuti ſumus. tum quia ſpecies eſt prædicabile univocum. nihil autem commune univocum enti reali, & ficto.

CAPUT VI.

De Differentia.

DEterminat deinde Porphyrius de differentia, quæ cum genere comparatur ut ejus diviſiva, cum ſpecie ut ejus conſtitutiva. Ponit igitur plures differentiæ acceptiones: tum ſeligit, quam intendit, eamque multipliciter definit.

Ergo triplex eſt differentia, communis, propria, & propriiſſima. Communis eſt, qua alterum ab altero, aut à ſe differt accidentali alteritate, ut Aethiops ab Italo per nigredinem, & Plato ſenex à ſe puero per ætatem. Propria eſt, qua unum ab alio differt inſeparabili, ac proprio accidente. ſic oculus cœcus differt à naſo ſimo; nam & cœcitas oculi eſt propria, & ſimitas naſi. Propriiſſima eſt, qua unum ab alio differt primo, & eſſentiali differentia, ut homo per ratio-

tionale differt ab equo. Duæ primæ differentiæ cum sint accidentales non faciunt nisi alterum. tertia cōstitutiva, & essentialis facit etiam aliud.

Hæc differentia potest multipliciter considerari. 1. in quantum constituit speciem. 2. in quatum dicitur de specie 3. in quantum dividit genus. 4. in quantum constitutum per illam distinguitur. 5. in quantum est universale distinctum à proprio, & accidente. Pro his considerationibus quinque differentiæ notiones tradidit Porphyrius.

Prima est. Differentia est id, quo species abundat à genere. sic hominis illa dicitur differentia, qua homo plus est, quam animal; est n., præter animal, rationale & hoc est ejus differentia. Ista porrò abundantia à genere duo declarat. 1. differentiam esse omninò extrà conceptum generis, & è converso. 2. differentiam contineri in genere potestativè; quod enim abundat, seù exit ab alio, necesse est ut in eo virtute contineatur: quæ continentia non est propriè dicta, sed similitudinariè, & per analogiam ad physicas causas.

Altera est. Differentia est, quæ dicitur de pluribus specie differentibus in quale quid. Quæ est notio differentiæ non ultimæ, sed subalternæ.

Tertia est. Differentia est id, quod est natum dividere, quæ sunt sub eodem genere: sic rationale dividit hominem ab equo, qui sunt sub eodem genere animalis. Dividit autem differentia & genus, & species, sed aliter. dividit genus determinando: dividit species separando. cæteroqui enim genus divisum secundùm totam suam rationem manet in singulis speciebus, ad quas per oppositas differentias determinatur, & trahitur. species autem ità dividuntur, ut essentia ab essentia separetur.

Quarta est. Differentia est id, quo differunt à se singula. Hæc videbitur cuiquam non tam

defi-

definitio, quam petitio principii, sed debet advertere, in his & similibus per se notis non quæri definitionem, imò nec explicationem rigorosam, sed satis esse circumlocutionem, non ut aliquid clarius explicetur, sed ne nihil omninò dicatur, ut in similibus sæpè alibi repetemus.

Quinta est. Differentia est id, quod ad esse conducit, & est rei essentialis pars. Hanc definitionem ait Venetus à Peripateticis adinventam, qua præcedentes omnes complerentur, explicat enim duplex præcipuum munus differentiæ. 1. est conducere, seù trahere genus ad esse per determinationem. 2. conducere speciem ad esse per constitutionem. atque in hoc differentia à proprio, & accidente secernitur, quæ quidem conducunt ad esse rei non substantiale, & primum, sed accidentale, & secundum.

Obiic. 1. differentia non potest definiri; si enim posset; differentiæ esset differentia, cum non possit esse definitio sine differentia definiti; adeoque iretur in infinitum, hinc Phil. 7. met. solam speciem statuit definibilem.

Resp. differentiam primò intentionaliter acceptam, de qua loquitur Physicus, non definiri propriè dicta definitione, sed quadam notificatione ulterius explicari, ut rationale per principium discurrendi, at in præsenti est sermo de differentia sumpta secundò intentionaliter, & in quantum est species licet impropria universalis: secundùm quam rationem nihil illi deest ad propriè dictam definitionem, nisi quod universale ab ea divisum propriè genus non est.

Obiic. 2. ut se habet proprium ad speciem, ità & differentia ad genus. sed proprium est accidens speciei. ergo & differentia generis; adeoque debet differentia appellari accidens nihilò minus, ac proprium, major prob. ut enim proprium fluit à natura speciei, ità & differentia à natura generis.

Nego

Nego majorem; differentia enim fluit à genere, ut forma à materia, & ut primum determinativum à suo determinabili, quod perficit essentialiter, & primò constituit in esse speciei. at proprium fluit à specie, ut accidentia physica à toto composito. hinc proprium habet rationem accidentis, at differentia formæ substantialis; quamquam habeat etiam modum aliquem accidentis; quatenus adest, & abest à genere præter generis destructionem.

Obiic. 3. multa differunt inter se per genus. ergò generi competit ratio differentiæ. antecedens prob. homo per rationale differt à brutis, sed per animal à planta, per vivens à metallis &c. 2. omnia prædicamenta differunt inter se, & non per differentias: cum enim careant genere, carent etiam differentia. Demum differentiæ ipsæ inter se differunt, & non per alias differentias; aliter iretur in infinitum. ergò differentia non est id, quo differunt à se singula.

Nego antecedens; non enim tenet ista consequentia, homo est animal, & planta non est animal, ergo homo differt à planta per animal: ut non tenet hæc alia, animal est animal, & planta non est animal, ergo animal differt à planta per animal. per illud ergo homo differt à planta, per quod animal: animal autem differt per sensitivum à planta, quod est ejus differentia, & per eandem differt homo. Universim enim species differt à quolibet, quod non est ipsa, primò & per se per suam ultimam, & convertibilem differentiam, per se autem, sed non primò differt ab aliis per differentias superiores, ut homo à planta per sensitivum, per animatum à metallis &c. Ad 2. genera generalissima, qualia sunt prædicamenta, propriè non dicuntur differre; differre enim, ut Sotus advertit, est idem ad diversa ferre; quod proinde proprium

est specierum, ad quas genus per differentias trahitur. Ad ult. differentiæ sunt rationes primò diversæ, adeoque non debent differre, nisi se ipsis. Huc facit doctrina Phil. 10. met. t. c. 12. ubi distinguit inter differre, & diversum esse: *Diversum, inquit, & illud, à quo diversum, non est necesse aliquo esse diversum: differens verò ab aliquo, aliquo differens est.* juxtà quem loquendi modum, summa genera, ac differentiæ diversæ quidem sunt, sed non differunt.

CAPUT VII.

Quid sit duo differre specie.

MIrum est, quantum in hac re variant Doctores. Cardinalis Pallavicinus in suis assertionibus Theologicis putat ea differre specie, quæ differunt in prædicato præcipuo, & nobilissimo: quam sententiam videtur docuisse Bonav. in 2. d. 9. q. 1., ubi ex eo quod Angeli unum sint in supremo, & optimo prædicato, quod est deiformis intellectus non habens conjunctionem cum inferiori, arguit Angelos omnes unum esse secundùm naturam. Sed utrum hinc rectè possit inferri, Bonaventuram in hac opinione fuisse, aliorum est judicium. certè aliquid aliud fuisse ab eo requisitum, facilè ex antecedentibus argui potest.

Reiicitur ergo hæc sententia; quia vel nomine prædicati præcipui, ac nobilissimi venit prædicatum magis perfectum, & actuale absolutè, vel respectivè. non primum; quia homo & Angelus conveniunt in ratione substantiæ, & in ratione intellectivi, quæ sunt perfectissima prædicata, imò & perfectiones simpliciter simplices; nec tamen adunantur in unam speciem, quamvis differant in prædicatis inferioribus omninò imperfectioribus, quæ scilicet in cōceptibus suis imperfectionem involuunt. Non secundū, quia licet differentia specifica sit in hoc

secun-

secundo sensu maxime actualis, & perfecta, seu verius actuativa, & perfectiva superiorum rationum, quæ ad ipsam conparantur, ut actuabiles, & perfectibiles; hinc tamen non infertur eam esse simpliciter perfectiorem; sic accidens magis est actuativum, quam substantia, non tamen est magis actuatum, magisque perfectum. Non sufficere autem ad specificam differentiam hanc maximam actualitatem respectivam, constat ex eo, quod in hoc differentia specifica superatur ab individuali, quæ est ultimus simpliciter actus, ad quem ipsa species comparatur ut potentia determinabilis.

Recentiores alii ea dicunt differre specie, quæ differunt notabiliter. quod si petas, quæ sit notabilis differentia; standum aiunt iudicio prudentum.

Verum isti explicant idem per idem; differre enim specie ex vi vocis est differre notabiliter, seu spectabiliter. nec rectè recurritur ad iudicium prudentum, cum potius debuisset assignari motivum, quo prudentes utuntur, dum de notabili differentia iudicant, quo motivo nisi utantur, prudentes esse, & prudenter iudicare non possunt. Adde notabiliorem esse differentiam inter Canes Bononiensem, & Molossum, & quam inter lupum & canem; & isti tamen specie, illi solo numero distinguuntur.

Communis, & probabilius ea volunt specie differre, quæ entitativè dissimilantur.

Sed neque hæc sententia mihi placet. quæ ut defendatur, dicendum est consequenter individua eiusdem speciei entitativè nullatenus dissimilari. Hoc tamen verum non esse, probo sic. Omnis distinctio in hoc stat, quod unum prædicatum uni competat, & non alteri, neque sufficit, si prædicatum huic competat, non illi, cui tamen competat aliud omninò simile; est enim loqui pugnantia, asserere prædicatum omnino simile, quod sit aliud.

Ra-

Ratio eſt; quia eſt impoſſibile dari duo diſtincta, quæ non ſint ab intellectu diſtinguibilia;cum omne exiſtens ſit verum,& quidquid eſt tale, ſit ab intellectu cognoſcibile, quale eſt, atqui ſi duo prędicata ſint omninò ſimilia, eadem eſt ratio, & cognitio utriuſque; neque enim unitas, & identitas cognitionis fundatur in alio, quam in ſimilitudine; adeoque omnimoda unitas cognitionis excluſiva omnis rationis ſeù cognitionis diverſæ fundatur in omnimoda ſimilitudine, quæ verò non habent niſi cognitionem unam, diſtinguibilia non ſunt; aliter poſſemus diſtinguere hominem, & equum in ratione animalis.

Neque dicas, poſſe adhuc ea diſtingui vel per accidentia, ut de facto ſecernimus hominem ab homine, vel per hoc quod dividantur aut ſecundum eſſe, aut ſecundum locum &c. ut ſecernimus aquam ab aqua. Contrà enim eſt; quia ut diſtinctio eſt in priori ad omnia iſta, ita in priori ad iſta debet eſſe per ſe cognoſcibilis, non eſt autem ſic cognoſcibilis immediate,niſi ſit diverſitas in uno aliquo prædicato eſſentialiter conveniente.

Conf. ratio illa, per quam Petrus eſt intellectui Petrus potius, quam Paulus, aut poteſt eadem abſtrahi à Paulo, aut non poteſt, ſi poteſt; non ergo per eam rationem Petrus eſt intellectui Petrus potius,quàm Paulus;quis enim eſt mihi talis per id,quod eſt commune non tali? Profecto à communi inferre tale eſt apud Logicos fallacia conſequentis, ut ſi ex eo, quod ſit homo, inferas eſſe Petrum. Si non poteſt, jam alia eſt ratio Petri, alia Pauli quid eſt autem duo entitativè differre, quam duplici ratione explicante entitatem diſtingui, quarum una unius, altera ſit propria alterius? Præterea cognitio Petri qua talis ſimilis proinde intentionaliter Petro, ſi à Paulo abſtrahi non poteſt, neceſsè eſt, ut ab eo intentionaliter diſſimiletur,

tur, ut constat, hinc autem fit ut Petrus dissimiletur à Paulo; neque enim possunt duo dissimilari in 3. nisi & aliqualiter dissimilentur inter se.

Posset 4. loco ea opinio excogitari, ut differentia specifica non sit quæcumque dissimilitudo entitativa, sed dissimilitudo in natura h. e. in principio operandi.

Sed neque hæc sententia potest subsistere; ut enim hoc pacto satis distinguerentur secundùm speciem substantiæ, non tamen accidentia, & operationes ipsæ, in quibus non omnibus, nisi malumus in infinitum ire, vis operativa reperitur, neque verò diversitas accidentium, & operationum nullius est momenti, cum ab hac ad naturarum diversitatem progrediamur.

Thomistę dicunt differentiam specificam formalem esse, quæque à forma derivatur, numericam esse materialem, quæ habetur præcisè per divisionem materiæ.

Hæc sententia reiicietur ex professo in metaphysicis, ubi de principio individuationis. In præsenti illud unum paucis noto ibi fusius prosequendum, quod cum tandem devenire sit ad unum, quod per se dividitur (sive sit illud materia ipsa, sive quantitas) nisi velint circulariter progredi assignando individuationis principia; consequens est, ut in illo ipso ostendant, quid sit specie, quid numero differre: quod præstare non possunt per formam, & materiam, quibus caret.

Ut ergo tandem aliquando afferam, quod probabilissimum videtur, præmitto individualem differentiam simul esse maximam, simul minimam differentiam, quæ potest haberi inter multa. Est maxima; quia per eam multa præcise dissimilantur, & nihil alteri conformatur, est minima, quia patitur majorem similitudinem, quam quævis alia differentia superior. Est enim numerica differentia, in qua nulla est conve-

nien-

nientia, adeoq; est differentia incommunicabilis, & impartibilis, at vero omnes superiores differentiæ ulterius communicabiles, & partibiles sunt; & quæ ultima est, & atoma, ultimò partibilis, & communicabilis est.

Erit ergo differentia numerica, seu individualis ultima rerum, impartibilis, entitativa dissimilitudo. Erit differentia specifica ultimò partibilis rerum dissimilitudo entitativa. Huic specificæ differentiæ sic expositæ optimè congruunt, quæ de specifica differentia Porphyrius, & Peripatetici communiter afferunt; nec est modus eam explicandi commodior alius.

Ex qua doctrina infero, cognitiones Petri, & Pauli quà talium non numero, sed specie distingui; similiter specie distingui actionem productivam ignis A ab actione productiva ignis B, ubicationem unius ab ubicatione alterius &c. Ratio est; quia in his omnibus est reperire discrimen per rationes partibiles; nam cognitio Petri dividi potest in hanc, & illam ejusdem Petri cognitionem; & ejusdem ignis A possibilis est alia, & alia productio, & sic de ubicationibus. Addo, in his differentiam non solere appellari specificam, & formalem, sed materialem, & numericam; non, quod specifica in rigore non sit, sed quia sequitur naturam, ac denominationem termini, cui addicitur, & quia omnis singularitas dicitur ratio materialis, vel quia facit, ut individuum sit materia dumtaxat, Logicumque subjectum prædicabilium superiorum; vel quia materialiter se habet ad scientificam cognitionem, quæ de unis est universalibus; ratio etiam addictionis ad singulare materialis appellatur.

Ultimo loco illud video posse opponi, reddi scil. hoc dicendi modo inutilem eam celebrem quæstionem, ubi de specie Angelica multiplicabili, aut secus inquiritur; in qua certè supponi videtur, non esse de conceptu specificæ differen-

rentiæ multiplicabilitatem; aliter non posset controversia procedere. Sed reverà illa quæstio non est inutilis, etiam suppositis, quæ hactenus dicta sunt, sensus enim illius est, an, data distinctione aut rationis, aut obiectiva inter rationem, qua Michael est Michael, & qua est hic Michael, ratio Michaelis secundum se, ut Thomistæ volunt, saltem negativè partibilis, evadat impartibilis præcisè propter irreceptibilitatem in materia, quæ una sit radix omnis numericæ distinctionis. In qua re nemo vetat, quin possim etiam ex hoc capite urgere Thomistas, quod in eo casu Michael à Gabriele non specie, sed numero distingueretur. Postremò non est opus ad illam quęstionem accedere, hac nostra opinione supposita, quamvis ergo illa quęstio in nostra hac suppositione esset inutilis, potest manere utilis in alia.

CAPUT VIII.

An omnis specifica differentia importet inæqualitatem perfectionis.

P. Suarez disp. 29. met. sec. 3. post Aureolum in 1. dis. 3. art. 1. affirmative respondet. Equidem probabiliorem censeo resolutionem negativam.

Dico igitur, non esse de conceptu differentiæ specificæ inæqualitatem perfectionis; adeoque posse duo specie distingui, quæ nullo se respiciant entitativæ perfectionis excessu.

Prob. non est formaliter idem, duo esse diversa, ac esse inæqualia; imo neq; hoc ad illud est consequens, quod quidem non potest efficacius suaderi, quam ostendendo eas rationes non rarò separari, nam 1. quam multa tum in moralibus, tum in artefactis diversa omninò, parem tamen habent existimationem, valorem,

rem, ac pretium! hinc illud magni Rhetoris Salluſtium, ac Livium comparantis, pares eos fuiſſe magis, quam ſimiles: quod idem dixerat de Herodoto, & Thucydide, diverſa eos ſcilicet virtute parem laudem conſecutos. Præterea quid tritius, quam ſcriptiones, machinas, picturas diſſimili plane ſtylo, ordine, arte laboratas tantidem pariter æſtimari? Ad hæc in multis naturalibus, ut in gemmis diſſimilitudinem videmus; inæqualitatem non item: quod non contingeret, ſi diverſitas ab inæqualitate non diſſideret. Poſtremò eſt aperta inſtantia in individuis ejuſdem ſpeciei, quæ quidem diſſimilia ſunt, non inæqualia juxtà communem etiam adverſariorum ſenſum, atque hæc inſtantia non ſolùm probat à pari, verum & à priori, hinc enim fit, ut, cum dentur ſpecies diverſæ per ſolam additionem ad diverſa individua, ut ſuperiori cap. oſtenſum eſt in cognitionibus, actionibus, ubicationibus &c. conſequens ſit, ut à terminis, quibus addicuntur, diverſitatem quidem trahant, non inæqualitatem; cur enim ſit perfectior, cæteris paribus, aut cognitio Petri, quam cognitio Pauli, aut actio productiva ignis A, quam productiva ignis B; ſi neq; Petrus Paulo, neque ignis A ſit perfectior igne B? erunt ergo ſpecies diverſæ, non inæquales.

Obiic. 1. omnis ęqualitas ſecundum quantitatem perfectionis eſt aliqua identitas; æqualia enim definiuntur, quorum quantitas una, quantitas autem in præſenti eſt ipſa perfectio ſubſtantialis, ergo æqualia entitativè ſunt unum in entitativa perfectione, atqui hoc ipſum eſt eſſe unum in ſpecie, ergo impoſſibile eſt intelligere entitativam æqualitatem, quin intelligatur identitas in ſpecie; & per conſequens inæqualitatem, quin intelligatur diſtinctio in ſpecie.

Inſtantia eſt manifeſta in rationibus individuantibus, in quibus etiam probatur hoc

eodem

eodem argumento identitas, & similitudo. Resp. igitur æqualitatem non esse unitatem rationis, qualis opus est ad speciem (neque enim unificat multa sub una præscindente cognitione) sed importare cognitionem unam multorum quà talium, quæ invicem ordinantur per habitudinem quantitatis, ut tantum scilicet sit unum in æstimabilitate virtutis, quantum aliud.

Obiic. 2. quæ sunt eadem secundum speciem, non possunt in ratione speciei dicere inæqualitatem. ergo quæ sunt diversa secundum speciem, non possunt in ratione speciei dicere æqualitatem.

Nego consequentiam, quam debent & negare adversarii, si sic pariter arguatur: ubi est unitas individui non potest esse inæqualitas, ergo ubi est distinctio individui, non potest esse æqualitas. Ratio est; quia inæqualitas dissimilitudinem involuit; in eo enim, in quo unum ab altero exceditur, similia esse non possunt? cum similitudo non sit inter habitum; & privationem: at dissimilitudo non involvit inæqualitatem, quia sine excessu potest esse disparitas, ut est probatum.

Obiic. 3. quæ inæqualiter participant divinam perfectionem, inæqualiter sunt perfecta, sed omnes species inæqualiter participant divinam perfectionem. ergo omnes inæqualiter sunt perfectæ. min. prob. in hoc enim stat dissimilitudo specierum, ut una minus, alia magis accedat ad Dei perfectionem. Conf. 1. quæcumque differunt, idcirco differunt, quia plus, minusve distant ab eo, quod est in tali genere primum. Sic quæ differunt in luce, vel calore, vel motu, ex eo unicè discrimen habent, quod magis aut minus distant à luce solis, à calore ignis, à motu primi mobilis. Deus autem in genere entis est primum. tota ergò entitativa differentia est per majorem, aut minorem accessum ad Deum.

Conf.

Conf. 2. Deus est entitas una indivisibilis; non ergò fingi potest alius, & alius accessus ad ipsum, nisi simul sit maior, aut minor. conf. prob. exemplo lineæ, quæ fingi non potest alia & alia, nisi simul fingatur longior, aut brevior non alio ex capite, nisi quia est fluxus ab eodem indivisibili puncto.

Ad arg. nego min. eiusque probationem; possunt enim species differre per alium & alium non excessum, sed accessum, ut declarabitur. Ad 1. conf. respondeo, longe aliam esse rationem de discrimine intrà unam atomam speciem, in qua cum non sit entitativa differentia, tota sit oportet in latitudine graduali, ac de discrimine intrà genus entis, in quo maxima est entitativa differentia, quæ consistere potest sine gradualitate, & excessu. Ad 2. Deus est entitas formaliter indivisibilis, sed divisibilis, & multiplex, & infinitè multiplex per virtutem, & æquivalentiam. hinc non est paritas inter ipsum; & mathematicum punctum, à quo non est possibilis nisi fluxus per lineam propter ejus omnimodam impartibilitatem; at Deo plurima est participabilitas; & ut omnia ab uno ipso emanent, sintque ipsius imitationes, & exempla, nihil prohibet, quo minus in æquali ad ipsum accessu diversæ sint participationes; hoc enim pertinet ad eminentissimam ejusdem imitabilitatem diversis aspectibus intrà eandem distantiam sese creaturis obiicientem, & communicantem. Hinc etiam patet responsio ad aliam paritatem desumptam ex numeris, qui non differunt; nisi per majorem, minoremvè accessum ad indivisibilem unitatem.

Obiic 4. Philosophum 10. met. t. 56. ubi ait, ex differentiis contrahentibus idem genus unam se habere ut habitum, alteram ut privationem; quibus verbis privationem non accipit pro carentia, sed pro quadam ignobilitate, ac defectu; quo modo nigredo dicitur privatio albedi-

bedinis, & frigus caloris, ut exponit Comment. ergo juxta Philos. non est specifica differentia sine perfectionis inæqualitate.

Resp. Philos. ibi loqui non de omnibus, sed solum de contrariorum differentiis. de contrariis autem id est verum universaliter, si sumantur respectivè ad subjectum, in quo contrarietatem exercent, cujus scilicet alterum est perfectio, alterum imperfectio, sed non ità est ex terminis verum, si sumantur secundum perfectiones absolutas, aut respectivas quidem, sed non eidem subjecto comparatas, quamquam sic etiam inæqualitatem involvant, ut constat inductione à Philos. adducta. sed quæ inductio similiter ostendit in speciebus substantiæ v. gr. animalis nullas esse æquales? aut undè habemus bruta specie differentia, essentiali simul perfectione paritatem omnem excludere?

CAPUT IX.

De Proprio, & Accidente.

PRoprium quadrifariam stat. 1. pro eo quod convenit soli speciei. sed non omni ejus individuo. sic est hominis proprium esse medicum, vel Geometram. 2. pro eo, quod convenit speciei, & omni ejus individuo, sed non soli, sic proprium est hominis esse bipedem, quia & omni homini competit, & aliis ab homine. Hæc duo propria in hoc differunt quod secundum excedit speciem: primum exceditur à specie 3. pro eo, quod soli speciei, & omni ejus individuo convenit, sed non semper. sic est proprium hominis canescere. 4. pro eo, quod convenit omni, & soli, & semper, ut esse risivum est hominis proprium. Discrimen inter hæc duo Propria postrema est, quod tam posse canescere, quam posse ridere competit homini sem-

semper, si ly *semper* determinet subiectum, sed non, si determinet passionem; homo enim semper est aptus natus canescere, sed non est aptus natus canescere semper: at vero semper est potens ridere, & est potens ridere semper.

Jam proprium 4 modò, quod & dicitur propria passio, definitur à Phil. 1. top. *Id quod non indicat, quod est esse: soli autem inest, & conversim prædicatur de re:* exemplum est in risivo; nam si homo est, risivus est, & si risivus, homo. Cum hac coincidit definitio Porphyrii, qua dicitur *Proprium, quod accidit soli, & omni & semper*. Dicitur, *quod accidit*, ut distinguatur à differentia, quæ speciem constituit; cum proprium supponat speciem constitutam dum additur *soli*, explicatur habitudo proprii ad speciem, quam primò respicit. dum concluditur, *omni & semper*, ostenditur convertibilitas inter proprium, & speciem. Hinc rectè ex utraque definitione tertiam confecit Venetus, dicens: Proprium est universale prædicabile accidentaliter convertibiliter de sola specie.

Hinc habes, qua ratione Proprium habeat rationem universalis, seu communis; est enim proprium relatè ad speciem: est commune individuis; quæ quidem per se respicit, non tamen primò, sed secundò, quia illis convenit ratione speciei, de qua dicitur per se primò. sic Petrus est risivus, quià est homo.

Habes 2. *accidere*, hic sumi non physicè, sed logicè; neque enim omne proprium est accidens rei physicum, realiter scilicet à re distinctum, sed aliquod proprium est cum re identificatum, ut risivum cum homine, dicitur tamen accidens quià est extrà rei essentiam metaphysicè consideratam, cui proinde advenit ut jam constitutæ; & hinc dicitur accidere.

Porrò Accidens, ultimum prædicabile definitur à veteribus Peripateticis, quod contingit eidem inesse, & non inesse. cum qua coincidit

de-

definitio tradita à Porphyrio ; Accidens est, quod adest, & abest præter subjecti corruptionem. sic album est accidens parietis; nam paries qui est albus, potest esse, quin sit albus. Tria ergo habet quintum hoc prædicabile, ut notat Venetus, & quod sit accidens, & quod sit accidens commune, & quod sit accidens infinitum. per accidens convenit cum proprio; utrumque enim est extrà rei essentiam. sed hoc est commune accidens; quià prædicatur indifferenter de rebus diversorum generum: & est infinitum accidens: quia nullum sibi certum subjectum determinat in sui definitione; ut enim risibile sibi determinet hominem, cum definiatur homo potens ridere, non sic album, quod definitur res habens albedinem. Ex his clariorem accidentis definitionem habebis, si dixeris, Accidens est universale prædicabile de pluribus in quale non convertibiliter, aut necessariò, sed contingenter.

Ex hac accidentis notione constat, eam non solum de accidente physico relatè ad suum subjectum (debet tamen sumi accidens non in abstracto, sed in concreto, quo unicè modo prædicari de subjecto potest) sed etiam dici de una substantia relatè ad aliam. sic vestis est in hoc sensu accidens hominis non physicum, sed logicum, quatenus & adest, & abest ab homine, deque eo dicitur in concreto in quale non convertibiliter, nec necessariò; ut enim de eo accidentaliter dicitur, quod sit albus, ità & dicitur accidentaliter, quod sit vestitus.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ante-Prædicamentis.

HIc primus est Logicam Aristotelis aditus, ubi is incipit de incomplexis differere,

quæ primam implent Logicæ partem. sed prius nonnullas terminorum notitias præmittit, quæ ad intelligentiam prædicamentorum sunt necessariæ: possunt enim prædicamenta comparari vel ad ens, in quo conveniunt æquivocè, seu analogicè: vel ad inferiora, quæ in ipsis conveniunt univocè: vel inter se, ut accidentia ad substantiam, de qua dicuntur denominativè. hinc fit, ut primo de æquivocis, tum de univocis, deinde agat de denominativis, postremo de divisione entis in prædicamenta. Hic ipse noster erit ordo, qui Aristotelis legimus vestigia.

CAPUT I.

De Aequivocis.

Aequivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum verò illud nomen ratio substantiæ diversa, ut animal, homo, & quod pingitur; horum enim nomen commune est, secundum verò nomen substantiæ ratio diversa est. Hæc Philosophus in ipso prædicamentorum exordio. ex quibus patet, ut rectè D. Th. 1. p. qu. 13. ar. 10. ad 4. nomine æquivocorum hic comprehendi etiam analoga; animal enim de vero, & picto non dicitur purè æquivocè, cum habeant aliquam similitudinem, ratione cujus nomen animalis è vero transfertur ad pictum. De utrisque igitur hoc cap. paucis agam: quod præstabo, solvendo prius aliqua dubia, quæ super data æquivocorum definitione oriri possunt.

Primum dubium est, cur hic Philosophus æquivoca, & infrà univoca definiverit in plurali, non in singulari, cum oppositum vulgò fiat: definitur enim homo, non homines.

Resp. voluisse Phil. non terminum, & vocem æquivocã, quæ dicitur æquivocum æquivocans, sed

ſed res ipſas, quæ ſub termino æquivocantur, & dicuntur æquivoca æquivocata, definire; idque fecit aptiſſimè, attendendo Græcarum vocum proprietatem; nam homonyma, quæ nos æquivoca dicimus, ut & ſynonima, quæ dicimus univoca, appellantur, quæ habent idem commune nomen: quod eſt proprium rei, unde ad voces traducta eſt appellatio.

2. Dub. cum dictum fuerit, quod æquivoca ſunt, quorum ſolum nomen commune eſt, quid opus fuit addere rationem ſubſtantiæ eſſe diverſam, cum per notam excluſivam ſatis declaretur, non poſſe eſſe communem ſubſtantiæ rationem iis; quæ ſolum habent commune nomen?

Reſp. fuiſſe neceſſariam eam additionem, ut explicaretur, æquivoca non excludere omnem communitatem rationis; canis enim cœleſtis, terreſtris, marinus in ratione ſubſtantiæ, corporiſque conveniunt: ſed eam ſolum rationis communitatem excludere, quæ ſit per tale nomen importata; ut enim tria ilia canum genera in ratione ſubſtantiæ, & corporis adunentur iſtæ tamen rationes per nomen canis non importantur.

3. Dub. quid ſignificet Ratio ſubſtantiæ, quæ hic ponitur, & iterum infrà in definitione univocorum.

Reſp. ex Capreolo in 3. d.5. ar.3 rationem tripliciter accipi, primò pro conceptu formali intellectus, qui ex triplici capite ratio appellatur, & quià eſt forma intellectus intrinſeca (ratio ſæpè idem ſonat, ac forma, & omne id per quod res eſt formaliter talis) & quia eſt forma objecti extrinſeca, & quià eſt actus expreſſivus illius formæ, aut quaſi formæ, per quam res eſt talis, qualis ſub conceptu denominatur. quare conceptus animalis dicitur ratio animalis, quia exprimit id, per quod homo formaliter eſt animal. hinc etiam ratio ſtat pro deſinitione,

 aut

aut notificatione qualibet rei, cujus est scilicet significare id quo res est, quod est. 2. accipitur ratio pro conceptu obiectivo h. e. pro natura ipsa reali aut quatenus taliter intellecta, aut quatenus taliter intelligibili; & hæc dicitur magis propriè ratio. 3. stat ratio pro forma, seu natura rei, quæ est in singulari, adeoque accepta ut est in se in priori ad omnem animæ tractationem.

Cum ergo in definitione æquivocorum dicitur, quod ratio substantiæ sit diversa, ratio stat primo & secundo modo, non tertio: & sensus est, æquivoca esse, quæ ut idem nomen habeant, non tamen habent eundem conceptum (qualem q. 2. diximus requiri ad constitutionem universalis) importatum per tale nomen, à quo conceptu unius denominationem accipiant. quod ipsum melius constabit capite sequenti.

Nomine deinde substantiæ, quod apponitur rationi, venit rei cujusque essentia. idem ergo est ratio substantiæ, ac conceptus seu definitio exprimens essentiam, quæ in æquivocis eadem esse non potest. Rursus hæc ratio substantiæ debet esse diversa secundum nomen, h.e. diversitate importata: & significata per nomen. Ex quo fit, ut idem nomen possit esse & æquivocum, & univocum relatè ad diversa; Ut si canis ad cœlestem, terrestrem, marinumque comparetur, æquivoca vox est: univoca, si ad terrestres sub una ratione restringatur.

4. Dub. est, qua ratione æquivoca dicantur habere idem nomen. Ratio dubitandi est: quia nomen dicit de formali significationem, cum diversitate ergo significationis non videtur constare unitas nominis.

Resp. communiter, nomen in æquivocis esse idem materialiter, licet non sit idem formaliter. Addendum, identitatem materialem satis esse, ut dicatur nomen simpliciter idem; nomen enim, seu vox venit in recto, utpotè habens

bens rationem subjecti denominati; significatio autem, quæ se habet ut forma denominans, venit in obliquo. Unitas verò, & multiplicitas concreti non desumitur ex obliquo, sed ex solo recto, ut infrà ostendetur.

Post hæc dividenda sunt æquivoca; alia enim sunt æquivoca à casu; alia sunt æquivoca à consilio. hanc divisionem alii aliter explicant. Communior explicatio est, quod æquivoca à casu sunt, quæ sine ulla habitudine, ac respectu unius ad alterum, sed merè fortuito suscipiunt idem nomen. sic est nomen *Gallus* commune avi, & homini. Atque hæc simpliciter æquivoca Aristoteli sunt: quò etiam revocantur, quæ dicuntur à memoria, & à spe æquivoca; ut dum quis Filio Avi nomen imponit, vel ad avi memoriam excitandam, vel quod eum speret avo similem futurum,

Aequivoca à consilio sunt, quæ sortiuntur idem nomen ex aliqua vel attributione, vel proportione. Ex attributione dicuntur æquivoca vel ad unum, vel ab uno. Ad unum, dum sunt ordinata ad unum finem, à quo omnia denominantur, ut est æquivoca vox ista *sanum* & animali habenti sanitatem, & aeri, ciboque conservanti, & pharmaco restituenti, & pulsui eam indicanti. Ab uno autem vel efficiente, ut vox *medicum* æquivoca est habenti artem medicinæ, & instrumentis omnibus, quibus utitur: vel forma, seu exemplari, ut vox *homo* æquivoca est vero, & picto. Ex proportione æquivoca dicuntur, quæcumque inter se comparata inveniuntur proportionaliter sè habere invicem, ex quo & nomen commune habent. sic dicitur æquivocè pes de pede animalis, & montis: & caput de capite animalis, & origine fontis: ut enim est pes infima pars animalis, ità pes est infima pars montis: & ut caput est origo omnium spirituum, ac motuum in animali, ita & origo est caput omnium aquarum in fonte. Hæ

proprio vocabulo apud Aristotelem, & reliquos Analoga dicuntur, h. e. proportionalia, quanquam subsecuti deinceps Philosophi longo usu obtinuerint, ut Analoga dicantur omnia æquivoca à consilio sivè proportionis sint, sive attributionis,

Tenent ergò Analoga medium locum inter æquivoca à casu, & univoca. propterea Aristot. modò ea appellat æquivoca, ut hic; modo univoca, ut 2. met. t. 4. Igitur æquivoca à casu significant plura diversis omninò rationibus; univoca eadem ratione: Analoga nec omninò eadem, nec omninò diversa, sed diversitate involvente habitudinem, & convenientiam inter significata; ut sanum, quod alia ratione dicitur de animali, alia de pharmaco, alia de pulsu; omnes tamen ejusm. rationes explicantur per respectum ad eandem sanitatem.

Hinc est celebris divisio in Analoga attributionis, & Proportionis, quam explicat & probat D. Thomas 1. p. q. 13. art. 5. in corpore, & alii communiter.

CAPUT II.

De Univocis.

U*Nivoca dicuntur, quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem substantia ratio; ut animal est & homo, & bos; communi enim nomine horum uterque animal nuncupatur, & est ratio substantia eadem. si quis enim assignet utriusque rationem, qua uterque animal est, eandem rationem assignabit*; quia scilicet principium sentiendi est.

Ejusm. univocatio in omnibus est prædicabilibus, quæ propterea universale dividunt, h. e. commune univocum. & de primis quidem tribus id est, in controversum. de accidente cùm proprio, tum communi sunt qui dubitent; imò

imò & apertè negant Simplicius, Boetius, & Alensis. Volunt enim prædicationem univocam importare semper in prædicato aliquid, quod sit de essentia subiecti. quod 1. probant ex Philos. hic distinguente univoca contrà denominativa, omnia autem accidentia prædicantur denominativè. ergo non univocè. 2. cap. de subst. ait accidentia non prædicari secundùm rationem de substantia, quià proprium est secundarum substantiarum, differentiarumque univocè prædicari. 3. 2. top. c. 7. opponit prædicatione) univocam generis, & speciei prædicationi denominativæ proprii, & accidentis.

Sed nihil hæc obstant, si enim rectè considerares naturam denominativorum, apparebit, utcumque ea cadant in accidentia, nihil prorsus univocationem impedire: album enim v. g. potest sumi ut denominatum; & ut prædicatum. ut denominatum, dicit ordinem ad formam albedinis, à qua album dicitur, ut prædicatum dicit ordinem ad subiectum, de quo album dicitur. Relatè ad formam dicitur denominativum, & non univocè; tum quià album, & albedo differunt secundùm nomen; tum quià differunt etiam quodammodo ratione; quamvis enim albedo ipsa sit ratio albi, aliter tamen album explicatur, aliter albedo; unde unum de alio prædicari non potest. Relatè ad subiectum dicitur accidens, & est univocum; quià eadem est ratio, cur nix, & cur cycnus sit albus, quià scilicèt est habens albedinem ?. Per quæ patet ad 1. Phil. Ad 2. & 3. dico Philosophum confundere non rarò prædicationem univocam cum prædicatione essentiali. Sumit enim *univocum*, quod analogicè dicitur de quinque prædicabilibus pro principali analogato.

Jam verò illud hic superest de re non contemnendum, an ratio substantiæ una ad univoci rationem requisita debeat esse non solum in ani-

ma, sed & in re talis. Sunt enim, qui sine obiectiva, ut ajunt, præcisione salvari univocationem non posse mordicus asseverant. De qua re quamvis nonnulla dixerim q. 2. & plura sim, Deo dante, dicturus in metaphysicis, aliqua tamen & hic dabo, quæ ad rem unicè præsentem faciant.

Ergo univocationem perfectam salvari per rationem unam non obiectivam, sed formalem, aut per obiectivam ut præcisè à formali denominatam, constat 1. ex iis omnibus, quibus universalitatem non aliam esse posse probavimus quæst. 2. nisi solam animæ operationem plura sub uno conceptu unificantem. Universale autem, & univocum synonima fermè sunt.

2. Per illud satis univocum in esse univoci constituitur, per quod satis ab æquivoco, & analogo distinguitur. atqui sola unitas rationis id satis univoco præstat; æquivoca enim ità unum habent nomen, ut conceptum habeant omninò diversum: analoga ità unum nomen, ut conceptum habeant diversum non omninò, sed qui importet etiam habitudinem unam.

3. Non minus pugnat cum univocatione diversitas, quam cum æquivocatione communitas, & identitas rationis. atqui æquivoca in aliqua etiam ratione possunt univocè convenire, ut dictum est, modo ea non significetur per nomen, ergò poterunt etiam univoca differre, modo differentia nomine non importetur.

4. *Nomina* (inquit D.Thom.1,p q.13.ar.9 ad 2.) *non sequuntur modum essendi, qui est in rebus, sed modum essendi secundùm quod in cognitione nostra est*. hinc formalis diversitas in nominibus non tam est ex parte rei, quàm ex parte rationis; quia enim plura cognoscimus per rationem unam, in qua conveniunt sine apparentia diversitatis, nomen, quod hanc rationem sequitur, univocum est. quià vero alia diversis conceptibus attingimus, sed ex penuria vocabulo-

rum

rum eodem nomine appellamus, nomen hoc pacto imponitur æquivocum. quià demum alia diversimodè concipimus, sed in ipsa diversitate respectum, proportionemque servamus; nomen rei taliter cognitæ datum analogum est. Ecce, quo pacto sola unitas rationis solet & potest univocum ab æquivoco, analogoque distinguere.

Atque hinc ruit aliorum imaginatio, qui haberi univocationem negant, nisi sit obiectiva distinctio inter superiorem, inferioremque rationem. Ut enim talis distinctio non est opus, ut habeatur ratio una, ità nec est opus, ut habeatur univocatio. & quidem si univocorum definitio intelligenda sit in sensu reali, in sola eorum opinione, qui naturam ex parte obiecti formaliter unam statuunt, univocatio haberetur.

Atque hanc esse D. Thomæ sententiam patet tum ex p. 1. q. 50, ar. 2. ad 1. ubi, *Genus*, inquit, *& differentia in Angelis non accipitur secundùm aliud, & aliud, sed secundùm unum & idem, quæ tamen differunt secundùm considerationem nostram. in quantum enim intellectus noster considerat illam rem ut indeterminatè, accipitur in eis ratio generis; in quantum verò considerat ut determinatè, accipitur ratio differentiæ*. Præterea opusc. de nat. Gen. c. 5. sic habet; *Propter uniformitatem rationis inventam in intentione; quæ fit per remotionem à conditionibus materialibus, & omni diversitate, universale esse unum in multis*. & c. 6. *Patet igitur natura primi generis substantiæ, scil. quomodo ejus communitas tantùm Logicè accipienda est, cum nulla sit realis convenientia inter separata, & materialia*. Hoc idem ex mente D. Th. asseverat Capreolus in 3. d. 5. q. 3, ar. 3.

Opponitur tamen 1. univocatio perfecta dicit convenientiam perfectam; quód verificari non potest sine distinctione obiectiva; aliter cum ratio hominis sit simul ratio Petri, jam per

rationem hominis Petrus & convenit, & disconvenit.

Argumentum laborat in supposito; supponit enim univocationem desumendam esse ex rebus ut in se sunt, non ut sunt in cognitione: quod erat tamen probandum.

Opponitur 2. ab aliis. Univocatio est perfecta multorum assimilatio in una ratione. ergo sunt in multis rationes à p.r. perfectè convenientes. ergo rationes distinctæ. secunda consequentia est bona, nobis etiam fatentibus. prima prob. impossibile est, ut duo perfectè assimilentur uni 3., quin & perfecte assimilentur inter se; ut non possunt æquari perfectè tertio, quin & invicem perfectè æquentur. at univocata perfectè assimilantur rationi nullam diversitatem exprimenti. ergò & perfectè assimilantur inter se.

Hoc argumentum primò non probat convenientiam realem univocatorum; tantum abest, ut probet perfectam. Conceptus enim non est similis, sed ipsa similitudo formalis, quo unum obiectum alteri in actu secundo est, & dicitur simile, ut latè ostendam infrà, ubi de Relatione. quare obiecta non tam assimilantur cognitioni, quam per cognitionem assimilantur inter se; undè non licet inferre similitudinem, & convenientiam realem, quæ talis scilicet esset, etiam præcisa cognitione.

2. Etiam data reali convenientia obiectorum & inter se, & cum cognitione tamquam termino, non tamquam rationi formali assimilandi, resp. adhuc committi æquivocationem, quam solves distinguendo inter duas istas propositiones, obiecta assimilantur perfectè in una ratione, &, obiecta assimilantur perfectè uni rationi. Hæc secunda est manifestè falsa; cum enim cognitio, in qua multa confunduntur, sit singulorum imperfecta cognitio, consequens est ut sit singulorum imperfecta imago. Prima

pro-

propositio est vera, & satis ad univocationem, sed non facit alium sensum, nisi quod in cognitione præcisiva, & imperfecta multorum, multa suscipiunt apparentiam, in qua conveniunt sine apparentia diversitatis. Sed ex hoc ipso ea cognitio est imperfecta singulorum similitudo; cum enim multa sint invicem diversa; & eam diversitatem cognitio non repræsentet, jam obiecta non plenè repręsentantur, ut sunt; adeoque assimilatur illis cognitio imperfectè.

CAPUT III.

De Denominativis.

Denominativa dicuntur, quæcumque ab aliquo, solo differentia casu, secundùm nomen habent appellationem, ut à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis. Ità Phil. l. cit. Differunt ab univocis, & æquivocis; hæc enim idem nomen habent: denominativa ex parte diversum, prætereà denominativa nec habent rationem eandem, ut univoca, nec diversam, ut æquivoca, nec eandem simul, & diversam, ut analoga; sed habent rationem eandem diversimodè importatam, ità ut diversitas non sit ulla in ratione, sed in solo modo importandi rationem per varietatem recti, & obliqui, ut constabit.

Jam primum ne illud putes, Philosophum hic à se ipso descivisse, quod cum in univocis, & æquivocis Res, in denominativis sola nomina definiverit. & ratio errandi potest ex eo esse. quod denominativa dicuntur, quæ casu differunt: sic autem differunt non res. sed nomina. Reverà tamen hæc ipsa denominativi notio potest facilè rebus ipsis accommodari, ut sensus scil. sit, ea dici denominativa, quæ ab aliqua forma denominantur ita, ut ab ea no-

men

men accipiant solo casu differens à ratione ipsius formæ, Et quidem dum dicit denominativa, quæ ab aliquo habent appellationem secundùm nomen, manifestè ostendit loqui non de vocibus, sed de rebus. etenim nomen *album* non dicitur habere appellationem ab albedine, sed nix est, quæ alba appellatur ab albedine, ut à forma.

Quæres nunc 1. quid veniat nomine Denominationis, dum dicimus subiectum de novo taliter denominari.

Resp. denominationem hic non sumi pro mera nominis impositione, ut si quis, relicto Petri nomine, assumeret ex arbitrio nomen Pauli. Denominari ergo importat formam afficientem quodammodo subiectum, illudque aliqualiter immutantem, & illi communicantem suum formalem effectum, qui vulgo denominatio nuncupatur. Et quia triplex potest esse forma denominans, aut indistincta à subiecto, aut distincta, & intrinseca, aut distincta, & extrinseca; triplex est proindè denominatio, aut identificata, & essentialis, ut Deus à Deitate denominatus: aut accidentalis intrinseca, & hæc rursus dupliciter, vel solum logicè, ut esse risibile in homine, vel etiam physicè, ut esse calidum in manu: aut demum accidentalis extrinseca, ut esse visum in pariete.

Sed hic duo notanda. 1. denominationem rigorosam non dici, nisi quæ formam habet denominantem à subiecto distinctam. quare quod homo animal denominetur, ad denominativa non pertinet. quod attinet ad Proprium, sunt qui censeant illud prædicari denominativè, quia sit extrà essentiam. negat tamen Venetus, quia putat omnem denominativam esse prædicationem per accidens: proprium autem non per accidens, sed per se prædicatur in secundo modo 2. denominationem rigorosam haberi posse etiam à substantia; ut homo denomi-

natur vestitus à veste, armatus ab armis, quæ substantiæ completæ sunt.

Hinc habes 1. aliqua denominativa derivari non ab abstractis, sed à concretis, ut videre est in modo datis exemplis, aliisque sexcentis: nam igneum, & terreum ab igne, & terra derivantur, quæ concreta sunt; & quamvis formæ non sint, significantur tamen ad modum formæ. Habes 2. latius patere concretum, quam denominativuum; omne enim denominativum est concretum, sed non convertitur. sic ignis, & homo concreta sunt. non denominativa.

Quæres 2. utrum omnia denominativa significent & subiectum, & formam.

Resp. affirmativè: quod constat tum ex Comment. 1. phys. generaliter de omni concreto asserente, quod significat formam; & susceptivum: tum ex Phil. 7. met. ubi ait, quod in his, quæ sunt per accidens, non est idem ipsum, & esse ipsum, ut album, & esse album. denominatio igitur accidentalis duo importat, *ipsum*, quod est materiale, & *esse ipsum*, quod est formale. Præterea omnis terminus significat illud, pro quo supponit personaliter. Sed omne concretum supponit ità pro subiecto; cum enim dico, album currit, album non stat pro albedine, sed pro subiecto albedinis. ergò significat subiectum. aliundè dubitari non potest, quin significet formam; quis enim neget à calido significari calorem?

Quæres 3. utrum significent principalius denominativa, subiectum nè, an formam?

Pro resolutione hujus quæsiti sequentes propositiones statuo, in quibus doctrina est valdè utilis; & in pluribus materiis sæpè recurrens.

Prima propositio. Distinctio recti, & obliqui in nominibus habetur ex diverso modo, ac veluti aspectu, sub quo obiectum cognoscitur: quandoque .n. attingitur, ut fundamen-

tum

tum, & substratum, cui aliud incumbit, & superstruitur, atque ità dicitur terminare mentis intuitum rectum: tamquam id, ad quod primò & per se cognitio terminatur, & exprimitur proindè per rectum casum, cujus est rem significare per se stantem. Quandoque attingitur, ut quid alterius alterique accidens, & incumbens; atque ità dicitur terminare intuitum mentis obliquum., & exprimitur per obliquos casus, quorum est rem offerre ut alteri adiacentem. Et quia eædem res in se invariatæ possunt diversimodè ab intellectu tractari, & significari consequenter per voces; fit sæpe, ut quæ prius in recto, veniant deinde in obliquo, aut contrà. Sic duæ istæ orationes, subiectum habens albedinem, &, albedo inhærens subiecto, res easdem significant. sed diversimodè secundùm rectum, & obliquum; nam prima exprimit albedinem, ut quid subiecti, secunda subiectum ut quid albedinis;

2. Prop. In omni concreto accidentali, adeoque in omni denominativo juxtà proprium, & naturalem modum significandi, substantia importatur in recto, accidens in obliquo. Constat manifestè hæc propositio ex prima. si enim significari in recto est significari ad modum per se stantis, cui alterum incumbat; & substantia est, quæ hunc modum in re habet; sequitur ut substantia debeat in recto significari: accidens, cujus est incumbere, & inhærere; in obliquo. Id ipsum manifestat experientia; unusquisque enim vel minus doctus, & rusticus, expressurus per modum unius pomi dulcedinem, non dulcedinem pomatam, sed pomum dulce appellat.

3. Prop. In concreto substantiali creato omnis pars rei cōstitutiva venit in recto, quare dum hominem dico, in recto humanitatem ipsam importo, & quidquid humanitatem constituit; corpus scilicet, & animam. Ratio

est

est ex dictis, quia proprium est substantiæ juxtà connaturalem modum ipsam concipiendi, & significandi venire in recto. Si ergo humanitas, eiusque partes substantiæ sunt, in recto importentur oportet in concreto *homo*. tantò magis, quod subsistentia, quæ una posset locum recti sibi vendicare, adjacens est, & incumbens naturæ. Conf. ex communi sensu hæc est vera, homo est quid compositum ex anima, & corpore ergo illud venit in recto ex parte subiecti, quod est ità compositum, atqui ità composita non est subsistentia, vel aliud quodvis, sed humanitas ipsa, ergo. Ex quo fit, ut dum concretum *homo* resolvitur in habens humanitatem, ipsa humanitas veniat ut habens se ipsam: quod explicabitur, & probabitur in metaphysicis.

4. Prop. in concreto substantiali non purè creato aliqua substantia venit in obliquo. Sic homo in Christo humanitatem importat in obliquo, non in recto. Ratio hujus propositionis à post. est manifesta; si enim humanitas in recto veniret, non esset homo de Verbo prædicabilis; quia certè Verbum humanitas non est. A priori constat ex dictis; quia ut humanitas sit substantia, comparata tamen Verbo, à quo assumitur, evadit illius, perindè ut substantiæ accidens, atque adeo similiter debet in denominatione procedere. Hæc obiter innuisse sit satis; res enim est indaginis altioris.

Nunc ad quæsitum respondeo, dum quæritur, subiectum, an forma principalius denominativo significetur, si venire principalius idem sit, ac venire in recto, significari principalius subiectum: sin verò principalius idem sit ac expressius, & clarius, significari principalius formam, album enim magis exprimit albedinem, quam subiectum; & sic alia. Quoniam verò principale significatum stat plerumque pro significato formali, communiter autho-

res

res dicunt, denominativo significari principalius formam, minus principaliter subiectum. Et merito quidem; nam principalitas in significando attenditur penes notitiam clariorem, quam ingerit vox audienti, at clarior est notitia, quam ingerit album v.g. albedinis, quam subiecti, ergo formam principalius significat. Aliter se res habet in suppositione; supponit enim denominativum dumtaxat pro subiecto, quod unum significatur in recto; & rectum unum est, quod prædicatur, ac subiicitur.

Habes ex hoc resolutionem alterius dubii, utrum multiplicatio concretorum desumenda sit ex multiplicatione subiecti, an formæ, an utriusq; Et quidem vel dubium procedit de concretis stantibus in suppositione materiali, ut si quæratur, album, & dulce in lacte sintnè unum concretum ex unitate subiecti, nim. lactis; an duplex ex duplicitate formæ albedinis scil. ac dulcedinis; respondeo esse duplex; quia nominis materialiter stantis subiectum non est res, sed vox, & forma non accidens, forma physica, sed significatio, forma logica: sunt autem duæ voces, & duæ significationes; atq; adeò duo concreta, ut iterum superiùs dixi. Quod si quæratur de concretis stantibus in suppositione personali, manifestum est ex dictis, quod si unum est rectum, & multæ formæ, unum est concretum; si multiplex rectum, & una forma, multiplex est concretum. Unum enim, & multa dici debent de eo, pro quo terminus supponit, adeoque de recto. Sic unum est concretum Christus; quamvis duæ sint naturæ. Contrà si humanitas à tribus Divinis Personis assumpta fuisset, tria essent concreta, seù tres homines, quia totidem recta.

CAPUT IV.

De Divisione entis in decem Prædicamenta.

RES incomplexè significatas dividit Aristoteles (& est divisio non ab ipso primum instituta, sed ab antiquioribus accepta, & Pythagoræ, Architæ, communique totius penè vetustatis authoritate firmata) in decem summa genera, dum ait: *Eorum; quæ nulla complexione dicuntur, singula aut substantiam significant, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse; aut habere, aut agere, aut pati*, sed nulla tamen habita antiquitatis ratione, adversus hanc divisionem invehuntur Recentiores non pauci inter quos Arriaga confidenter suo more pronunciat vix aliam esse divisionem, in qua plura vitia reperiantur, tum contrà eam quà argumentis, quà scommatis agit.

Equidem ut censeam divisionem istam non plenè subsistere, si sumatur ut rerum divisio secundum aliud, & aliud earum esse reale; rectam, eam tamen puto, si sit rerum secundum aliud, & aliud esse rationis, quod habent in anima. Quare veram censeo opinionem Occami, Aureoli, imò & D. Thomæ mox citandi, numerum prædicamentorum non desumi ex numero rerum, sed prædicatorum primò intentionalium, quæ de re dici possunt: & hæc rursus distingui ex numero quæstionum, quæ de prima substantia possunt institui, quia enim de prima substantia inquiri potest primò, *quid sit*; quodcumque prædicatum huic interrogationi reponitur, pertinet ad prædicamentum substantiæ, illudque constituit, ut esse lapidem, equum, hominem. Quæ verò prædicata reponuntur interroganti, *quantum est*, statuuntur in prædica-

mento quantitatis, ut esse bicubitum, tricubitum, illa, per quæ respondetur interroganti per *quale*, sunt in prædicamento qualitatis, ut esse album, calidum, dulce. Per quæ verò respondetur interroganti per *Ad quid*, sivè per *Cujus*, aut similia (deest enim generale unum nomen omnes relativas interrogationes complectens) sunt in genere relationis, ut majus, aut minus, Pater aut Filius; atque ità de reliquis prædicamentis. Convenienter porro alia omnia prædicamenta explicantur per ordinem ad primam substantiam; totum enim accidentis & esse, & cognoscibile esse explicatur per ordinem ad substantiam, in qua est, & per dici de substantia, quam denotat. Quod si in hoc ipso dicendi modo quæratur hujus divisionis ratio, dari difficile potest, ut ex Avicenna docet Suarius; disp. 39. met. sec. 2. num. 16. & idcirco nunquam Philosophus eam probare conatus est, sed eam ut communiter admissam semper supponit: quod à nobis etiam fieri à fortiori potest. Convenientia autem e. m divisionis ea dari potest, quod nulla sit interrogatio factibilis de prima substantia, quæ non ad unam ex his decem reducatur; adeoque nullum est prædicatum substantiæ, quod non sub uno ex his decem sit.

Data igitur prędicamentorum divisione tum authoritati, tum congruitati, illud quærendum superest momenti non sanè parvi, utrum iis necessariò subsint distinctæ res ità, ut ex præcisa hac prædicamentorum distinctione liceat arguere ad distinctionem rerum. v. g. an eo ipso, quod quantitas, aut relatio ponitur distinctum à substantia prædicamentum, sequitur, eas esse res à substantia distinctas.

In qua re censeo ex distinctione mera prædicamentorum nihil prorsus argui posse pro rerum distinctione; adeoq; nisi aliundè probetur oppositum, quantum est ex hoc uno capite; pos-

possunt omnia prædicamenta à substantia non distingui. Est contra Flandriam 5. met. q.7. aliosque post ipsum Thomistas, qui tamen mihi videntur apertissimè deserere S. Thomam, & optimos quosq; veteres Thomistas, Soncinatem, Javellum, Capreolum laudatos à Suario loc. cit. num. 11. Audiatur Capreolus in 1. d. 8. q. 2. in resp. ad 18. ubi, *Non oportet*, inquit, *quod prædicamenta distinguantur per realem distinctionem naturarum semper, sed penes diversum modum prædicandi, secundum quod ponit S. Th. super 5. met. cap. de ente*. Et post recitata verba S. D. quæ longum esset referre, concludit: *Ex quo patet, quomodo prædicamenta distinguantur penes diversum modum prædicandi. nec oportet, quod quæcumque pertinent ad diversa prædica. menta, dicant diversas res: sicut ipse* (h.e. S.Th.) *testatur 11. met. cap. de motu. ubi sic dicit, movendo dubium; Si actio, & passio sunt idem secundùm substantiam, videtur quod non sint diversa prædicamenta, & respondet: sed sciendum, quod prædicamenta diversificantur secundum diversos modos prædicandi; unde licet idem sint, quia tamen diversimodè de diversis prædicantur, ideò ad diversa prædicamenta pertinent*. Hæc Capreolus, imo potius D. Thomas, qui hoc idem habet 3. phys. lec. 5. ubi probat actionem & passionem non distingui inter se, nec à motu, tum sibi objicit, ac solvit argumentum petitum à numero prædicamentorum.

Hæc eadem est mens Philosophi tum 5. met. t.c. 14. ubi prædicamenta distinguit secundum prædicationis figuras: tum in præsenti, res enim unius prædicamenti ponit indiscriminatim sub alio: nam in prædicamento *ad aliquid* statuit scientiam, quæ qualitas est, habitum quoq; & positionem, seù situm. Prætereà actionem à passione non distinguit, ut probat 3. phys. t.c. 22. ubi *Quod enim*; inquit, *hujus in hoc, & quod hujus ad hoc actum esse ratione alterum est*. Sed clarissi-

mè

mè cap. *de Qual.* in fine, reddens rationem, cur multa, quæ posuerat in prædicamento *ad aliquid*, iterum ponat sub prædicamento qualitatis, sic ait: *Si contingit idem ipsum & quale, & ad aliquid esse, nihil est inconveniens in utrisque hoc generibus enumerari.*

Prob. jam nostra assertio ratione, 1. quià non aliundè potest deduci realis prædicamentorum distinctio, nisi quià sunt summa genera, & rationes primò diversæ, at ex rationum distinctione nulla rectè inferri potest distinctio obiectiva ne formalis quidem, aut virtualis, ut probabo in met. multò minus realis. 2. si omnia prædicamenta deberent inter se secundum rem distingui, deberet secundum rem distingui species à suo genere: quod nemo concedat, prob. sequela; nam esse situatum comparatur ad esse locatum, ut species ad suum genus; *accubitus enim & statio, & sessio positiones quædam sunt*, ait Phil. cap. de *ad aliquid*, positio autem quid est, nisi tale esse in loco? Rursus actio, & passio species sunt relationis, ut infrà ostendam. Neque est, quod instes; Cur ergo diversa sunt prædicamenta? Resp. enim; quià diversam habent quæstionem; cum aliud sit quærere, ubi est, aliud, quo partium ordine sita in loco res est, non sic contingit in colorato, & albo, in quo utroque interrogatio non fit, nisi per quale.

3. Adversarii plerique ità prædicamentorum distinctioni affixi hærent, ut hanc habeant in tota philosophia regulam verè Lesbiam ad rerum distinctionem, indistinctionemque probandam. quare unionem, motum, aliaque non pauca negant esse distincta ex hoc uno, quod speciale prædicamentum non habent unio enim ad nullum prædicamentum directè, motus ad post prædicamenta pertinet, quin etiam fuit (quis credat?) qui negationes etiam, privationesq; indistinctas probaret propterea,

quod

quod in prædicamento non sunt, sed ista nec dicuntur solidè, ut patebit solvendo argumenta, nec cohærenter; nam ut *habere, situm esse* &c. ita *uniri*, & *moveri* sunt rationes primò diversæ; si ergo illæ, & istæ debent res esse distinctæ. Et quidem quis unquam poterit vel probabiliter persuadere, quod habere vestem sit res distincta, secus habere albedinem, aut habere quantitatem? dicere autem, quod sit disparitas, quia illud est prædicamentum, non hoc, est respondere per circulum.

Obiic. 1. modi prædicandi diversi desumuntur à diversis modis essendi, cum prædicari sequatur ad esse, si ergo in prædicamentis habetur diversitas prædicatorum, debet etiam haberi diversitas rerum.

Sed hinc fieret, ut differentia importet rem aliam à genere; quia ipsa prædicatur in quale genus in quid. Resp. directè cum Soncinnate 5. met. q. 13. ut antecedens sit verum, debere hunc sensum facere, quod ad hoc ut intellectus plures rationes ab una re abstrahat, debet res esse multipliciter conceptibilis, diversitas igitur prædicandi sequitur essendi diversitatem non formalem, sed fundamentalem, quatenus esse ipsum diversimodè conceptibile fundat prædicatorum diversitatem, cæterum non est opus, ut distinctio conceptuum supponat distinctionem rerum.

Obiic. 2. ex intentionibus secundis non distinguuntur inter se entia primæ intentionis. atqui omnia prædicamenta sunt entia primę intentionis; ergo non distinguuntur præcisè per prædicationem diversam, quæ spectat ad intentionem secundam.

Resp. res ipsas distingui per cognitiones in esse non reali, sed intelligibili: quod sufficit ad distinctionem prædicamentorum, in quibus res ponuntur principaliter, sed non omninò præcisæ à cognitionibus, quæ veniunt tamen ut

formæ

formæ extrinsecæ distinguentes, non verò ut prædicata, & prædicamenta distincta, sed de hac re latius in met. ubi de distinctione rationis.

Obiic. 3. magis distinguuntur duo prædicamenta inter se, quam quæcumq; ponuntur sub eodem prædicamento, at quæ sub eodem sunt prædicamento, distinguuntur realiter, ut homo, & equus, ergo à fortiori distinguuntur realiter prædicamenta omnia inter se.

Conf. 1. omnis distinctio individualis, & numerica est minor distinctione generica, sed omnis individualis, & numerica est realis distinctio. ergo & omnis generica.

Conf. 2. omnis distinctio specifica affert realem distinctionem; aliter eadem res esset in multiplici specie, adeoque haberet multiplicem essentiam, sed omnis distinctio generica major est distinctione specifica, ut constat ex eo etiam, quod generica specificam trahit, ex regula anteprædicamentali, *Diversorum generum, & non subalternatim positorum diversæ sunt specie differentiæ*, ergo omnis distinctio generica trahit realem distinctionem.

Resp. ad argumentum, illud peccare in supposito; comparat enim incomparabilia. Prædicamenta per se loquendo distinguuntur secundum rationem formalem: quæ sunt sub eodem prædicamento distinguuntur sæpè secundum rem non potest autem comparari distinctio rationis cum distinctione rei; sunt enim primò diversa distinctionum genera, duas lineas longè dissitas constituentia. Et ut videas nihil rectè confici ex hoc arguendi modo, compara distinctionem realem individuorũ cum formali generis, & differentiæ, quibus nihil est commune univocum; & reperies hanc esse illa majorem, perinde ut est major distinctio prædicamentorum distinctione individuorum, neque verò hinc bene concludas genus à differentia realiter

cer distingui , ut realiter distinguitur individuum ab individuo.

Per hæc patet quid sit dicendum ad 1. confirmationem: Ad 2. nego majorem. idem enim calor est in duplici specie qualitatis; ut enim est principium agendi , est in specie potentiæ; ut verò est terminus motus, est in specie passibilis, qualitatis.idem continuum juxta veriorem sententiam indivisibilia terminativa non distinguentem secundùm unam tamen dimensionem est linea, secundum duas est superficies. secundum tres est corpus; adeoque est idem in triplici specie quantitatis. Neque obstat , quod haberet res eadem essentiam multiplicem ; esset enim non multiplex physicè, sed solum metaphysicè essentia; quæ multiplicitas non pugnat cum unitate rei.

Obiic. 4. D. Thomam q. 8. de pot. ar. 2. ad 1. ubi reddens rationem cur substantia creata non possit esse à pr. r. eamdem cum relatione, possit autem essentia Divina: quia nim., inquit, *substantia creata est definita ad unum genus, & per consequens excluditur ab alio genere*. quæ ratio si bona est, probat universim , nihil quod est sub uno prædicamento , posse esse sub alio: adeoque prædicamenta quà talia realiter invicem distingui.

Sed certè D. Thomas tam manifestè pro nostra sententia in locis supra cit. loquutus est, ut dubium nullum super hac re de sua mente reliquisse videatur. Utcumque ergo senserit in loco hic cit. , ubi obiter , & ex occasione rem istam tangit; non potest una hæc ipsius authoritas tot aliis præponderare, in quibus id tractat ex professo . Fortasse autem hoc loco disparitatem inter substantiam creatam , & increatam voluit petere ex ratione finitatis, quæ in hac reperitur, non in illa, & quamvis finitas non probet distinctionem , potest tamen stare cum distinctione : quod satis erat ad argumentum ;

quamvis enim daretur, quod substantia creata deberet per se; & in quantum est distinctum genus à relatione distingui, non liceret hinc arguere ad substantiam increatam, quæ utpotè illimitata, & suprà genus, comprehendit in se omnium generum perfectiones.

CAPUT V.

Utrum ens analogicè, an univocè ad prædicamenta descendat.

PRæsens controversia, quæ multò præcedentibus celebrior est, locum hic proprium habet; ubi enim ens in prædicamenta divisum est videndum porrò qua ratione ad illa descendat, sed quanquam de sola univocatione, & analogia entis disputare Logici sit, quia tamen nihil potest de hac determinari, nisi prius decidatur quæstio metaphysica de entis præcisione; hanc prius, quæ sola de re est, versabo; tum aliam, quæ est de nomine.

§. I.

Entis non mutua à suis differentiis præcisio stabilitur.

ANtè omnia conceptus ipse entis, de quo est sermo, declarandus. sed is tamen usque adeo notus est, ut vix, & ne nunquidem declarari possit. Docuit hoc D. Thomas de Ver. q. 1. ubi, *sicut*, inquit, *in demonstrationibus oportet fieri reductionem in aliqua principia per se intellectui nota; ita investigando, quid est unumquodque: aliàs utrobique in infinitum iretur, & sic omninò periret escientia, & cognitio rerum. illud autem, quod primò intellectus concipit quasi notissimum, & in quod omnes suas conceptiones resolvit, est ens, ut Avicenna dicit in*

princ.

princ. sua met. unde oportet, quod omnes aliæ conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens Hinc rectè comparatur ens soli; ut enim est primum visibile reddens cætera visibilia ità ens est primum intelligibile reddens cætera intelligibilia; quidquid enim intelligitur, in tantum intelligitur, in quantum de ente participat; atque ideò quę plus habent entitatis plus habent intelligibilitatis, Profectò quæcumque concipimus, & explicamus, enti statim immergimus: nec est quidquam definibile, nisi per *esse* hoc, aut illud. possibile dicimus, quod potest *esse*, impossibile quod non potest *esse*, negationem, quæ tollit *esse*, causam, quæ ponit *esse*, &c. est ergò ens, & esse prima ratio, qua cæteræ explicantur, ipsa verò per nullam.

Quod ipsum ex eo patet, quod ens, & esse non possunt explicari, nisi se ipsis, nec patiuntur rationem se clariorem: quod est proprium conceptus clarissimi, ac per se noti. Sive enim dicas, ens, esse quod contra distinguitur à nihilo; sivè quod opponitur chimæræ; sivè quod contradictoria non involuit; sive quod est principium distinctionis; semper regrederis ad ipsum ens, & ens per ens declaras; nam & distingui à nihilo est non esse non ens: & opponi chimæræ est non esse, quod non potest esse: & non involvere contradictoria est non involuere esse, & non esse; & esse principium distinctionis est trahere unum non esse aliud.

Cum hoc tamen stat, ut contemnendæ non sint entis notiones communiter allatæ. quæ tamen sunt accipiendæ non ut rigorosæ explicationes, sed ut circumlocutiones, quæ non tam ad declarandum, quam ad loquendum, & significandum adducuntur.

Post hæc dum entis præcisionem in præsenti disputandam assumo, non loquor objectivam, sed formalem præcisionem: nam objectivam

non solum in ente, sed in reliquis etiam rationibus probabo impossibilem in metaphysicis. Prætereà si ostendam ne formalem quidem dari præcisionem mutuam differentiarum ab ente, ex hoc satis constabit non dari objectivam, quæ sane, si datur, mutua esse debet, cum nihil possit in re distingui ab alio à se indistincto.

Dico igitur 1. Ens formaliter omninò præscindit à suis omnibus differentiis.

Prob. Ratio entis, seu habentis non repugnantiam ad esse, est ratio ità communis, & præcisa, ut nulla in ea ratio differentialis elucescat; sub hac enim ratione Deus, & creatura substantia, & accidens conveniunt; & si hanc unam rationem potentis esse consideres, nec Deum habes, nec creaturam, nec substantiam, nec accidens, sed merum conceptum ad hæc omnia contrahibilem. atqui hoc, & non aliud est, quod dicimus, dum ens dicimus formaliter à à suis differentiis præcisum. Conf. ab ipsa experientia docente, audito nomine entis, non distrahi nos in conceptus multos, sed colligi potius ad unam rationem essendi. de qua est propterea una, eademque nobilissima scientia metaphysica, cujus est ens primò secundum se spectare, ejusque proprietates transcendentes inquirere, tum illud in prædicamenta partiri, quæ omnia sine una entis ratione stare non possunt.

Neque dicas, hoc non esse satis ad præcisionem simpliciter dictam; similiter enim posset dici definitum à definitione præscindere, quia definitio in definito non explicatur. quamvis ergò differentiæ in ente non explicentur, possunt tamen in eo involui, & implicitè contineri: quod sufficit, ut dicatur ens à differentiis non præscindere. Nam

Contra est 1. quià si differentiæ implicitè continerentur in ratione præcisa entis, differen-

rentiæ explicarent ens, ut definitio implicitè contenta in definito explicat definitum. at non potest hoc dici: tum quia ratio entis est ratio explicabilis per notiora, ut prænotavi. tum quia ex D.Th. ipsa potius explicat differentias, quam per differentias explicetur.

Contra est 2. nulla ratio involvens formaliter plures rationes se habet indifferenter ad illas, atqui ratio entis se habet ad omnes differentias indifferenter. ergò illas formaliter non involvit. major est certa; quia nihil se habet indifferenter ad id quod formaliter est, & formaliter est, quidquid in sua formali ratione involuit. prob. jam minor. tam potest esse, quod est à se, quam quod est ab alio, quod est per se quam quod est in alio, ergò in ly posse esse præcisè spectato nihil est, quod determinet ad unum potius, quam ad aliud. antec. est innegabile. consequ. est manifesta, quia si in ly posse esse reperiretur determinatio ad esse à se v.g., jam non posset esse, quod est ab alio; aliter quod est ab alio, esset simul determinatum, ut esset à se.

Contrà est 3. ea enim est regula præcisionis inter prædicata perfectæ, ut si fiat hypothesis, quod ea realiter distinguantur. nulla inde sequatur contradictio per locum intrinsecum; ut declarabitur, & probabitur in met. atqui si supponatur ens realiter distinctum à perseitate, nulla sequitur ex parte entis per locum intrinsecum contradictio quanquam sequatur ex parte perseitatis: cujus rei signum est evidens, quod de facto ens sine perseitate reperiatur in accidente. ergò ens non solum imperfectè, & secundum explicitum, & implicitum, verùm etiam perfectè à perseitate præscindit. eadem ratione probabis ens præscindere ab inalietate, ac reliquis differentiis.

Dico 2. Differentiæ formaliter in suo conceptu rationem entis involvunt, adeoque non

constituunt distinctam ab ente formalitatem. Ità Alensis 3. met. ubi ait, quod conceptus essentiæ, seu entitatis est conceptus primus profundans se intra omnem conceptum inferiorem. Ità & D. Thomas, quem sequitur Suarez disp. 2. met. sec. 5., estque expressa Philosophi mens 3. met. t. 10. ubi, *Non est autem*, inquit, *possibile neque ipsum unum entium esse genus, neque ipsum ens; necessè est enim cuiuscumque generis differentias & esse, & unamquamque unam esse. impossibile autem est, aut species generis de propriis differentiis prædicari, aut genus absque suis speciebus. quare si unum, vel ens genus est, nulla differentia vel unum, vel ens erit*. Quæ verba explicans D. Th. 1. p. qu. 3. art. 5. o. sic habet. *Ostendit Philosophus, quod ens non potest esse genus alicujus; omne enim genus habet differentias, quæ sunt extrà essentiam generis: nulla autem differentia potest inveniri, quæ sit extra ens; quia non ens non potest esse differentia*. Item ait 12. q. 94. ar. 2. o. *Illud, quod primò cadit in apprehensione, est ens, cujus intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit*.

Prob. conclusio. Quæcumque ratio ostendit intellectui se esse realem, illa est formaliter in suo conceptu ens; esse enim realem rationem est esse rationem contradictoria non involventem, adeoque potentem esse: & hoc ipsum est esse ens: atqui omnis differentia entis se ipsa est nata ostendere intellectui se esse realem. quod prob. 1. quia unaquæque ratio est nata ostendere intellectui se esse, quod est, si rectè penetretur: atqui omnis differentia entis per se ipsam est differentia entis; si enim hoc haberet per aliam rationem, esset progredi in infinitum. ergo si penetretur, deprehendet intellectus eam esse entis differentiam. atqui hoc ipsum est esse rationem realem, hoc est rationem in suo conceptu non repugnantem; nihil enim repugnans potest esse entis differentia.

2. O.ii-

2. Omnis una ratio intellectui manifestata ità cognoscitur ut ipsa, ut non simul cognscatur ut non ipsa, sed hoc est cognosci sub ratione entis. ergò omnis una ratio cognoscitur sub ratione entis. minor est certa; quia cognosci ut ens, est cognosci ut non involvens contradictoria. major. prob. ex eo quod omnis pugna est inter duo, sivè sint re, sivè ratione duo, pro modo scilicet pugnæ aut physicæ: aut logicæ. quod est etiam verum in oppositione contradictoria, in qua quod ponitur ab uno, tollitur ab ejus negatione. quare requirit duas rationes, alteram negativam, alteram positivam. recurrit ergò, quod quousque unam rationem consideras, pugnantia non consideras; nisi velis dicere, quod intellectivum tollitur per intellectivum, & ens per ens: quod est dicere, tolli unumquodque non per suum oppositum, sed per se ipsum.

3. Ens est prædicabile de qualibet differentia inferiori non solum in concreto, sed etiam in abstracto; quatenus non solum potest vere dici, quod substantia, sed etiam quod perseitas est ens. ergò quælibet differentia includit ens, antec. prob. ens nominaliter sumptum dicit de formali possibilitatem, capacitatemque existendi, hæc autem convenit per se, & intrinsecè cuicumque rationi etiam abstractæ, eo ipso quod in intrinsecis suis repugnantiam non involuit. sic intellectivitas, sic perseitas, aliæque perfectiones quæcumque dum penitus inspectæ nihil habere deprehenduntur, quod positum trahat esse, & non esse, in hoc uno definiuntur capaces essendi, & rationes entis realis constitutivæ. Hinc possibilitas à metaphysicis reponitur in non repugnantia prædicatorum tum absolutè, tum respectivè venientium adeoque re ipsa in omnibus, & singulis prædicatis reperitur, ut per omnia, & singula prædicata constituitur.

4. Non ens, ut ait D. Th. loco cit. non potest esse entis differentia. omnes ergò entis differentiæ sunt ens. Neque dicas, eas posse esse non ens non quidem negativè, sed præcisivè. nam contrà est; quia esse non ens præcisivè importat, quantum est de se, præscindere, & indifferenter se habere ad ens, & non ens, seu chimæram. atqui nulla differentia realis talem præcisionem, & differentiam in suo conceptu potest involuere. indifferentia enim ad chimæram est manifestè chimærica.

Conf. ex hac generali regula. Omnis differentia inferior se ipsa opponitur cuicumque rationi extrà genus suum, rationale v.g. plantæ; aliter si rationale plantam indifferenter respiceret, esset contrahibile per animal. & plantam, adeoque esset genus ad genus suum. quæ regula à fortiori militat in differentiis entis, in quibus nulla potest fingi indifferentia ad chimæram, quin transferatur differentia entis ad rationem enti, & chimæræ superiorem; ex quo ens evaderet species, aut quasi species cuilibet differentiæ suæ: & rursus ens, & non ens contradictoriè non opponerentur, stante enim ratione communi, in qua conveniunt, non quidquid ponitur ab uno, tolleretur ab altero Est ergò quælibet entis differentia per se ipsam formaliter opposita non enti, & chimæræ. atqui hoc est esse formaliter ens. ergò quælibet entis differentia est formaliter ens, In quo apparet discrimen differentiarum entis à differentiis aliorum generum, in quibus non est reperire ex hoc capite similem inclusionem; ut.n. esse ens est opponi chimæræ, non sic esse animal est opponi plantæ, undè possis legitimè deducere, rationale per se formaliter esse animal, ut per se formaliter opponitur plantæ.

5. Demum id probat regula præcisionis exposita in probatione primæ conclusionis; si enim supponas perseitatem v. g. distingui realiter

ter abente, per locum intrinsecum sequitur in perseitate repugnantia; quidquid enim ab ente realiter distinguitur, non est ens, adeoque est chimæra, cum inter hæc duo, ens, & chimæram, ut potè contradictoria, non sit medium. non potest ergò perseitas ab ente perfecta præcisione distingui, nec potest ens non esse de intrinseca, & formali ratione perseitatis, & cujuslibet differentiæ inferioris.

§. II.

Infertur ex dictis Entis analogia, & solvuntur obiectiones.

Dico 3. ens non est purè æquivocum, seù æquivocum à casu. Ita Phil. 4. & 7. met. Prob. quia ens omnia sua significata coadunat sub una communi ratione potentis existere, in qua omnia conveniunt. hoc autem non stat cum hoc, quod sit æquivocum à casu, cujus est scil. multa significare sine ulla prorsus mutua vel habitudine, vel convenientia.

Dico 4. ens non est genus. Ita Phil. & D. Th. in confirmatione secundæ conclusionis allati.

Prob. ad rationem generis rigorosam opus est, ut contrahatur per differentias extraneas, illudque in suo conceptu formaliter non imbibentes, atqui enti nihil est ità extraneum, ut in eo formaliter non involuatur. ergo ens non est genus, sola major est probanda, quæ quia de voce est. manet sufficienter probata authoritate Philos., & D. Thomæ ex hoc negantium enti generis rationem, ut videre est in ipsorum verbis superius allegatis. Et quidem genus est correlativum differentiæ, ut materia formæ. ubi ergo differentia rigorosa non est, nec est ibi rigorosum genus. at ubi differentia involvit formaliter ge-

nus, ibi in rigore non est differentia; quià rigorosa differentia est pars speciei, non species: differentia verò involuens genus species est potius quam speciei pars.

Dico 5. ens non est univocum. Hanc conclusionem negant ex iis etiam alii quàm multi, qui proximè præcedentem, admittunt, sed non video, qua ratione discedant à communi sensu in lite de vocabulo. 1. enim tenentur concedere terminum univocum, qui in nulla sit specie earum; in quas universale dividitur; adeoque negandum est ipsis, Porphyrii divisionem esse adæquatam; quod est contrà communem sensum. Propterea idem Porphyrius cap. de specie ens ex Philos. æquivocum appellat (non quidem à casu, sed à consilio, id. analogum) videbat enim stare non posse ens univocum cum sufficientia divisionis prædicabilium. 2. inspiciatur notio termini univoci, ut videatur, an ea enti competat. Is est profectò terminus univocus, qui plurium convenientiam præcisè significat, non verò differentiam, atqui nomen ens cum sit natum per se, & immediatè significare, quidquid formaliter rationem entis participat in quantum tale; & entis rationem participent formaliter ipsæ etiam differentiæ; consequens est, ut istæ etiam quà tales signentur per nomen entis. In quo est manifestum discrimen entis ab animali, aliisque generibus; nam homo & equus per animal conveniunt tantùm, neque est in ratione animalis, per quod differant: at substantia & accidens ut conveniunt per rationem entis præcisam, ità & per eandem in differentiis imbibitam discrepant; adeoque conveniunt & discrepant in ipsa formali ratione per nomen entis significata.

Dico demum 6. Ens est analogum. Hoc dictum alia probatione non indiget. Solum superest dubium, sit ne analogum proportio-

nis,

nis, an attributionis. P. Suarez disp. 32. met. sec. 2.n. 12. censet esse analogum attributionis. Cajetanus apud ipsum Suarium contendit esse analogum proportionis. Utraque sententia est probabilis; adeoque potest entis analogia explicari tum per attributionem, qualiter a Phil. explicatur 1. eth. c. 6. & 4. met.c.2. non quasi vero forma, & ratio entis intrinsecè sit in uno, substantia nim., aut Deo, & in aliis non sit nisi habitudo ad ipsam:sed quia licet sit intrinsecè participata ab omnibus, cum ordine tamen, & habitudine unius ad alterum imbibita in ipsa entis formalitate. tum per proportionem; nam & substantia, & accidens rationem entis involuunt, & ut substantia per sua prædicata constituitur capax existendi, ità & accidens per sua. & quamvis non sit hæc proportio præcisa ratio, cur idem entis nomen sit impositum utrique, non video, cur non fuerit ratio vel sufficiens, vel inadæquatè movens ad utrumque eodem hoc nomine significandum. mitto alia; res enim est exigui momenti.

Obiic. 1. incohærentiam primæ cum secunda conclusione. præcisio enim est quædam distinctio, & separatio intentionalis unius ab alio. sed est inintelligibile, quod A distinguatur, & separetur à B, & B maneat indistinctum, & indivisum ab A; aliter esset idem cum A, & distinctum ab A. ergo repugnat præcisio illa non mutua in duabus primis conclusionibus asserta.

Conf. 1. non potest dari excludens, quin detur exclusum, ut constat ex terminis. ergò impossibile est, ut conceptus entis præscindat, adeoque excludat differentias, & habeat adæquatè extrà se conceptum differentiarum, & nihil differentiarum excludatur, seu sit extrà conceptum entis.

Conf. 2. differentiæ secundùm ultimum sui

funt ens. ergo ens abſtractum à differentiis eſt ens abſtractum ab ente; quod videtur in terminis repugnare.

Conf. 3. quia ſequitur proceſſus infinitus in præciſionibus, ſi enim abſtracto ente à ſubſtantia, adhuc perſeitas ens manet, poteſt iterum ab ea ens abſtrahi, & quià iterum manet, poteſt iterùm abſtrahi, atque ità in infinitum.

Ad arg. reſp. negando majorem; neque enim qui præſcindit, rem à re ſeù obiectum ab obiecto vel intentionaliter ſeparat, ſed ſolum rationem à ratione; ſeù conceptum à conceptu; quatenus habet rei unam cognitionem, ſub qua ens dicitur, & non habet cognitionem aliam, ſub qua dicitur ſubſtantia, vel accidens. atque ità licitum eſt in ſenſu formali ſine ulla repugnantia duas haſce propoſitiones uſurpare, ens formaliter non eſt ſubſtantia, ſubſtantia formaliter eſt ens: ſenſus enim eſt, in ratione illa, in qua ens tantùm denominatur, nihil omninò apparere, per quod determinetur vel ſubſtantia, vel accidens: at in ratione, qua ſubſtantia denominatur, apparere, per quod determinetur ens In hoc autem nullam, eſſe vel umbram repugnantiæ, conſtat; tum quià affirmatio, & negatio non cadit, niſi ſuprà aliam, & aliam cognitionem; tum quià ſimile quid contingit in cognitionibus generis, & ſpeciei; nam in cognitione animalis nihil eſt, per quod determinetur homo; at in cognitione hominis eſt, per quod determinetur animal.

Ad 1. conf. reſp. totum indiviſibiliter conceptum differentiarum eſſe extrà conceptum entis, quamvis conceptus entis non ſit extrà conceptum differentiarum; adeoque conceptus iſti diſferunt ut includens, & incluſum; nam conceptum entis includitur, & non includit: conceptus differentiarum includit, & non includitur: ut dictum modo eſt de conceptibus generis, & ſpeciei & quamvis in ſpecie ſit alia pars, quæ genus

genus excludit, secus in specie entis, quæ tota, & totaliter est ens; id tamen nullatenus ad rem videtur: quia utcumque differentia sit ens, est tamen exprimibilis non solo conceptu essendi communi reliquis, sed etiam proprio, nim. essendi per se, aut essendi in alio, hoc igitur est, quod dico, conceptum essendi nullatenus involuere conceptum essendi per se, aut essendi in alio, nec habere in sua expressione, quod ad alterum illorum aliquo modo determinet: & in hoc etiam sensu dicitur illos excludere.

Ad 2. conf. concedo consequentiam, & nego illam in terminis repugnare; quid enim repugnet, obiectum concipi cognitione communi omni enti, & non cognitione propria ipsi? sit ens, non tamen quodcumque, sed tale, substantia nim., aut accidens. ens igitur præscinditur ab ente, sed ens commune ab ente tali, posse esse à posse taliter esse, ens à substantia.

18 Ad 3. conf. nego absurditatem sequelæ; dum enim ab ente, quod manet, videris noviter ens abstrahere, reverà ad eandem cognitionem entis communem priori omninò similem regrederis; atque ità non est absurdum in infinitum ire; quemadmodum si animal abstrahas ab homine, quia adhuc homo animal manet, licet iterum abstrahere, atque ita sine termino, ut sine termino licet ad eandem cognitionem iterum, iterumque reverti.

Obiic. 2. potest concipi aliqua inferior differentia, dubitando, utrum ea sit ens reale. ergo inferior differentia præscindit ab ente consequ. prob. quia non est aliud signum certius præcisionis prædicatorum, quam quod uno affirmato, alterum contingat vel negari, vel ambigi. antec. constat; quià multa sunt, quorum conceptum, rationemque tenemus, de eorum tamen possibilitate dubitamus, sic est infinitum categorematicum in quantitate, creatura ab æterno, substantia supernaturalis, & accidens

ipsum

ipsum physicum; quod atomistæ omnes negant à substantia realiter distingui.

Resp. 1. de nulla inferiori ratione, quæ sub ente reali ponitur, dubitari posse, an sit possibilis, nisi ab illo, qui ejus intimam naturam accuratè non penetrat. sicuti enim omnis differentia entis diligenter inspecta ostendit intellectui se esse differentiam entis (neque hoc potest, per aliam à se distinctam formalitatem sortiri, ut suprà arguebam) ità & ostendit se esse ens. Et quidem argumentum si probaret, definitionem etiam probaret à definito formaliter perfectè distinctam; quià sæpe certi de definito; altercamur de definitione: nec rarò contingit, ut quis hominem neget esse animal, propterea quod animalis notionem probè non novit. nec tamen licet hinc inferre, animal non esse de formali hominis ratione. Unde habes, exempla allata nec esse ad rem & probare contrà adversarios. nam in iis non sumuntur differentiæ, sed species, aut quasi species, de quarum formali ratione est genus, aut quasi genus; quamvis enim possit dubitari, an ens sit de ratione inaleitatis, non tamen potest dubitari, an sit de ratione accidentis, posito quod accidens sit ens reale. Ut ergo ex illo dubio non probatur ens non esse de ratione accidentis, ità nec probatur non esse de ratione inaleitatis.

Resp. 2. ex dictis in 2. prob. secundæ conclusionis, impossibilitatem universim non reperiri in ulla ratione simplici: cum omnis impossibilitas non sit, nisi incompossibilitas plurium rationum in una entitate. nego igitur antecedens; ad cujus probationem dico, non dubitari in iis de possibilitate simplicium rationum (quæ omnes apparent possibiles, & ens) sed solum an eæ possint in eandem entitatem coincidere. dum enim quærimus, an sit possibilis quantitas infinita, sumus certi tum de ratione quantitatis, tum de ratione infinitatis; sed an duæ istæ rationes sint invicem affirmabiles, hoc est quod dubi-

dubitamus. Similiter nemo est, qui dubitet de accidente, sed utrum illud sit logicum, an physicum, distinctum, an indistinctum à substantia, hoc unum est, quod in dubium revocatur.

CAPUT VI.

Infertur ex modò dictis, Deum in prædicamento non esse.

FAcilis est ex dictis hujus communissimæ resolutionis probatio contrà Gregorium, Gabrielem, aliosque Nominales. Sed prius præmittendum est commune aliorum argumentum: quod sic habet. Quod est in prædicamento adeoque sub genere, debet compositionem involuere, omnis enim propriè dicta species, quæ sub genere ponitur, componitur ex genere, & differentia. atqui omnis Deo compositio repugnat; tum quià summam habet, perfectissimamque essendi simplicitatem; tum potissimùm quià compositio non fit nisi ex duobus, quorum alterum se habet ut potentia, & perfectibile, alterum ut actus, & perfectivum. Deo autem, qui est summè perfectus, repugnat omnis ratio perfectibilis, & potentialis.

Contemnunt hanc rationem, nec planè immeritò Nominales; ista enim compositio non rei est, sed rationis, orta non ab imperfectione obiecti quod concipitur, sed potentiæ quæ concipit. & quidem quæ poterit in Deum imperfectio redundare ex eo, quod illum modo concipiam imperfectè sub ratione communi logicè perfectibili, & contrahibili ulterius, modo perfectius sub ratione propria logicè perficiente, & contrahente priorem?

Melius ergò posita resolutio probatur sic. Quod est sub prædicamento, & sub genere, debet posse concipi duplici conceptu communi, &

& proprio se invicem perfectè excludentibus, ut probatum est. atqui licet conceptum communem entis, substantiæ &c. formare de Deo possimus proprias Dei rationes non involuentem; non tamen possumus concipere rationem ullam Dei propriam communes illas non includentem. ergo Deus sub prædicamento, & genere non est. minor prob. quæcumque ratio Dei propria intelligatur, aut illa concipitur infinita, & illimitata secundùm essentiam, aut non. si non; Dei propriam, ac differentialem rationem nondum habes; illimitatum enim à limitato discriminari non potest per rationem à limitatione, & illimitatione in conceptu suo præscindentem. Si verò ea ratio concipitur entitativè illimitata, jam ea includit omnem rationem communem; quod enim est illimitatum secundùm esse, & perfectionem, includit omne esse, omnemque perfectionem. sed ratio communis aliquod esse, & aliqua perfectio est. ergo eam involuit ratio propria illimitata.

QUÆSTIO QUARTA.

De Prædicamentis.

CAPUT I.

De substantia.

TRipliciter stat nomen substantiæ. 1. pro cujusque rei essentia, à qua ejusdem proprietates, ac passiones profluunt. atque ità substantiam suam, & accidens habet. 2. pro re quacumque ab accidente distincta: quo pacto materia etiam, & forma substantiæ sunt. 3. pro ente primo completo, & totali, qualis est homo.

An-

Angelus &c. Hoc autem loco ſubſtantia ſumitur in tertia hac acceptione, quæ eſt omnium propriiſſima.

Hanc ſubſtantiam dividit Ariſtoteles in primam, & ſecundam. Prima ſubſtantia, eſt quæ neque in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur. ut Petrus, vel hic homo. Id ipſum à metaphyſicis ſuppoſitum appellatur, & ſi ſit naturæ rationalis, aut intellectualis, appellatur etiam perſona. 2. ſubſtantia eſt, quæ in ſubiecto non eſt, ſed de ſubiecto dicitur, ut animal, homo. Ad iſtorum intelligentiam noto, duplex diſtingui ſubiectum; aliud eſt primò intentionaliter ſubiectum, quod & dicitur ſubiectum *in quo*, & inhæſionis: aliud eſt ſubiectum 2. intentionaliter, quod & dicitur ſubiectum *de quo*, & prædicationis. primi generis ſubiectum eſt materia reſpectu formæ in phyſicis, & ſubſtantia reſpectu quantitatis, & qualitatum: ſecundi generis ſubiectum apud Logicos eſt propoſitionis ſubſtratum, de quo aliud dicitur. Hinc eſt quadruplex illa Philoſophi diviſio eorum, quæ ſunt, ut alia de ſubiecto dicantur, & in ſubiecto non ſint, ut omnes univerſales ſubſtantiæ; alia in ſubiecto ſint, & de ſubiecto non dicantur, ut ſingularia accidentis, hic ſcil. calor, hic color: alia de ſubiecto dicantur, & in ſubiecto ſint, ut univerſalia accidentis: alia demum nec in ſubiecto ſint, nec de ſubiecto dicantur, ut ſingulares, & primæ ſubſtantiæ.

Ex quibus habeo, nomen ſubſtantiæ in hoc prædicamento ſumi non tam Logicè, quam Phyſicè; adeoque in eo poni quæ ſubſtant non tam prædicationi (quo pacto ſingularia etiam accidentis ſubſtantiæ dici poſſunt] quam inhæſioni licet nomen ſubſtantiæ de iis, quæ in hoc prædicamento ſunt, ſub utraque ratione dicatur. Habeo præterea, quod ſecunda ſubſtantia eſt propriè ſubſtantia; tum quia ſubſtat accidentibus in prædicatione denominativa

ſup-

supponente physicam inhæsionem, tum quia reponitur interrogationi *quid est* factę de prima substantia; per *quid* enim non quæritur, nisi substantia. Habeo deinde, quod prima substantia est substantia magis propriè; tum quia secunda substantia substat accidentibus ratione primæ; homo enim dicitur quantus, & albus, quia Sortes & Plato quanti sunt, & albi, tum quia prima substantia substat tum physicè, tum logicè; adeoque magis participat rationem substantiæ. Habeo demum ex ipsis secundis substantiis illas esse magis substantias, quæ magis primæ appropinquant, species nimi. magis, quam genus, tum quia quod magis appropinquat primo in aliqua linea, magis participat illius lineæ rationem, tum quia quod viciniusest singulari, magis subiicitur.

Post hæc substantiæ sex proprietates à Philosopho tribuuntur. Prima est, ut sit commune omni substantiæ in subiecto non esse, primò nim. intentionaliter, & per inhæsionem: quo pacto hæc proprietas communis est etiam iis, quæ reductivè, & lateraliter ad hoc prædicamentum spectant, differentiis scilicet, & partibus physicis.

Altera est, ut omnes substantiæ prædicentur univocè, hæc est solius secundæ substantiæ proprietas, & ut sit eius proprietas in quarto modo, prædicatio univoca stare debet pro essentiali, & ut opponitur prædicationi denominativæ.

3. est. Omnis substantia significat hoc aliquid. Hæc est proprietas solius primæ substantiæ; secunda enim, ut ipse Philosophus hic habet, non tam significat hoc aliquid, quàm quale quid. Pro terminorum intelligentia noto, quod sicuti aliquantum significat quantitatem, & aliquale qualitatem, ità aliquid propriè substantiam sivè primam, sivè secundam. Rursus pronomen demonstrativum designat id, quod oculis, sensibusvè aliis subiicitur, qua-

lia

lia sunt sola singularia, ex quibus fit, ut *hoc aliquid* perindè sit, ac singularis substantia, quæ una est numero, demonstrabilis, habensque suppositi rationem. Id ipsum potest aliqualiter ad substantias universales transferri, quæ & ipse significant ad modum per se stantis, ac si verè subsisterent, sed magis propriè dicuntur eæ significare quale quid; non quia aliquid admiscent prædicationis accidentalis, sed quia singularibus comparatæ, rationem formæ obtinent: & omnis forma, communi quodam vocabulo qualitas dicitur, quod idcircò Philosophus hic asserit, ut se Platoni opponat asserenti secundas substantias esse naturas non singularibus inexistentes, sed separatas. est & alia hujus dicti ratio; quia scilicet nulla substantia potest evadere secunda, & universalis, nisi accedente intentione animæ, quæ illam in esse secundæ, & universalis reponat. Apparet ergo ex his, quod propriè sola prima substantia significet hoc aliquid, cum secundæ magis propriè significent quale quid.

4. est. Substantiæ nihil est contrarium, contrarietas enim stricta est maxima sub uno genere distantia, ratione cuius se se invicem duo expellunt ab eodem subiecto, atqui hanc esse propriam qualitatis hic suppono ex metaphysicis. Substantiæ ergò contrariæ sibi non sunt immediate, & per se, sed ad summum mediatè per qualitates, quas trahunt: ex quo uno contrariæ nonnumquam appellantur.

5. est. Substantia non suscipit magis, & minus. Suscipere enim magis, & minus aut secundum intentionem contingit, aut secundum extensionem primo modo sola qualitas est latitudinis susceptiva, quæ habet partes alias, & alias potentes eidem inhærere, at substantia secundum se totam subjecto non inest. Forma verò substantialis licet in materia recipiatur, cum tamen effectum formalem indivisibilem

lem præstet, non potest in hoc gradualitatem admittere, ut ostendam in metaphysicis. 2. modo substantia magis, & minus habet non tamen secundum se, sed secundum quantitatem: omnis enim magnitudo, & moles non ad substantiam, sed ad quantitatem pertinet.

Ultima proprietas est, ut una, & eadem sit susceptiva contrariorum: quod convenit omni, ac soli substantiæ. Sic homo idem modo calidus est, modo frigidus, modo insipiens, modo sapiens. Et quidem cum omnis, & sola substantia susceptiva sit accidentium, & inter accidentia contrarietas sit; restat ut omnis, & sola substantia suscipere contraria possint. Unum sibi Philosophus opponit, quod propositio, quæ substantia non est, sed accidens, contraria suscipit, verum scilicet, & falsum. Respondet autem 1. propositionem non suscipere contraria per mutationem sui, sed obiecti. hinc fit, ut sola substantia sit contrariorum susceptiva simpliciter, h.e. per eorum susceptionem in se, adeoque per sui mutationem. 2. propositionem non suscipere contraria, id: contrarias qualitates, sed solum contrarias denominationes, quatenus ex eo, quod res transit de existente in non existentem, ipsa subit non physicam, sed logicam denominationem veritatis, aut falsitatis.

CAPUT II.

De Quantitate.

Quantitas secundum generalissimam suam notionem usque adeò est nobis nota, ut Philosophus non à definitione, sed à divisione quantitatis exorsus sit. Fateor tamen esse in hac re difficultatem non exiguam, sive loquamur de quanto, ut stat universalissimè pro ente quovis materiali, & corporeo, sivè ut

stat

ſtat pro ente accidentali realiter à ſubſtantia diſtincto, cui ſpecialiter nomen quantitatis tribuatur. Sed utramque ego quæſtionem in metaphyſicis tractabo. nunc Philoſophi veſtigiis inſiſto; & quantitatis diviſionem, proprietateſque declaro.

Dividitur primò quantitas in continuam, & diſcretam. Continua eſt, quæ habet partes extenſas eodem communi termino copulatas: hujus quinque ſunt ſpecies, Linea, Superficies, Corpus, Tempus, Locus. Linea eſt ſola corporum longitudo à latitudine, & profunditate ſive re, ſive ratione diſtincta: de quo in phyſicis diſputabo. Superficies eſt corporis latitudo involvens longitudinem, ſed re, aut ratione ſejuncta à profunditate. Corpus eſt, cui trina dimenſio convenit, quodque extenditur in longum, latum, & profundum. De his ex profeſſo Geometria, & nos etiam, quæ ſunt noſtri inſtituti. De tempore, & loco conſtabit in phyſicis. Diſcreta quantitas eſt, cujus partes nullo communi termino copulantur, qualis eſt numerus, & oratio.

2. Dividitur quantitas in eam, cuius partes habent poſitionem, & eam, cuius partes poſitionem non habent. Poſitio partium eſt ordo, qui ſi ſit ad locum, conſtituit ſpeciale prædicamentum, & dicitur Situs: ſi verò ſit partium inter ſe, ut una ſit ſurſum, alia deorſum, una ante, alia retrò, una, dextrorſum, alia ſiniſtrorſum, facit præſentem quantitatis diviſionem. Partes ergo quantitatis habere poſitionem, eſt poſſe inter eas deſignari, quæ ſuperior ſit, quæ inferior, &c. ad quod duo requiruntur, ut ſint continuæ, ut ſint permanentes, hinc tempus, quod eſt quantitas ſucceſſiva, habet tantum ordinem partium ſecundum prius, & poſterius: numerus, qui eſt quantitas diſcreta, tantum habet diſtinctionem partium: oratio, quæ nec continua eſt, nec permanens, ſolam

lam habet successionem accidentariam sine ordine partium continuo. Aliæ quantitates dicuntur ex partibus constare positionem habentibus.

Tres porrò traduntur quantitatis proprietates. 1. est, quantitati nihil esse contrarium: in quo quantitas substantiam imitatur. Ratio est; quia vel poneretur quantitas quantitati, vel qualitati, aut prædicamenti alterius accidenti contraria, non secundum; quia contrarietas est distantia sub genere eodem; adeoque non genus generi, sed species speciei contrariatur prætereà quantitas cum sit propria entis cuiuslibet materialis, teneatque se ex parte materiæ, reliquis omnibus accidentibus substernitur vel ut materialis conditio, vel etiam ut proximum subiectum ut multi volunt, non primum; quia sub quantitate non datur in physico rigore specifica latitudo, ut in metaphysicis demonstrabo. Atqui ut specie distincta non omnia sint contraria; nulla tamen contraria non sunt specie distincta.

Dices 1. magnum videtur parvo contrarium, & multa paucis, & ista quidem ad quantitatem pertinent. est ergo in quantitate contrarietas.

Respondet Phil. dupliciter. 1. illa non esse de genere quantitatis, sed relationis, mons enim parvus dicitur, aut magnus comparatus ad alios majores, aut minores, centum homines multi sunt, si denis comparentur, pauci, si millenis, quod & patet ex ipsa magni, & parvi notione, quæ non significant absolutè quantitatem, sed excessum, aut defectum unius quantitatis ad aliam comparatæ, non ergo sunt quantitates, sed respectus in quantitate fundati. 2. respondet, illa non esse contraria, tum quia contraria sunt naturæ absolutæ, ut videre est in qualitatibus; magnum autem, & parvum ad aliud sunt, tum quia contraria non sunt simul, at vero eadem quantitas per

habitu-

habitudinem ad diversa magna simus, & parva est.

Dices 2. Locus est quantitatis species: & tamen communiter locus dicitur loco contrarius, ut locus sursum loco deorsum.

Huic objectioni nihil Aristoteles respondet, non quod approbet locorum contrarietatem, sed quia non erat hic respondendi locus, ubi loci naturam nondum declaraverat. Respondent tamen Toletus adnotando, posse quantitatem bifariam spectari, & ut puta quantitas est, & ut est maxima cum qualitate, vel alterius generis ratione sic linea considerari potest præcisè ut linea, & ut est curva, vel recta, quæ sunt lineæ qualitates. Similiter locus. itaque si ut locus est spectetur, h. e. ut ultima superficies continentis, contrarium non habet: si vero consideretur ut dicens certum situm, certamque distantiam à centro, aut polis mundi, non locus, sed ubi dicitur, patiturque contrarietatem.

Altera quantitatis proprietas est magis, & minus non suscipere. Sensus non est, quod una quantitas non possit esse altera major: constat enim palmum esse semipalmo majorem. significatur ergo, quod major; aut minor quantitas eidem inesse non potest, ut potest qualitas, quæ propterea capax est intensionis, & remissionis, cujus est capax quantitas.

3. Est proprietas quantitatis in 4. modo, ut secundum eam æquale dicatur, & inæquale. quod est dicere, quantitatem per se habere, ut æqualis sit, aut inæqealis alteri quantitati (loquor æqualitatem; & inæqualitatem propriè dictam) ut linea lineæ, & numero numerus, & tempus tempori. cætera omnia id habent à quantitate molis, à qua etiam derivantur hæc nomina ad quantitatem virtutis.

CA-

CAPUT III.

De qualitate.

QUalitatem describit Philosophus, secundum quam quidam quales esse dicuntur. Adversus hanc notionem qualitatis mirum quam multa congerunt Recentes. equidem illam, ut ut prima specie inepta videatur, explicansque per circulum, in metaphysicis optimam esse, & qualitatem in sua universalissima ratione egregie declarantem ostendam. Interim illud pono, non esse mirum, ut toties inculcavi, si primæ notiones se ipsis explicentur quemadmodum supra de ente demonstravi.

Rursus cum prædicamenta dividantur per interrogationes varias, quas de prima substantia fieri contingit, hic monet qualitatem illud esse prædicatum, quod reponitur interroganti per quale, non quidem quiditativum, sed accidentarium.

Quadrifariam porrò qualitas dividitur. Prima ejus species est habitus, & dispositio. Habitus qualitas est difficile mobilis à subjecto, ut scientia, & virtus. dispositio est qualitas facile à subjecto mobilis, ut sanitas, & ægritudo, ex quo fit, ut specie duo ista non differant; magis enim & minus speciem non variant. addit Philos. dispositionem ex longa consuetudine transire in habitum, ut febris quæ tempore longiori fit hectica.

Altera species est potentia, vel impotentia naturalis. Nota naturalium aptitudinum, quas cuique natura indidit, quatuor esse gradus 1. est naturalis quædam promptitudo ad aliquid agendum, qua possumus v. g. velocius currere, agilius saltare &c. 2. est naturalis quædam potentia fortius resistendi contrariis. sic est homo salubris, cui nihil ferme est noxium, & durum

lignum, quod fortiter resistit sectioni. 3. est activa potentia, secundum quam difficile operatur; ut hebetudo mentis, aut corporis ad aliquid exequendum. 4. est potentia, qua facile quis patitur noxia, & contraria, ut insalubritas in homine, & mollitudo in ligno. Duas priores vocat Aristoteles naturalem potentiam, duas posteriores naturalem impotentiam, & meritò, nam potentia agendi difficulter est impotentia agendi facilè, & potentia patiendi est impotentia resistendi. In his etiam discrimen est secundum magis, & minus. differunt autem à præcedentibus; istæ enim sunt à natura; illæ actuum frequentatione acquiruntur.

Tertia species est Passio, & passibilis qualitas. Passio multipliciter stat. 1. pro receptione cujuslibet formæ, sic pati dicitur aer, dum illuminatur. 2. pro receptione formæ unius cum abjectione alterius sive abjecta sit repugnans, sive consona subjecto. sic pati dicitur aqua, sive calefiat, sive refrigeretur. 3. pro receptione formæ disconvenientis cum abiectione convenientis, quo pacto pati dicitur aqua solum, dum calefit. hæc est proprissima passionis acceptio: sed omnes istæ sunt passiones ad speciale prædicamentum spectantes. 4. demum passio stat pro qualitate, quæ ex passione provenit, ut nigredo, quæ ex combustione consurgit. Et quia qualitas ex passione procedens, quandoque subita est, & citò transiens, ut vultus rubor ex verecundia; quandoque stabilis, est diuturna; Philos. priori nomen passionis tribuit, quod videtur significare rem in fieri potius, quam in facto esse: posteriori verò dat nomen passibilis, seu passivæ qualitats; quia nata est vel fieri per passionem, ut color, vel facere passionem, ut calor.

4. Species qualitatis est forma, & figura: figura est, quæ resultat in corpore ex terminatione magnitudinis. ut esse trigonum, vel tetra-

gonum. forma est figura, ipsa cum solo discrimine in modo concipiendi; nam figura exprimitur more mathematico, abstrahendo scilicet à materia, & subiecto: forma exprimitur more physico per immersionem in materia. Addunt alii formam esse figuram sensibilibus accidentibus ornatam.

Qualitatis deinde proprietates numerantur omninò tres. 1. est habere contrarium; justum enim injusto, calidum frigido contrarium. 2. est suscipere magis, & minus; quia non modo unum est magis altero justum, & calidum, sed & idem subjectum modo minus, modo magis est & justum, & calidum Atque istæ proprietates videntur competere soli, sed non omni; forma enim & figura nec habent contrarium, nec latitudinem suscipiunt. 3. est, ut secundum illam simile, & dissimile dicatur, ut album albo simile; nigro dissimile.

Hæc de tribus hisce prædicamentis breviter libasse sit satis. reliqua fusius in metaphysicis tractabo. prædicamenta autem cætera alibi alia ut se locus dabit. quæ supersunt, una sibi vindicabit Relatio, quæ juxtà morem a Reccentioribus usurpatum hic integra, & ex professo evoluetur.

CAPUT IV.

De Relatione, Quid sit, & quotuplex.

RElativa definit primò Philos. ex antiquorum sensu dicens: *Ad aliquid talia dicuntur, quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud.* sed hanc definitionem ipse mox reiicit; quia amplectitur relativa etiam secundum dici; multa enim nomina importantia rationes absolutas dicuntur sæpe ad aliud, ut cum dicimus manum

esse

esse alicujus manum, & equum alicujus esse equum. Definit ergo relativa simpliciter talia, & secundum esse, dicens: *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse ad aliquid quodammodo se habere*: in qua mutavit *dici* in *esse*. quædam enim dicuntur ad aliud, & non sunt: quædam & dicuntur, & sunt ad aliud; quæ in rigore relativa sunt.

Ex hac notione Relativi formari facile potest notio Relationis, quæ scilicet nihil est aliud, quam ordo, respectus, habitudo unius ad aliud, adeoque nexus unius cum altero, cujus hoc ipsum est esse ad aliud quodammodo referre, & ordinare, unumque cum alio nectere. Universim enim abstractum est ratio illa formalis, qua concretum est, & dicitur tale, ut albedo albi, calor calidi &c. si ergo relativa sunt, quorum esse est, ad aliud se habere, relatio erit illa ratio, quæ relativo dat, ut ad aliud se habeat. quare si relatio realis est, debet vere, & realiter, atque adeo ante opus mentis unum ad alterum ordinare, unumque cum altero connectere; ita ut, stante ipsa, unum sine altero stare non possit, imo nec intelligi secundùm illum saltem formalem effectum, quem accipit à relatione. Atque hunc esse communem conceptum, quem Doctores ferè omnes de Relatione formarunt, certius est, quam ut probatione indigeat. Sit unus omnium instar D.Th. notionem hanc ut indubitatam usurpans q.7. de potentia ar.9. & 10. imo etiam 2. cont. Gentes cap. 12. assumit omnem relationem dependentiam quandam esse, h. e. connexionem; quia, inquit; *Quod hoc ipsum quod est, ad aliud dicitur, quodammodo ab ipso dependet, cum nec esse, nec intelligi sine eo possit*. Rursus ea est in Summulis de Relativis regula, ut ab uno teneat ad aliud consequentia in propositionibus de secundo adjacente, ut, *Pater est, ergo Filius est*, id autem connexionem importat, sine qua consequentia non est.

Jam vero relationis divisio multiplex à Doctoribus traditur. 1. est in relationem realem, & relationem rationis, secunda est in relationem secundum esse, & relationem secundum dici. Duæ istæ divisiones à quibusdam confunduntur in unam, quasi eadem sit relatio secundùm esse, ac relatio realis, eadem relatio secundum dici, ac relatio rationis. sed perperam omninò, & contrà sensum Aristotelis, veterumque primæ notæ Peripateticorum. Equidem ex Alensi super 5. met. tex. 20. §. *Ulterius quæreret quis*. & ex D. Th. loc. cit. art. 10. ad 11. & alibi, sic eas distinguo. Realis relatio est ordo independens ab opere mentis, ut est relatio causæ ad effectum. Relatio rationis est ordo, quo plura dicuntur ad invicem formaliter per opus mentis & hujus ponit D. Thomas 4. modos. 1. est, cum relatio nihil habet in rei natura, super quod fundetur, ut cum Deus ad creaturam refertur. 2. est, cum relationis extrema realiter inter se distincta non sunt, talis est relatio strictæ identitatis, ad quam reducitur relatio generis ad species &c. 3. est cum ens refertur ad non ens, ut cum refertur præsens per habitudinem prioris ad futurum. 4. est, dum ponitur relatio ipsius relationis.

At relatio seù potius relativa secundum esse ea dicuntur, quæ & respectum habent, & hic per nomen, quo significantur, expresè importatur; ita ut nomen per se primò sit impositum ad denotandum respectum. Relativa vero secundum dici appellantur, quæ licet respectum habeant, (aliter relativa non essent) à nomine tamen respectus ille non importatur, aut saltem nomen non est primò impositum ad significandum respectum, sed rationem aliam absolutam; Ex quibus fusè ostendit Alensis dari relationem realem tum secundum esse, tum secundum dici, & similiter relationem rationis. nam scientia involuit relationem realem ad scibile,

bile, & est tamen, inquit relatio secundùm dici, quia scientiæ nomen non est impositum ex natura respectus, sed qualitatis; similiter manus re ipsa includit respectum ad illud, cujus est; sed quia hæc habitudo per nomen manus non significatur, manus relativa est secundum dici. Rursus est aliquod reale relativum secundum esse, ut Pater, Præter hæc est relatio aliqua rationis secundùm esse, ut dextrum in columna, quod involuit respectum rationis, importatum tamen per nomen dextri: & est relatio rationis secundùm dici, ut scientia in Deo, quæ ad differentiam scientiæ creatæ à suo scibili mensuratæ, ac dependentis, non habet respectum nisi rationis ad objectum suum, & hunc ipsum nomen scientiæ principaliter non importat.

Est & alia divisio relationis in mutuam, & non mutuam. Relatio similitudinis mutua est, quia qua ratione pagina assimilatur parieti secundum albedinem, paries assimilatur & paginæ. at scientia refertur ad scibile non mutuò; ipsa enim ad scibile est, scibile non ad ipsam mutua subdividitur in relationem æquiparantiæ, cum in utroque correlativo ejusdem nominis ac rationis est relatio, qualis est similitudo, & æqualitatis: & relationem disquiparantiæ, cum correlativorum denominatio est diversa, qualis est in Patre, & Filio. Relativa æquiparantiæ vocat Ammonius relativa univocationis, disquiparantiæ æquivocationis.

CAPUT V.

Quo pacto Relatio prædicamentalis à transcendentali secernitur, & an sit realis.

HÆc est celeberrima Relationis divisio; quam tamen ut explicent (& per se, cæte-

roqui explicatu facillima ex ipsis terminis est dissentiunt maximè Doctores. Prima est Cajetani, Suarii; & aliorum sententia, qui prædicamentalem relationem dicunt, quæ est purus purusque respectus, nihil scilicet circà terminum exercens, ut similitudo transcendentalem dicunt, quæ est respectus aliquid exercens circa terminum præter hoc, quod est illum respicere, ut actio. Sed reiicitur 1. quia agere, & quod superaddit actio conceptui respiciendi, ut sic, etiam ipsum est respicere. quod si taliter respicere additum communi conceptui relationis eam distrahit à ratione prædicamentalis, etiam assimilare, quod est taliter respicere, impediet, quo minus similitudo sit prædicamentalis relatio. 2. hoc pacto non explicatur discrimen inter similitudinem, & unionem, quam secundam isti authores relationibus transcendentalibus annumerant. quid enim unio quà talis ponit in suis extremis? dicent, ea non solum referre, sed unire. sed hoc perinde est, ac dicere, similitudinem non solum referre, sed etiam ordinare, ac connectere, ac propterea prædicamentalem relationem non esse, cum tamen ex genere relatio omnis sit ordo, & nexus ut dictum est. 3. prædicamenta non distinguuntur invicem per realem exclusionem, sed per formalem unius ab altero, ut suprà late ostendi. Relationem ergo esse puram relationem vel facit sensum, quod in suo conceptu non sit nisi relatio: atque hoc est commune omni relationi. vel, quod re ipsa non sit nisi relatio, & hoc est constituere unum prædicamentum per exclusionem aliorum, quasi unum idemque non possit esse in multiplici prædicamento; 4. nulla entitas ità est respectiva, ut non aliquem involuat conceptum absolutum; involuit enim ad minimum entis conceptum, qui sane absolutissimus est: igitur non rectè prædicamentalis relatio in puro respectu constituitur. quod si pu-

si purum respectum in sola ratione differentiali reponere tentas, reiicieris ex eo, quod cum ratio inferior nulla sit, quæ ens non involuat, nullus erit respectus, qui non involuat rationem absolutam. 5. hinc consequens erit, ut relatio ab actione sola negatione secernatur: quod hic suppono impossibile; negatio enim essentialis aut est quid positivum, aut in positivo fundatur; cum per id ipsum, per quod res est, quod est, non sit, quod non est. aut ergo relatio ab actione distinguetur per rationem communem. atque ità hæc non erit ratio communis, sed propria: aut habebit aliam rationem distinguentem; atque ità pura relatio non erit. 6. demum recedit hæc sententia ab Aristotele, qui res aliorum prædicamentorum in prædicamento ad aliquid reponit, ut infrà ostendam. non ergo prædicamentalis relatio est pura relatio.

. Altera sententia est Scoti distinguentis prædicamentalem à transcendentali relatione, quod illa intrinsecus, hæc extrinsecus adveniat: dicitur intrinsecus advenire relatio, quæ positis extremis necessariò consurgit, ut consurgit similitudo, positis albis. dicitur advenire extrinsecus, quæ positis extremis non necessariò consurgit, quatenus potest à Deo saltem impediri. talis est actio, quæ potest suspendi, & non esse, existentibus adhuc causa, & effectu, sed reiicitur 1. quià gratis assumit, similitudinem (si speciale est genus entis à reliquis prædicamentis redistinctum) non posse à Deo destrui, manentibus albis. 2. distinguit intrinseca per extrinseca non apta ad distinguendum. non posse enim ab his relationem separari, posse ab illis, nascitur, aut potest nasci, quia ab his necessariò exigitur, non ab illis. hinc autem non infertur intrinseca distinctio relationum, sed principiorum exigentium à non exigentibus quemadmodum non rectè distinguitur calor à calore quia igni est necessarius, aquæ adven-

titius : sed solum ex hoc distinguitur ignis ab aqua.

Tertia sententia est eorum, qui putant prædicamentalem à transcendentali relatione distingui; quod sit ad terminum existentem, cum transcendentalis sit ad non existentem, qualis est relatio in causa ad effectum possibilem. sed reiicitur; quia habitudo indigentiæ, quam habet creatura respectu Dei, est transcendentalis, cum sit imbibita in ipsius entitate; & petit tamen essentialiter terminum existentem neque dicas, ejusm. indigentiam petere quidem terminum existentem, non tamen quà transcendentalis habitudo est, nam contrà; quia non potest differentiæ competere prædicatum generi oppositum, ut est evidens, atqui per se relatio transcendentalis constituitur in sua ratione per non petere terminum existentem: ergo non potest illi addi differentia exigitiva termini existentis. Quod si dicas, relationem transcendentem præcisivè se habere petere, ac non petere termini existentiam; Contra est; nullum enim genus potest præcisivè se habere ad rationem propriam oppositi generis, ut non potest animal constitui per præcisionem à sensitivo, & insensitivo aliter illud non esset genus oppositum, sed differentia. atqui esse ad terminum existentem est ratio constitutiva relationis prædicamentalis. ergo non potest relatio transcendentalis constitui in sua formalitate per præcisionem ab exigentia termini existentis.

Quarta est eorum, qui prædicamentalem vocant omnem relationem secundum esse, transcendentalem omnem relationem secundum dici, imò & omnes terminos, qui relationem nullam important, transcendentaliter relativos appellant: quare album quamvis nullius sit album, adhuc dicunt esse transcendentaliter relativum, sed isti vocibus pro arbitrio abu-

tun-

tantur; ut enim termini absoluti transcendentales quandoque sint, quod in omnibus prædicamentis reperiantur; relativi tamen non sunt; cum tamen transcendentaliter relativum sit re ipsa relativum in communi sententia ; nec transcendentia est additum distrahens relationem.

Accedit, quod exemplum allatum de albo est omninò extrà rem, nam neque relativum est, neque transcendens, sed neque relativa secundùm dici aptè transcendentalia appellantur, cum à Philos. in re, prædicamentalia numerētur.

Equidem puto harum relationum distinctionem assignare difficillimum apud hos authores idcircò esse, quià distinguere secundùm rem conantur, quæ distingui nisi ratione non possunt. Dico igitur transcendentalem relationem esse relationem essentialem, adeoque cum re, quæ refertur, identificatam omninò. quia enim ens, & esse prædicatum est transcendens, transcendentaliter referri dicuntur, quæ referuntur per suum ipsum esse. At prædicamentalis relatio est relatio accidentalis, adeoque est aliquid extrà essentiam rei, quæ refertur, & illi adveniens exemplum primæ relationis habes in indigentia creaturæ relatè ad Deum, quæ imbibitur in ipso esse creaturæ, & in relatione cognitionis ad obiectum, quæ est ipsum esse cognitionis. exemplum secundæ habes in relatione Paternitatis; Pater enim non refertur ad Filium per suum esse, nec essentialiter, sed accidentaliter, quodcumque demum sit illud accidens, & illa forma, per quam refertur.

Hinc infero 1. eandem entitatem relationis esse & transcendentalem, & prædicamentalem secundùm aliam, & aliam considerationem; nam actio per se refertur ad terminum per ipsam productum, cum quo essentialiter connectitur, adeoque est relatio sui ad terminum transcendentalis. eadem refert agens ad effectum acci-

dentaliter, atque ità est relatio prædicamentalis. idem censeo dicendum de unione, de cognitione, de amore, & sim.

Et quidem, quod istæ verissimæ sint relationes prædicamentales, probo 1. ex Philos. in cap. *Ad aliquid*, ubi inter relationes prædicamentales numerat habitum, dispositionem, scientiam, sensum, & positionem. 2. arguo à priori. realis prædicamentalis relatio est ordo, & nexus realis accidentalis medians inter aliqua extrema. atqui actio, unio, cognitio sunt ejusm. nexus; & ordines. ergo sunt reales prædicamentales relationes. minor est certà; sunt enim, ut suppono, formæ mediæ accidentales seù physicè, seù logicè. rursus ordinant agens ad effectum, materiam ad formam, potentiam ad objectum. quare si subiecta sumantur, ut ab ipsis denominatà, ad aliud omninò se habent. major est notio prædicamentalis relationis. Confirm. nemo dubitat, quin, si dentur similitudo, & æqualitas, ut formæ mediæ à similibus æqualibusque distinctæ, illæ sint verissimæ prædicamentales relationes. atqui nihil haberet similitudo, & æqualitas, quod de facto non habeat actio, & unio; ut enim illæ essentialiter connexæ cum suis terminis, accidentaliter cum iis sua fundamenta connecterent; ità actio, & unio. ergò actio etiam, & unio est prædicamentalis relatio. Huic argumento nihil potest responderi, quod abundè non sit in superioribus rejectum.

Conf. iterum; quia si quid specialius obstat, maximè est distinctio prædicamentorum; cum enim actio constituat speciale prædicamentum è relatione distinctum & cognitio spectet ad qualitatem, quæ est prædicamentum absolutum, non videntur rectè in prædicamento ad aliquid reponi. Sed hanc difficultatem esse nullam patet ex dictis cap. 4. superioris proximæ quæstionis, ubi ostendi prædicamenta universim, & ex genere non re, sed ratione distingui.

gui, quare satis hic erit proprias rationes assignare, ex quibus ista pertinent ad alia prædicamenta. De cognitione res est facilis: ut enim ea qualificat subiectum, atque illud facit accidentaliter ab aliis differre, qualitas est: ut vero subiectum ordinat ad extrinsecum obiectum, relatio est. De actione sic phylosophatur Aur. in 1. dist. 27. ar. 3. Quælibet res potest considerari vel per modum quietis, & in facto esse, atque ita significatur per nomen; vel per modum egressus, & in fieri; atque ità significatur per verbum, aut participium, quæ est doctrina Comment. 5. phys. ubi ait, quod propter famositatem istius divisionis, scil. quod omnes intentiones dividuntur in habitus quiescentes, & mobiles, convenerunt omnes gentes in hoc, quod diviserunt vocem in nomen, & verbum. Quod ergo est in prædicamento actionis, modus quidam est, cujus esse est totum in egressu, & fieri, cum sit ipse egressus; & ipsum fieri, quod dicitur actio, & passio per habitudinem ad diversa. Porro hic ipse modus conceptibilis est per modum quietis, & stabilis connexionis inter causam, & effectum; atque ità explicatur per nomen, & est relatio. & est conceptibilis per modum fluxus, & egressus causati à causante; atque ità explicatur per verbum, & est speciale prædicamentum duplex, quod propterea à Philos. non per nomina, sed per verba exponitur, non per actionem, & passionem, sed per agere, & pati.

Ex hisdemum infertur 2. existentia realis prædicamentalis relationis, ea enim est nexus, & ordo realis accidentalis, nullo intellectu cogitante, inter aliqua medians. sed datur talis nexus, & ordo; qualem ostendimus actionem, unionem, cognitionem. ergo datur vera, realis, prædicamentalis relatio.

CAPUT VI.

An relatio prædicamentalis sit proprium genus entis ab entibus aliorum prædicamentorum secundùm rem distinctum.

Consequens jam est, ut inquiram, utrum præter formas reales relativas huic, alijsque prædicamentis communes, quales ostendi actionem, cognitionem &c. sint formæ hujus prædicamenti ità propriæ, ut ad alia non pertineant; qualem Thomistæ, ac Scotistæ communiter similitudinem, paternitatem, aliasque hujusm. constituunt.

§. I.

Eligitur, & probatur resolutio negativa.

Huic quæstioni negativè respondeo. Sic enim arguo, Triplex relationum prædicamentalium genus 5. met. Philosophus tradit. aliæ fundantur in unitate, & numero, identitas nim. in unitate substantiæ, æqualitas in unitate quantitatis, similitudo in unitate qualitatis; & his oppositæ distinctio, seù diversitas, inæqualitas, & dissimilitudo, quæ in numero, seù alietate proportionali fundantur; Aliæ sequuntur potentias activam, & passivam, earumve actus, sic calefactivum dicitur ad calefactibile, & Pater ad Filium. Aliæ demum fundantur in mensura non secundum quantitatem, sed secundum esse, & veritatem, sic refertur scientia ad scibile. Atqui nulla ex his relatio est speciale genus entis. ergo.

Prob. 1. pars minoris 1. Illud (solum habetur à p. r. in simili) idem est in eodem, & æquali)

æquali) quod tenens se ex parte obiecti verificat propositionem affirmantem, hoc esse sicut illud. sed ad hoc nulla res est opus, quæ sit formalis in re distincta similitudo. ergo nulla est in re talis entitas specialis. major constat; quodcumque enim aliud omninò abundat. min. prob. quid enim plus requiras ad verificandum hoc esse sicut illud, quam hoc esse album, & illud album, hoc calidum, & illud calidum?

2. Ita est simile album albo, & dissimile nigro, ut denarius numerus est æqualis denario, & major quinario. sed in numero æqualitas, & inæqualitas non est forma realis superaddita. ergo nec in albo est talis forma similitudo, & dissimilitudo. min. prob. si enim ea sit talis forma, aut est una & indivisibilis, aut multiplex; si una: ergo eadem forma recipitur intrinsecè in decem subiectis realiter distinctis, separatis, ac dissitis. si multiplex pro multiplicitate unitatum denarium componentium; ergo quælibet unitas habet in se relationem æqualitatis ad denarium, & majoritatis ad quinarium, & per consequens quælibet unitas est æqualis denario, & major quinario.

3. Tenetur opposita sententia admittere in quolibet quanto infinitas actu relationes; quandoquidem palmus comparatur secundùm excessum cum infinitis partibus proportionalibus minoribus se. In quo & redit absurdum superius; quià cum quælibet ex his relationibus sit forma palmi, eique commensurata, & coextensa, habeatque partes ejusdem rationis, quælibet pars palmi excedet quamlibet, imo & se ipsam, ut constabit consideranti.

4. Tenetur eadem concedere, ad quamcumque novam entis productionem, ejusve mutationem aut secundum qualitatem, aut secundùm locum, innumerabiles in toto universo & ad quamcumque distantiam produci de novo entitates istiusm. relativas. sic homine apud Indos

aut

aut genito, aut quomodolibet variato, resultent in nobis oportet novæ relationes identitatis, distinctionis, distantiæ, similitudinis, aut dissimilitudinis, æqualitatis, aut inæqualitatis &c. ut autem assignetur causa ejusm. entitatum productiva, non parum laboratur. sed is certè labor dignus non est, qui subeatur, nisi priùs probata efficaciter talium relationum necessitate, quæ tamen nec suadetur probabiliter, ut jam ostendam.

Prob. 2. pars ejusdem minoris de relationibus secundi generis, & prius de relatione fundata in potentia; calefactivum enim non dicitur ad calefactibile, nec disgregativum ad disgregabile, nisi per virtutem ipsam accidentalem, qua redditur potens calefacere passum, & disgregare visum, h. e. nisi per calorem, & albedinem, quandoquidem relatio alia, si superadditur, ut non est per se virtus, & potentia calefaciendi, & disgregandi. nec proinde constituit subiectum suum taliter potens ità nec potens secundum eam rationem illud ad passum, & oculum ordinare accidentaliter, adeoque prædicamentaliter.

Id ipsum probo de relationibus fundatis in actione, & passione. aut enim loquimur de relatione, qua causa ordinatur ad effectum, dum est actio præsens: & jam hæc ipsa actio est sufficientissimus prædicamentalis formalis nexus inter ipsa, ut probatum est cap. superiori. Confirm. paritate desumpta ex Divinis, unde conantur adversarii relationes istas hujus prædicamenti proprias probare. Profectò non datur in Patre Æterno Paternitas ab activa generatione distincta, sed Pater est Pater formalissimè per ipsum generare. ergo neque in creatis datur Paternitas distincta à generatione. Aut loquimur de relativa denominatione, qua causa dicitur ad effectum etiam generatione transacta, ut cum Pater dicitur Filii Pater, dum

actu non generat; & neque hæc importat formam specialem distinctam. sic enim Pater, & Filius sunt reverà denominationes non de præsenti, sed de præterito; nam Pater est, qui genuit, Filius, qui genitus est, ut ait Philos. 5. met.cap.15. *Pater Filii Pater dicitur; hoc enim fecit, at illud passum est*. At universim absurdum, & inopinabile est velle formam in subiecto actualem ad salvandam denominationem de præterito; ut est sine dubio absurdum ponere in me formam realem ad quemcumque locum, in quo fui, ad salvandum, quod ibi fui. Profecto ut denominatio de præsenti, qua significatur me aliquid actu habere, non requirit, ut aliquid habuerim, aut habiturus sim, & denominatio de futuro, qua significatur me aliquid habiturum, non requirit, ut aliquid habuerim, aut habeam: ità denominatio de præterito, qua Patrem significatur Filium genuisse, non requirit, ut formam actu habeat, aut habiturus sit, sed solùm ut habuerit.

Prob. 3. pars ejus minoris de relationibus tertii generis, in quo collocatur scientia, & scibile; aut enim hic superadditur specialis relatio, ut referat intellectum cognoscentem ad obiectum cognitum; aut superadditur, ut referat cognitionem ipsam ad obiectum. Primum non potest dici, quià non alia relatione refertur intellectus ad obiectum, nisi relatione cognoscentis ad cognitum. ergo per id formaliter refertur, per quod formaliter est cognoscens. at per puram illam relationem cognoscens formaliter non constituitur. Nec potest dici alterum; aut enim ea ponitur, ut cognitio ordinetur ad cognitum relatione naturalis imaginis ad suum imaginatum, aut relatione conformitatis, quæ accidit propositioni præsertim contingenti. non primum; quod enim est tale per se & essentialiter, non potest fieri tale per aliud. atqui cognitio per se ipsa est cognitio, & obiecti

imago . ergo non potest ad hoc conferre accidens superadditum . non secundum ; tum quia repugnat Philosopho c. de quantitate , ubi ait propositionem esse mobilem de veritate in falsitatem per mutationem non sui, sed obiecti. non ergo sic mutatur, ut accipiat, aut deperdat, aliam, & aliam intrinsecam formam relationis, qua sine dubio mutaretur non solum subiectum, sed ipsa. tum quia conformitas ista est species quædam similitudinis, aut saltem analogicè ad similitudinem dicitur : quæcumque ergo superius adducta probant similitudinis distinctæ superfluitatem, probant hic superfluitatem distinctæ conformitatis.

§. II.

Diluuntur obiecta.

OBiic. 1. Relatio, quæ sit speciale genus entis, non dicit in suo conceptu pugnantia . ergo datur de facto. antec. prob neque enim pugnat quà realis relatio, cum nos etiam realem relationem concedamus; neque pugnat quà talis relatio. similitudo nim. aut æqualitas; quæ enim in his rationibus cõtradictio? prob. jam consequ. in effectibus necessariis tenet consequentia ab existentia potentiæ proximæ productivæ ad existentiam effectuum, v. g. ab existentia ignis approximati materiæ dispositæ ad existentiam ignis in ea materia producti. sed datur à p. r. quidquid requiritur ad productionem ejusm. relationis, si ea possibilis est. ergo datur ejusm. relatio.

Hoc argumentum est inventum eorum, qui causæ suæ probandæ desperantes, probandi onus in nos reiiciunt: & cum rei sint, actores esse volunt. sed id certe, quod in me est, nunquã obtinebunt. Duplicem ergo distingue possibilitatem, alteram merè metaphysicam, quæ consistit

ftit in sola prædicatorum non repugnantia, & quam unam relationi eiusm. appingere contendit argumentum: alteram physicam, quæ illi superaddit necessitatem; in natura enim nihil est, nisi exigitum, & necessarium. Jam verò ut argumentum speciem probabilitatis haberet, præter non repugnantiam prædicatorum relationis illius, deberet ulterius ostendere ejusdem exigentiam in natura, quæ haberetur in potentia ejusdem productiva non quâcumq; sed naturali, quousque ergo hanc non probat, transmittam eam esse possibilem solum secundum superabundantiam, & potentiam obedientialem, atque ex Dei arbitrio, imperioque extra ordinem: ex quo certe conficere non licet ejus relationis existentiam. Rursus potest facilè negari ejus possibilitas etiam metaphysica; similitudo enim ponitur ad præstandum hunc effectum, ut album v. g. sit sicut album, ad hoc autem non utcumque sed essentialiter est superflua, cum hoc ipsum habeant in priori ad omnem distinctam formam duo ipsa alba per hoc ipsum, quod alba ambo sint.

Obiic. 2. Dantur in Divinis relationes reales indistinctæ, ergò dantur in creatis distinctæ, conf. prob. ideo Pater Æternus ad Verbum refertur, quia est Verbi principium, atqui etiam in creatis Pater est principium Filii, ergò & realiter refertur ad filium. Rursus quod in Deo ratione summæ perfectionis est indistinctum, distinctum est in creatis, ut videre est in cognitione, amore, & sim. ergo idem dicendum de Relationibus.

Argumentum non me petit, qui propterea illo usus superius sum ad probandum, esse in creatis relationem etiam distinctam inter causam, & effectum, sed non aliam ab actione ipsa productiva, ut in Divinis non est alia in Patre paternitas, & generatio.

Obiic. 3. coexistentia duorum est forma rea-

lis

lis medians inter illa, sed ea non pertinet, nisi ad hoc prædicamentum: ergo datur realis relatio hujus prædicamenti propria, major prob. possunt duo esse, & non simul, ut si unum existat hodie, & aliud cras: ergo esse simul aliquid aliud involvit præter nudas eorum entitates; hoc aliud non est, nisi simultas, & coexistentia.

Nego majorem: duo enim coexistunt per suas durationes, ut assimilantur per duas albedines quatenus iis colligantur eidem tempori, adeoque & inter se, sic data existentia mea cum mea duratione hodierna, & existentia tua cum tua item duratione hodierna, jam satis nos habemus, per quod dicamur coexistere, præcisa quacumque forma media relativa; durationes enim, ut & ubicationes, relativæ formæ non sunt, sed absolutæ, ut in physicis ostendam.

Obiic. 4. ut unum intentionaliter referatur ad aliud, non sufficiunt duæ cognitiones absolutæ Petri v. g. & Pauli seorsim, sed opus est tertia comparativa indivisibiliter utrumque attingente, ergo ut duo entia invicem realiter referantur, non sunt satis entitates absolutæ, sed est opus insuper una forma indivisibiliter utramq; connectens.

Obiectio nihil me urget, qui in relativis realibus admitto realem formam habitudinis inter extrema mediantem, sed fortasse neque urget alios, ut patet in instantia, possum concipere Petrum, & Paulum seorsim, quin eos concipiam ut constituentes binarium, ad quod requiritur tertia cognitio indivisibiliter attingens utrumq; & in summam redigens. ergo similiter ut Petrus, & Paulus sint à p. r. duo, requiritur tertium quid &c.

Obiic. 5. præter actionem datur in Patre relatio realis ad Filium, quæ certè propria est, si est, hujus prædicamenti, prob. assumptum; quia Pater dicitur Pater etiam, dum non est generans. ergo transacta actione, manet Pater-

nitas,

nitas, ergo paternitas non est actio, sed alia distincta relatio.

Nego assumptum, ad prob. dist. consequens manet paternitas physicè, nego consequentiam; logice, & denominative, conc. cons. Ita ergo ex præterita generatione Pater nunc dicitur Pater, ut ex præterito tempore, in quo fuit, domus nunc dicitur antiqua, & ex præterita electione nunc dicitur Rex: aliaque hujusmodi sexcenta.

Instabis, hinc fieri, ut Pater sit; & dicatur Pater, etiam extincto filio; quià semper est verum, quod illum genuit. hoc autem est contra communem sensum.

Resp. hoc pertinere ad purum vocabulum, & quidem dicimus quandoque Titium filium Caii etiam extincti: negamus quandoque Cajum Patrem Titii jam defuncti. Præterea nemo est, qui Patrem aliquem dicat Filii nondum nati, cum tamen sola actio generativa sit juxtà adversarios, quæ relationem paternitatis fundat; adeoque Pater debet dici Pater filii etiam concepti: quod tamen respuit communis usus. Vides, in his vocabulis nihil fidendum pro re præsenti.

Obiic. 6. Relatio prædicamentalis est purus ordo, cuius totum esse est ad aliud se habere, sed tales non sunt formæ ad alia prædicamenta spectantes, ergo præter illas danda est forma specialis hujus prædicamenti, nisi velimus respuere notionem relationis ab Aristotele traditam.

Jam superius monui, & probavi relationem prædicamentalem non posse in puro respectu constitui ità, ur conceptum absolutum nullum importet, dum ergo dicitur relatio esse purus ordo, non est id accipiendum in sensu reali, sed formali, h. e. ut in conceptu relationis qua talis non sit nisi ordo: hoc autem est verum etiam de formis aliorum prædicamentorum, &

qui-

quidem non aliam fuisse Aristotelis de hoc mentem, constat ex dictis.

CAPUT VII.

Num relationes primi generis sint completè reales:

§. I.

Negativa partis argumenta.

AUreolus in 1. d. 30. latissimè, & pro more acutè atque ingeniosè contendit nullam prorsus relationem complete realem esse, sed expectare complementum ab anima considerante, & unum ad aliud ordinante. Hoc etiam probabile dixit Gabriel ibidem q. 1. ar. 3. ubi juxta mentem Occami censuit, relationem *Importare intentionem, sive conceptum mentis, quo intellectus formaliter refert rem unam ad aliam*. Equidem hanc sententiam in tanta universalitate probare nunquam potui; existentiam enim realis prædicamentalis relationis satis efficaciter mihi videor probasse superius cap. 5. censui tamen olim relationes unas primi generis completè reales non esse, quare hac ex parte accesseram Aureolo. Nunc verò in legum domesticarum, atque etiam veritatis obsequium has quoque relationes reales assero; quod ut præstem, afferenda hic sunt, quæ tunc me moverant, & deindè solvenda.

Primo igitur arguebam ex dictis Relatio realis est realis duorum nexus, sed negata in his denominationibus relativis forma reali media (qualem negandam esse constat ex cap. præcedenti) nullus est realis nexus, ergo nulla est realis relatio, min. prob. realis nexus est realis ratio inseparabilitatis unius ab alio at si

nihil

nihil sit similitudine præter duo alba, nulla est ratio, cur album A sit inseparabile ab albo B sed solum est ratio, cur duo alba non possint separari à se ipsis: quæ est non connexio, sed identitas. Ergo. Conf. 1. omnis forma connectens unum cum alio est antecedens probans, posito uno, existentiam alterius, ergo non potest consistere præcisè in complexo duorum; secus enim ad probandum, unum non posse existere sine altero, deberes in antecedenti assumere existentiam utriusque: quod non esset probare, sed petere principium. Conf. 2. Lis est inter Theologos, utrum Dei ad creaturas possibiles sit relatio transcendentalis, seù essentialis connexio., in qua re illud apud omnes est certum; quod si possibilia ita se habent, ut sivè ea sint, sivè non sint possibilia; maneat adhuc cum omni sua perfectione Deus, nulla prorsus est Dei cum possibilibus connexio: essetque vocum abusus; si quis vellet, Deum propterea cum possibilibus connecti, quia iis impossibilitatis, non maneret in ratione potentis ea producere, in qua ratione per ipsa possibilia constitueretur; quia nim. hoc non esset Deum cum possibilibus, sed possibilia secum ipsis connectere. Idem dic in re præsenti; ut enim album qua simile dicitur connecti contingenter cum alio albo per similitudinem reduplicato, quia aliud album contingens est: ita Deus qua potens deberet dici connexus necessariò cum possibilibus, quæ scil. necessaria sunt.

Arguebam 2. duo alba, præcisa omni forma reali media, nihil aliud in re habent, nisi realem mutuam comparabilitatem, sivè ut sint conceptibilia conceptu unum ad alterum referente. Atqui hoc non satis esse ad realem relationem, Prob. 1. ex D. Th. de pot. q. 7. ar. 11. o. ubi, *Quandoque*, ait, *intellectus accipit aliqua duo, ut ordinabilia ad invicem, inter quæ non est ordo medius*, tum concludit, talem relationem ra-

tionis

tionis esse tantum. Probatur 2. quia in ista comparabilitate non est respectus alborum inter se, sed ad intellectum: quæ reverà est relatio juxtà Philos. 5. met. c. 15. non alborum ad intellectum, sed intellectus ad alba; & sanè non prædicamentalis, sed transcendentalis. Prob. 3. si comparabilitas ista satis esset ad realem relationem, multa essent realia relativa, quæ non sunt, nec dicuntur à Philosophis, ac Theologis talia. Sic Deus est comparabilis ad creaturas, præsens ad futurum, ens ad chimæram, homo ad columnam secundum habitudinem dexteri, & sinistri, scibile ad scientiam, & tamen D. Thomas, Scotus, Alensis, & Theologi veteres passim negant in his relationem realem, quam & expresse negat Philosophus in obiecto ad intellectum.

Arguebam 3. Nihil habet esse reale, cujus fundamentum est præcisè aliquid rationis, sed habitudo primi generis fundatur præcisè in aliquo rationis, ergo non est realis, min. prob. fundatur enim in unitate, & numero, atqui unitas non est inter distinctos ulla, nisi per rationem, numerum verò formaliter aliquid rationis involvere probabitur latè in metaphysicis; estque aperta Philosophi sententia quarto phys. tex. 131.

Arguebam 1. per illud idem alba sunt similia formaliter, per quod qualitates sunt unum; hoc enim est esse simile, esse unum in qualitate, seu habere qualitatem unam, sed unitas, seu identitas qualitatum specifica, quomodocumque sumatur, est merà relatio relationis, ergo, min. prob. identitas numerica est relatio rationis, ergo etiam specifica antec. constat ex D. Th. 1. p. q. 42. ar. 1. ad 4. ubi, *manifestum est*, inquit, *quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali*, quod & assumitur ab Alensi 5. met. t. 20. à Scoto in 1. d. 31. q. 21. Richardo in 1. d. 30. ar. 1. q. 4. aliisque priscis Theologis

logis passim: nec dissentiunt, nisi Nominales, qui ex hoc nihil aliud consequuntur, nisi convicium usurpatæ iurisdictionis cudendi ad arbitrium philosophica vocabula. Consequentia autem prob. quia omnis identitas requirit universim unitatem, & multiplicitatem aliquam: unitatem quidem, quia nulla sine unitate identitas; multiplicitatem verò, quia nulla sine multiplicitate relatio. Ut ergo identitas numerica, quia multiplicitatem habet rationis, est relatio rationis; ità identitas specifica est rationis relatio, quia unitatem à ratione mutuatur; utrobique enim habetur fundamentum relationis ex parte intentionale, hæc quidem paucis retuli, quæ alias fusè prosecutus sum.

§. II.

Pars affirmativa ut probabilior eligitur.

His non obstantibus, eligo partem affirmantem; quamquam adduci non possum, ut probabilitatem neganti denegem, præsertim quia in quæstione de vocabulo; qualis est præsens, magnum est illi patrocinium ab authoritate veterum, apud quos perindè erat negare relationem mediam distinctam, ac negare relationem realem. Testis est Aureolus, qui quidem antiquitatis sine dubio peritissimus, improbaturus omnem relationem realem, contra formam mediam semper arguit.

Mihi vero, *ut similis*, & *æqualis* denominationes astruam adæquatè reales; satis est communis sensus saltem Nominalium, & Recentiorum; apud quos similia qua talia non sunt, nisi duo ipsa alba, calida, &c. quare vox *simile*, *æquale* &c. adhibetur iam ab his ad complexum absolutorum significandum; quidquid sit, utrum supponat pro uno tantum, & quia

sumus

ſumus in vocum uſurpatione, poſſumus, pro libito ad quaslibet partes alicujus authoritatis accedere: tanto magis, quod hic ipſe videtur vulgi ſenſus, ut latè proſequitur Arriaga adverſus Bonam ſpem; licet multa habeat non omninò ſolida, Equidem huc ſine invidia majorum detorſerim, quæ Hor. in Poet. *Quid autem Cæcilio, Plautoque dabit Romanus ademptum Virgilio, Varioque?*

Accedit, quod ſalvatur in his conceptus integer relationis realis in ſuperioribus ſtabilitus: qui quidem in eo habetur, ut detur in relativis forma accidentalis media connectens, qua ſcil. ſtante, unum ſine altero eſſe non poſſit. atqui inter ſimilia, & æqualia datur ejuſm. forma complexum ſcil. duarum qualitatum, & quantitatum, quo ſtante, & ſubjectis proportionatis conjuncto, unum ſine altero ſubjectum eſſe non poteſt, ut patet. Quod autem duæ albedines, vel duæ quantitates duæ ſint, & non una forma, & altera intrinſecè, altera extrinſecè afficiat, & denominet quodlibet ex relativis, impertinens eſt ad denominationem realem, quæ & conſiſtit cum multiplici forma, ut videre eſt in qualitatis intenſione, & cum forma extrinſecè denominare, ut eſt in denominatione cogniti, aliiſque extrinſecis, quæ juxtà omnes ſunt denominationes completè reales.

Per quæ patet reſponſio ad primum in contrarium.

Ad 1. conf. dico, in antecedenti non ſumi exiſtentiam utriuſque extremi, ſed unius ſimul cum complexo qualitatum, aut quantitatum modo dicto: quo poſito ſequitur evidenter alterius exiſtentia. Accedit, argumentum nec habere vim, etiam ſi in antecedenti re ipſa ſumatur exiſtentia utriuſque, nam primò juxta ſummulas optima eſt conſequentia, quæ procedit à veritate integræ copulativæ ad veritatem cujuſlibet copulatæ, quin ea dicatur, aut ſit petitio

prin-

principii deindè cum consequens involvitur quidem, sed non explicabitur in antecedente, petitio non habetur, ad quam vitandam satis est, si veritas illata sit formaliter alia à veritate inferente, quamvis materialiter sit eadem. sic ista est formalis consequentia, *album est, ergo albedo est*, licet albedo involvatur in albo & & ista, *est homo, ergò est animal*, licet animal involvatur in homine.

Ad 2. conf. resp. nullum esse inconveniens, si concedatur, Deum formaliter, ut omnipotentem esse connexum cum creaturis, etiam dato, quod omnipotentia, ut est nomen habitudinis, constituatur per ipsam possibilitatem creaturarum. Ratio est, quia ex Dei omnipotentia sic constituta sequitur saltem logicè possibilitas creaturarum, ut ex albo sequitur albedo, & ex homine animal. Quod autem additur futurum etiam in ea hypothesi connexionem necessariam inter Deum, & creaturas: dico esse falsum: licet sit verum, futurum ejusmodi connexionem inter Deum ut omnipotentem, & creaturas: quod nemo negat.

Ad 2. arg. dico, mutuam comparabilitatem non quamcumque, sed quæ habetur per formam realem, aut reale complexum formarum, sufficere ad relationem realem, ut dictum est. nego igitur in hoc sensu minorem. ad 1. prob. ex D. Th. dico, inter similia haberi ordinem medium jam declaratum. ad 2. resp. comparabilitatem & esse respectum ad intellectum tamquam ad potentiam comparantem, & esse respectum ad album tamquam ad terminum comparationis. hæc autem secunda satis est ad realem relationem, cum importet formam mutuò alba connectentem modo explicato. ad 3. prob. dico, in allatis instantiis nihil haberi, quale in simili, & æquali, in quibus est ex dictis forma accidentalis media connectens. quod si ejusm. forma reperiatur, concedenda est ibi sine scrupulo realis relatio, ut

ut accidit in præsenti ad futurum, in quibus est complexum realium durationum ista invicem connectentium. quamvis & hæc quoque possit relatio rationis appellari propter non existentiam alterius extremi.

Ad 3. nego min. ad prob. unitas, & numerus non fundant habitudines primi generis, nisi quatenus sunt fundamentaliter tales, secundùm quam rationem sunt sine dubio completè reales.

Ad 4. dist. majorem; per quod qualitates sunt unum formaliter, nego; per quod sunt unum fundamentaliter, concedo majorem. ipsa enim similitudo dicitur unitas non rigorosa, sed impropria, & per metonymiam; est enim similitudo causa unitatis, quatenus intellectus à similibus unitatem abstrahit. Hinc Philosophus vulgi locutionem sequutus, similitudinem per unitatem definivit, dicens, similia esse, quorum qualitas una.

CAPUT VIII.

Deciduntur quæstiones aliæ circa relationem.

QUæres 1. utrum prædicamentalis relatio ex genere requirat terminum existentem.

Resp. negativè. Patet ex dictis; nam cognitio est relatio prædicamentalis. sed aliqua cognitio non modo non petit terminum existentem, sed illum petit non existentem, ut videre est in cognitione evidenti rei præteritæ, aut futuræ. Neque dicas præsens hoc dictum non cohærere cum conceptu relationis superius assumpto præsertim cap. superiori §. 1. in probatione secunda Resp. enim, relationem omnem esse connexionem, sed proportionalem, & juxtà cujusque naturam. si enim relatio sit modus, qualis est actio & unio, necessariò est ad terminum existentem

si ve-

si verò sit qualitas, spectanda est ulterius natura denominationis relativæ, quæ importatur; aliqua enim exigit terminum de præsenti existentem, ut cognitio intuitiva; aliqua exigit terminum existentem non de præsenti, ut cognitio evidens rei præteritæ: aliqua terminum merè possibilem, ut relatio potentiæ calefactivæ ad calefactibile. Itaque omnis relatio connexio est, & facit, ut fundamentum secundùm esse per relationem acceptum nec esse possit, nec intelligi sine termino, sed sine termino sumpto secundum naturam relationis, ità ut quæ exigit terminum existentem, non possit esse sine termino existente: quæ præteritum, non possit esse sine præterito, & sic de aliis. Quia verò ibi loquebar de denominationibus relativis primi generis, quę exigunt terminum existentem, hãc deinceps exigentiam, connexionemque semper assumpsi.

Quæres 2. Num relatio prædicamentalis terminetur formaliter ad absolutum, an verò ad respectivum.

Resp. magnam hic esse litem de vocabulo, quam sic compono. Nomine termini formalis, ad quem est relatio, potest venire, quod est simul natura, cognitione, ac definitione cum alio relativo, secundùm quam acceptionem manifestum mihi est, relativum terminari formaliter ad relativum, idque non in relationibus solum mutuis, verùm etiam in non mutuis. Ratio est, quia nisi terminus accipiatur formaliter ut relativus, non potest esse simul natura cum alio relativo, ut mox dicam. quod est verum etiam de scibili relatè ad scientiam; scientia enim & scibile simul natura non sunt, nisi scibile accipiatur ut extrinsecè denominatum à scientia. At si nomine termini formalis veniat quod terminat non tam relativum, quam relationem, eamque excipit, & specificat, aut etiam est ratio, cur ea sit, manifestum item est, terminum formalem relationis esse aliquid ab-

folutum. Rationem habes ex Philof.5. met. c. 15. ubi negat pro objecto intellectus rectè assignari intelligibile, aut oculi visibile; cum enim objectum sit specificativum potentiæ, h. e. id, in ordine ad quod potentia definitur. jam si obiectum sumeretur ut à potentia denominatum, non definiretur per ordinem ad ipsum potentia, nisi nugando; nam sic definiendo intellectum, diceres, esse ipsum ad intelligibile, hoc est posse ipsum intelligere, quod potest intelligi. Idem omninò contingeret in relatione, si ea esset ad terminum ut à se denominatum; dum enim per terminum definiretur, definiretur per se ipsam.

Quæres 3. utrum relatio multiplicetur, terminis multiplicatis. Resp. affirmativè, si sermo sit de termino adæquato jam semel attacto. Et quidem simili, & æquali novum terminum addere non potes, quin addas novam formam, quæ simul cum præexistente novum complexum constituat, adeoque novam relationem. Relatio secundi generis aut est virtus, quæ ultrà terminum semel à natura constitutum extendi non potest: aut est actio, quæ ex natura actualis exercitii, quod semel facit, semper facit: quod semel respuit, semper respuit: ut alibi ostendetur. Relatio tertii generis est cognitio referens & se, & mentem ad objectum cognitio autem variare objectum non potest, sed novo objecto accedente, nova accedat cognitio oportet, ut illud sit cognitum.

Quæres 4. utrum possit una relatio aliam fundare. Resp. affirmativè. Et quidem una actio, una cognitio similis est, aut eadem alteri, adeoque potest fundare respectum comparationis ad alteram. Rursus cognitio, & quilibet actus intentionalis producit in sua potentia habitum, ad quem proinde refertur per actionem realem prædicamentaliter ut ad effectum; atque ita una relatio evadit alterius fundamentum. Ratio à

prio-

priori ex dictis est; quia notio relationis inest formæ, & accidenti etiam absoluto, nim qualitati, cui vis inesse potest productiva, adeoque & capacitas fundandi realem habitudinem ad aliud.

Quæres 5. in quo sensu relativa Philosophus simul esse natura, & cognitione contendat. constat enim, si relativa sumantur materialiter secundum entitatem, quæ refertur, non semper esse simul natura, ut videre est in causa, quæ accepta entitativè prior natura est effectu suo. sensus ergo Philos. est, relativa sumpta formaliter ut relativa, causam nim. formaliter ut causam, seù verius ut causantem, & effectum formaliter ut effectum, & ut causatum. simul esse & natura, & cognitione. Ratio est; quià quæ ab eadem forma indivisibiliter afficiente denominantur, simul & indivisibiliter denominantur, adeoque si veniant ut denominata, simul, & indivisibiliter veniunt. sed ita res se habet in casu; nam cognitio est forma indivisibiliter attingens, & comparans extrema, indivisibiliterque afficiens intellectum intrinsecè, extrinsecè objectum, & similiter actio effectum, & causam neque enim prius intellectus objectum intelligit, quam objectum intelligatur, nec prius producit causa, quam producatur effectus. Restat ergo ut relativa quà talia simul sint.

CAPUT IX.

De Post-Prædicamentis.

POst prædicamenta sunt veluti proprietates quædam, & accidentia prædicamentorum, quæ faciunt ad plenam eorundem, integramque intelligentiam. Quinque sunt, oppositio, prius simul, motus, & habere.

Oppositio alia est inter propositiones, de qua lib. 1 alia inter terminos, de qua in præsenti

quare definitur terminorum repugnantia quoad significatum, ratione cujus eidem inesse non possunt. Quadruplex est, Relativa, Contraria, Privativa, Contradictoria. Relativè opponuntur, quæcumque hoc ipsum, quod sunt, oppositorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad ipsa sic duplum opponitur dimidio, & causa effectui.

Contrariè opponuntur, quæ cum ad invicem non sint, unum alteri invicem contrarium dicit. Quæ contrarietatis notio duo habet: primum negat contraria esse relativa: calidum enim quod est frigido contrarium, non est frigidi calidum, alterum affirmat omnia contraria esse mutuò contraria. in quo contraria à privativis, & contradictoriis differunt; nam cœcitas est privatio visus, sed visus non est privatio cœcitatis: non homo est negatio hominis, sed homo non est negatio non hominis. Deinde ex contrariis quædam habent medium, quædam non habent medium aliud est positivum, quod extrema utraque includit: aliud negativum, quod extrema utraque excludit. omnia contraria habent medium negativum; cum enim ambo sint positiva, fieri potest, ut ambo à subjecto absint. Sed medium positivum quædam habent ut album & nigrum, quæ miscentur in mediis, viridi nim., aut rubro: quædam non habent, ut par, & impar in numero.

Quatuor tradit Philosophus contrariorum proprietates. 1. contrarium bono semper est malum: at malum contrariari potest etiam malo. sic virtuti non contrariatur nisi vitium, at vitio contrariatur etiam vitium, ut avaritiæ prodigalitas. 2. Contraria non possunt inesse eidem numero. hoc est commune omnibus oppositis. 3. Contraria sunt nata fieri in eodem specie vel genere subiecto, ut sanitas, & ægritudo in animali, virtus & vitium in homine. 4. Contraria vel sunt sub eodem genere proximo, ut album, & nigrum sub colore, vel saltem sub eodem ge-

nere

nere remoto, ut justitia, & injustitia sub habitu. nunquam tamen idem prædicamentum egrediuntur, cum sint omnia sub qualitate.

Privativè opponitur forma, ejusque carentia in subiecto natoapto habere formam; in quo privativa à contradictoria oppositione secernitur. & hinc etiam fit, ut privativa oppositio medium negativum admittat; lapis enim neque videns est, neque cœcus.

Contradictoriè demum opponuntur, quæ se habent sicut affirmatio, & negatio, esse, & non esse. Proprietas est contradictoriorum, ut de quocumque subiecto alterum eorum indispensabiliter verificetur: quod non accidit in aliis oppositis. potest enim subiectum quodpiam neque esse Pater, neque Filius, neque album, neque nigrum, neque videns, neque cœcum; at non potest vel esse simul & non esse, vel neque esse neque non esse. Hinc prima duo principia complexa: Non potest idem simul esse, & non esse, per quod excluditur à contradictoriis medium positivum; Quodlibet est, vel non est; per quod excluditur medium negativum; de quibus latè in metaphysicis.

Pergit porrò Philos. ostendere, quot modis aliud dicatur alio prius, 1. dicitur prius tempore, quo pacto Persarum imperium prius est imperio Græcorum. 2. dicitur prius secundum subsistendi consequentiam, à quo scil. subsistendi consequentia non convertitur; est enim id quod ab aliis infertur, sed alia non infert. sic unum est prius duobus, quia si duo sunt, unum est; non tamen è contrario. hoc pacto superiora omnia prædicata priora sunt inferioribus 3. dicitur prius ordine. sic in omnibus scientiis notitiæ terminorum præcedunt notitias rerum. 4. dicitur prius dignitate. sic honorabiliores priores etiam appellamus, iisque primas tribuimus. 5. dicitur prius natura, & causalitate, quod licet cum posteriori suo converta-

tur, est tamen ab illo independens, & illud est dependens ab ipso. Dat exemplum Philos. in propositione vera; si enim hæc propositio, homo est albus, est vera, homo re ipsa est albus, & si homo re ipsa est albus, propositio est vera. at verò, quod homo re ipsa sit albus, in causa est, cur propositio sit vera; veritas enim est in re sicut in causa. Hanc naturæ prioritatem habet quælibet causa physica ad effectum suum quare accuratè explicabitur in physicis. Simultas deinde tribus modis contingit. sunt enim aliqua simul, vel tempore, ut Aristoteles, & Alexander vel natura, quæ mutuò convertuntur, & unum alterius non est causa, ut sunt correlativa qua talia. 3. sunt simul, quæ dividunt idem genus, ut rationale, & irrationale, quæ dividunt animal.

De motu tractatio prorsus physica est. quare ibi ex professo tradetur. Postremo multos habendi modos numerat Philosophus, qui facillimi sunt id mihi unum notasse sit satis verbum *habendi* posse dici vel de unione accidentis cum subiecto, quod dicitur habere quantitatem, qualitatem &c. atque ita habere est post-prædicamentum. vel cum unum corpus certo modo se habet circa aliud seu quoad vestimentum, seù quoad ornamentum: atque ita prædicamentum speciale constituit, quod Habitus appellatur.

LIBER TERTIUS.

De iis, quæ ſpectant ad intelligentiam compoſitam.

QUÆSTIO PRIMA.

De vocali enunciatione, qua ratione, quo ordine ſit ſignificativa.



PAuca verba, quæ initio primi libri de interpretatione Philoſophus dixit circà vocum ſignificationem, occaſionem dedere conſequutis deindè Philoſophis, ut accuratius eam, penitiuſque pertractarent. Et quidem *cum nihil ſit, de quo non verbis diſputari oporteat*, ait Aug. de Princ. Dial., *ideoque de his primò diſputetur, per quæ de cæteris diſputare conceditur*, merito id ſibi muneris Logica adſcivit, quæ inter ſcientias eſt prima, viamque cæteris munit.

CAPUT I.

Quid eſt ſignum.

AUg. l. 2. de doctr. Chriſtiana c. 1. de ſigno loquens, ſic habet: *ſignum eſt res præter ſpeciem; quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cogitationem venire: ſicut veſtigio viſo, tranſiſſe animal, cujus veſtigium eſt, cogitamus; & fumo viſo, ignem ſubeſſe cognoſcimus*. Hæc ſigni notio, ut apparet, reſtringitur ad unum ſenſibile ſignum, quod proinde propriiſſimè eſt ſignum. quod ſi ad omne ſignum extendatur, ut poſſe extendi probat ſatis communis ſenſus, & D. Thomæ authoritas de ver. q. 9. ar. 4. ad 4.,

debet definiri id, quod præter notitiam sui notitiam alterius ingerit; sivè ut ait ibi D. Th., id, in quo, aut ex quo noto aliud cognoscitur.

Tres porro de voce quæstiones circà signi acceptionem agitantur, 1. utrum causa dici possit signum effectus sui. 2. utrum aliquid possit esse sui signum. 3. an signum dici proprie queat, quod alterum facit cognosci, ipsum incognitum, qualis est cognitio, quæ est formalis ratio cognoscendi obiectum, dum ipsa non cognoscitur, & species intelligibilis, quæ incognita facit virtualiter obiectum cognoscere.

Ad 1. quidam apud Arriagam omnem causam excludunt à ratione signi: quod ut præstent, signum definiunt, quod ducit in rei notitiam significatæ per ipsum. sed satis vitiosè; tum quia explicant idem per idem: ajunt enim reverà signum esse, quod ducit in notitiam ejus, cujus est signum; adeoque explicant signum per esse signum. tum quià construunt sibi notiones ad arbitrium; neque .n. Augustinus, aut alii antiquiores ejusm. particulas in signi notione adhibuere. tum demum quià inutilis est ea additio ad finem intentum; adhuc enim stare cum ea potest, quod causa sit signum effectus sui, ut patet consideranti.

Alii causæ universim negant rationem signi, quià, inquiunt, sola demonstratio *quià*, & à posteriori dicitur procedere à signo: nec inveniens, qui à signo dicat procedere demonstrationem propter quid, & à priori. Sed hic modus dicendi in tanta universalitate non est verus; nam Sacramenta signa sunt gratiæ, & causæ nubes causa est, & signum pluviæ: concursus siderum causa est, & signum plurium eventuum sublunarium: morbus gravis causa est, & signũ mortis &c. quod ipsum expressit D. Th l. cit. ad. 5. ubi, *dicendum*, inquit, *quod quamvis in naturalibus, quorum effectus sunt nobis magis noti, quam causa, signum sit id, quod est posterius in natura, tamen de ratio-*

ratione signi propriè accepta non est, quod sit prius, vel posterius in natura, sed solummodo quod sit nobis præcognitum.unde quandoque accipimus effectus ut signa causarum, ut pulsum sanitatis: quandoque verò causas ut signa effectuum, sicut dispositiones corporum cœlestium signa imbrium, & pluviarum.

Propterea Toletus, & Ruvius apud Oviedum hic, & Maurus in log. q.55. ad rationem signi requirunt institutionem aut arbitrariam,aut naturalem, adeoque ut principaliter sit ordinatum veluti ad finem,ut alterum manifestet.hinc, ajunt, quædam causa est signum effectus sui, ut morbus mortis. quædam non, ut Deus creaturæ. Sed hoc mihi videtur gratis dictum; nam 1. addit notioni signi institutionem sine authoritate, quæ in vocibus est unicè attendenda. 2. hinc fieret, ut incertissimum esset, cui tribuenda cui non signi ratio; quis enim sit naturà à consiliis, ut sciat, quam causam principaliter ad effectus manifestationem ordinaverit, quam non. 3.quia omnis causa est quoad hominem ordinata ad effectus sui manifestationem; cum enim finis intellectus humani sit scientia, & potissima sit. quæ per demonstrationem à priori per causam colligitur; consequens est, ut omnis causa sit nata homini ingerere effectus sui cognitionem, & quidem principaliter, si ordinem intrinsecum cujusque obiecti attendimus ad intellectum humanum; per quem ordinem constituitur in ratione signi, quod est intellectui manifestativum & sui, & alterius, 4. institutio ejusm. præsertim naturalis nō video quid aliud esse possit, quam intrinsecus ordo, & connexio causæ cum effectu, ratione cujus in sui manifestatione causa non sistit, sed ulterius effectum suum manifestat. hic autem ordo, & connexio non est solum in causa creata, sed etiam increata. utraque ergo rationem signi participat.

Equidem ità censeo, signum dici per ordi-

nem ad intellectum, à quo, naturaliter habet, ut sit præcognitum: quod unum esse de ratione signi dixit D. Th. l.cit. Hinc est 1., quod sensibilia sint apud nos antonomasticè signa (propterea id unum signi genus definivit Augustinus) omnis enim nostra cognitio à sensibilibus incipit, adeoque eorum notitia naturaliter in nobis est prior, & aliarum inductiva. Hinc est 2. quod quædam causæ signa sunt effectuum suorum, ut nubes pluviæ, & morbus mortis; à nubibus enim, morbisque præcognitis & pluvias, & mortem futuram cognoscimus. Hinc est 3. quod Deus signum creaturæ non sit, sed è contrario Dei creatura; non enim ex Deo creaturas, sed ex creaturis Deum intelligimus. Non ergo in signis attendenda est institutio, sed naturalis prioritas cognitionis, quæ alterius cognitionem nata sit trahere.

Ad secundam quæstionem respondeo negativè; non enim sine improprietate dicitur aliquid sui signum. & quidem Aug. ad signi rationem requirit, ut aliud aliquid ex se faciat in cognitionem venire. Ad hæc signum nomen est relativum, involuitque habitudinem ad significatum: nullum autem verum, & proprium relativum ad se est, sed ad alterum.

Ad tertiam respondeo distingui à nonnullis signum in formale, & instrumentale. formale signum cognitionem ipsam appellant, quia est forma ultima, per quam obiectum intellectui manifestatur. hinc communiter logici significationem naturalem cognitioni tribuunt. instrumentale signum est duplex; aliud, quod ducit in cognitionem alterius media cognitione sui, ut fumus cognitus facit cognoscere ignem: aliud, quod ducit in cognitionem alterius non obiectivè, sed effectivè, producendo scil. cognitionem, qualis est species intelligibilis. Alii sunt, qui negant signum propriè esse, nisi signum instrumentale cognitum, ut fumus relatè ad

tè ad

tè ad ignem : cætera volunt esse signa solum improprie. sed non est diutius hærendum in vocabulis.

CAPUT II.

Naturaliter, an ad placitum voces significent.

Voces signa esse, dubium nulli est. quæri ergo solum potest, utrum hoc habeant ex natura, an ex placito. Non negaverim in hoc vocum negotio esse aliquid à natura, quæ scil. homini, quod est sociale animal, debuit signa proponere, quibus animi sensa patefierent; ita enim suis quisque necessitatibus consulere, & commercii causa res, consilia, disciplinas accipere posset, & reddere. debuere porrò ejusm. signa sensibilia esse, quæ unicè sunt naturæ hominis accommodata, qui ad insensibilia non nisi per sensibilia pertingit. Hactenus institutum naturæ : reliqua permisit arbitrio, ut liberum scilicet foret per loquutionem suum cuique animum explicare. aliter magnum esset naturæ rationalis incommodum, si quisque cogeretur expositam semper mentem, & in aperto habere. hinc loquutio libera est manifestatio, ac veluti donatio quædam internorum conceptuum, quos quidem, ut loquitur Aug, idem est habere, & nosse. quare numeratur in potissimis hominis bonis, quæ alteri communicare, maximum est amicitiæ pignus. Quamvis autem ex arbitraria vocum significatione diversitas linguarum sit profecta, qua non rectè consultum homini videtur; hæc enim, teste Aug. 19. de Civ. c. 7. hominem ita alienat ab homine, *ut libentius homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno*; id tamen ortum non ex natura, sed ex vitio, quod meruit linguarum diversitate multari, & quidem *si beneficia natura,*

turæ, ut optimè Seneca, *utentium pravitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus*. quamquam & hoc ipsum fortasse expediebat post factam jure gentium divisionem, ut cum suis quisque hominibus arctius jungeretur. tanto magis, quod loquendi varietate commercium non tollitur, cum possit quisque aliorum quoque sermonem addiscere.

Verùm non modo debuisse voces arbitrariam significationem accipere, sed & non aliam accepisse compertissimum ex eo est; quià voces non idem significant, nec sunt omninò eædem apud omnes. quæ vero naturaliter significant; idem apud omnes significant, ut videre est in gemitu apud omnes, atque adeo naturaliter exprimente dolorem: quod & apparet in omnibus iis vocibus, quæ natæ sunt significare sensum jucundi, & molesti, ut loquitur Aristoteles 1. Polit. c. 2., quales sunt voces brutorum.

Dices 1. nonnullæ voces habent naturalem aptitudinem ut certum aliquid specialiter significent, ut mugitus vocem bovis, rugitus vocem leonis &c. ergo aliquæ voces naturaliter significant.

Sed ea aptitudo, quæcumque sit, non est satis ut voces dicantur naturaliter significare; nam etiam ea stante, potuerunt ad aliam significationem traduci. prætereà id non contingit, nisi in vocibus paucissimis per onomatopœjam formatis per vocis ad sonum, quem significat, similitudinem. hinc meritò Arriaga irridet nescio quem sui temporis Grammaticum qui libro edito conatus est demonstrare, latina vocabula ità esse suis significatis similia, ut possit aliquis, qui nunquam Latinè novit, solo naturæ ductu, & recta organorum, humorumque dispositione latinam linguam comparare. quæ quidem videtur res satis inepta, & digna authore Grammatico.

Dices 2. si voces essent ex mero placito signifi-

cati-

cativæ, nihil esset, cur primi hominis sapientia laudaretur, quod cunctis animalibus nomina dederit proportionata. quod enim ex mero placito fit, laudem non habet.

Equidem non invenio in Scriptura, ubi nam laudetur Adam propter nominum impositionem animalibus factam. profectò is non sapientiæ fuit actus, sed dominii. potest quidem aliqua sic exerceri sapientia, dum nomina imponuntur non primitiva, sed derivata, aut composita, quibus latens rerum nominatarum natura explicetur: ut si nomen leoni imponas à fortitudine. vulpi ab astutia &c.

Dices 3. sequi processum in infinitum, si voces omnes ad placitum significent. hoc enim ipsum placitum ostendi aliis debet: nec nisi per voces. aut ergo istæ etiam significant ad placitum; atque hoc placitum ostendi priùs debet per alias voces &c. aut tandem deveniendum ad voces naturaliter significantes.

Hæc difficultas de facto nulla est; omnes enim primitivæ linguæ à solo Deo institutæ sunt, & infusæ: secundariæ verò ortum duxere ex corruptione, aut mixtione primitivarum. Cæterum potuere linguam aliquam primi ipsi homines instituere, suumque placitum ostendere non per aliam linguam, sed per nutus, quibus de facto muti conceptus suos manifestant. sic v. g. tangendo lapidem, & proferendo vocem *lapis*, indicarent aliis hoc esse ejus rei nomen: quo fermè pacto pueri omnes patriam linguam edi scunt.

Dices 4 nomina, quibus Deum nominamus, & creaturas, prius de Deo quam de creaturis dicuntur; ut habetur Ephes. 3., quod ex Divina Paternitate omnis alia Paternitas nominatur. sed si voces ad placitum significarent, prius de creaturis, quam de Deo dicerentur; impositio enim nominum sequitur cognitionem rerum. quare prius nominamus, quæ prius cogno-

gnoſcimus. prius autem creaturas cognoſcimus, quàm Deum.

Reſp. nomina dupliciter accipi. 1. ut ſunt manifeſtativa conceptuum, quos ſequuntur; non enim nomina imponuntur niſi rebus cognitis, & quidem ut cognitis. atque ita nomina prius de creaturis dicuntur, quam de Deo propter datam rationem. 2. ut ſunt manifeſtativa rerum nominatarum; atque ita cum ſequantur naturam non cognitionis, ſed rei, de iis prius dicuntur, quæ prius ſunt. & quià Deus eſt omnium creaturarum origo, prius Deo quam creaturis nomina convenire dicuntur.

CAPUT III.

Unde habeant formaliter voces vim ſignificandi.

EST in vocibus vis quædam ſignificativa, quæ vocum videtur, reverà tamen eſt rerum, ſic ex mera notitia terminorum inducimur in notitiam principiorum per ſe evidentium, quale eſt illud, *Omne totum eſt majus ſua parte; Quæ ſunt eadem, aut æqualia uni tertio, ſunt eadem, aut æqualia inter ſe; Duo & tria faciunt quinque*, & alia hujuſm. Hæc certè vis illativa à vocibus non pendet, niſi per accidens, quatenus excitant notitiam obiectorum, quæ per ſe, & præciſa vocum notitia inducunt evidens judicium. De hac ſignificatione non eſt in præſenti ſermo. Eſt alia vis ſignificativa vocum propria, eaque duplex. 1. ſimplex, quæ in ſimplicem rei apprehenſionem ducit, qualis eſt, cum ex domus pictura duceris in notiam ſimplicem domus abſque eo, quod affirmare poſſis eam domum revera alicubi eſſe, aut non eſſe; atque ità ſignificat panem vox iſta *Panis*. 2. compoſita, ſeù complexa, quæ judicium etiam inducit, qualis eſt in fumo, quo viſo, induceris

ad

ad affirmandum, ignem ibi esse, atque ita significat propositio, v.g. qua affirmes Petrum esse in foro; ex ea enim argumentum habet audiens judicandi existentiam Petri in foro.

Ejusm. vis significandi complexa ex duplici capite universim oriri potest in signis ad placitum (in signis enim naturalibus nascitur ex connexione inter existentiam unius, & alterius) aut ex mera consuetudine, qualis est in vestibus virilibus, & muliebribus, quarum illæ viros, hæ mulieres indicant, quia illis viri, his mulieres uti solent, aut oritur ex aliqua obligatione, qualis est in Sacramentis novæ legis, quæ gratiam significant infallibiliter ponendam ex Dei promissione.

Dico nunc 1. simplex significatio vocum item simplicium ex hominum placito, & institutione est, nullius omninò obligationis inductiva. Hæc conclusio certa est apud omnes. Et quidem cum voces per se, & præciso hominum placito significationem non habeant, ut probatum est cap. superiori, consequens est, ut eam debeant à libera cujuspiam institutione accipere: quæ institutio fieri potest vel per Principis voluntatem; quemadmodum de facto linguæ primitivæ à sola Dei voluntate significationem habuere; vel per consuetudinem, quæ est populi voluntas, qui quidem in usu vocum supremus est dominus. Quod autem in his simplicibus significatio ex obligatione non fit, est certo certius; quis enim asserat, non posse licitè proferri vocem *lapis*, nisi lapide existente, nec vocem *non lapis*, nisi lapide non existente?

Dico 2. complexa vocum significatio, quæ & dicitur significatio per modum argumenti, involuit formalissimè obligationem ex institutione tanquam ex lege profectam, ita ut hæc ipsa obligatio sit forma significationis.

Prob. hac una obligatione præcisa, voces ejusm. significationem non habent: hac una posita,

sita, habent. finge enim nullam esse in loquente obligationem proferendi verba locutoria menti conformia, adeoque posse ad libitum affirmare vocaliter; Petrum esse in foro, sive id ipsum sciat, sivè sciat oppositum: jam certe nullum habes hinc argumentum affirmandi, Petrum in foro esse: cum ex antecedente omnino indifferente ad veritatem, & falsitatem consequentis non possit erui veritas potius, quam falsitas consequentis. Contra verò si stet obligatio ea verba non proferendi, nisi is, qui ea profert, ita sciat esse, ut profert, argumentum sufficiens habes, ut dicas, ita revera esse, ut dicitur atq; hoc ipsum est fidei humanæ motivum, quod scil. loquens nec fallere velit, nec falli, primum habet à probitate, qua præsumitur nolle obligationi suæ contraire: alterum habet à sapientia, qua præsumitur nihil temere apud se affirmare, ex quo ipso prætereà fit, ut meliores, & sapientiores majoris sint in dicendo authoritatis, certioremq; fidem mereantur. & hinc manifesto constat, vim fidei motivam non esse meram consuetudinem, quale est motivum vestis fæminea ad judicandum, quod ea utens sit fæmina; nam primò fieret, ut motivum fidei non esset dicentis authoritas, h. e. ejus probitas, & sapientia: probitas enim impertinenter se haberet, si nulla esset in opposito inhonestas. 2. consuetudo requirit tempus, quo confirmetur; neque enim unus, vel alter actus consuetudinem inducit, atqui fides humana semper fuit, cum ad hominum civile commercium ab ipso rerum exordio fuerit necessaria, ergo non mere consuetudini nititur, sed obligationi ab ipso initio ante omnem consuetudinem inductæ.

Ex hoc toto duplex est consequentia. 1. obligationem ejusm. intrinsecè constituere complexam vocum significationem, hæc facilè probatur ex eo evidenti principio, Id, quo præcisè

subla-

ſublato, tollitur conſtitutum, pertinet ad intrinſecam ejus conſtitutionem; de quo alibi. 2. conſtituere ut formam; ſignificatio enim conſtat vocibus,& obligatione ſeu inſtitutione obligante, voces non præſtant niſi materiam; ſe habent enim ut planè indifferentes ad hanc, vel illam ſignificationem, ſed obligatio cum determinet ad hanc præ illa ſignificationem, formæ & actus vicem ſubeat oportet.

Ex hoc apparet, quam ſit intrinſeca, & eſſentialis in mendacio malitia,mendacium enim eſt, dum adhibentur verba ſignificativa menti difformia, atqui in verbis ſignificativis intrinſecè involvitur obligatio conformandi ea menti, ut dictum eſt, ergo qui mentitur,contrà obligationem facit, quatenus adhibet verba difformia cum obligatione ea taliter non adhibendi. Quod ſi quando contingat nullam eſſe talem obligationem conformandi voces menti, tunc mendacium non eſt, cum loquutio non ſit, niſi merè materialis, deficiente ſcilicet forma ſignificationis, quæ ex dictis eſt obligatio. Sed hoc innuiſſe obiter ſit ſatis.

Poteſt etiam non improbabiliter dici, præter legem primò inſtituentem verba, inducentemque obligationem per principis, aut populi voluntatem, haberi in quacumque locutione ſpecialiter obligationem ex pacto inter loquentem, & audientem inito; qui enim loquitur offert veritatem, ut accipiat fidem: qui audit, offert fidem, ut accipiat veritatem: qui eſt contractus *do ut des* in ipſa locutionis humanæ natura involutus,ſed undecumq; obligatio iſta oritur, perinde eſt ad rem præſentem.

Obiic. 1. ideo tenemur iſtas voces, *Petrus eſt in foro*, non proferre, niſi id ipſum animo affirmamus,quia voces iſtæ id ipſum ſignificant, ergo prior eſt in vocibus ſignificatio, quam obligatio; adeoque ſignificatio non eſt formaliter per obligationem; aliter hæc eſſet ſe ipſa prior.

Ante-

Antecedens est verum, si faciat sensum formalem; falsum, si causalem; constat enim ex dictis non argui rerum existentiam ex dicentis testimonio, nisi quia loquens tenetur voces non proferre, nisi sciat rem ità esse, ut dicit, quare non ità obligatur, quia voces hoc significant, sed ut per hanc ipsam obligationem consequantur voces vim significandi existentiam rei enunciatæ.

Obiic. 2. voces sunt nunc significativæ, ergo per significationem nunc existentem, atqui institutio non est nunc, sed fuit olim, ergo institutio, seu obligatio per institutionem inducta non est forma significationis constitutiva; aliter nunc esset significatio constituta sine institutione constituente.

De hoc genere arguendi multa dicam quæstione hujus libri quarta, ubi de denominatione, & veritate contingentium futurorum. Pro re præsenti illud sit satis, indubitatum esse apud omnes moralem denominationem præsentem haberi sæpè per aliquid physicè præteritum, sic habetur jus præsens per donationem præteritam, præsens obligatio legis per præteritam Principis voluntatem &c. quæ quidem utcumque re ipsa non sint, in æstimatione morali se habent, ac si essent, idemque omninò moraliter operantur, quod operarentur, si in se realiter essent, neq; vero aliud opus est ad denominationem, quam constituunt præsentem item moraliter.

Obiic. 3. pueri dum linguas docentur, nihil sciunt de lege instituente, & obligante moraliter; & tamen optimè sciunt, quid significent, dare panem, aut mittere lapidem; Prætereà rustici, imo & ipsi docti dum loquuntur, institutionem sic explicatam non cogitant, ergo voces non habent significare ex institutione obligāte.

Resp. pueris aliter insinuari significationem vocum simplicem, aliter complexam, primam

acci-

accipiunt, formando à principio species complexas vocis simul, & rei; dum enim audiunt vocem panis, simulque iis panis offertur, utriusque speciem formant, ratione cujus audita voce, excitatur species rei, & visa re, excitatur species vocis. & hujus quidem significationis capaces etiam belluæ sunt; ex hoc enim canis accurrit, dum audit domini sibilum, aut Lyciscæ nomen, cum quibus scil. excitatur species objecti alicujus jucundi, puta cibi, cum iis conjuncti. crescentibus deinde annis accipiunt à parentibus non licere vocibus complexis uti, nisi dum ita res scitur esse, ut enunciatur, atque à mendacio deterrentur ut malo, & peccaminoso: quod est cognoscere obligationem conformandi verba menti, à qua obligatione voces complexam significationem hauriunt. Idem dicendum de reliquis. nemo est, qui alteri credat, nisi ejus authoritati nitatur, adeoque nisi sciat eum obligari ad non mentiendum, ut dictum est; adeoque institutio semper cogitatur saltem sub conceptu obligationis.

Obiic. 4. non est explicabile, quid voluerint primi institutores linguæ per voluntatem illam suam inductivam obligationis, à qua voces deinde significationem acciperent. etenim illa non vult præcisè voces, ut constat, nec vult præterea obligationem, & significationem; cum enim hæ sint formaliter per illam voluntatem, illa voluntas se ipsam vellet: quod est absurdum, nec potest dici, quod sit voluntas nolitiva mendacii, seu difformitatis verborum cum mente: constat enim universim stare posse, ut legislator prohibens operationem aliquam v. g. comestionem, sæpè ex sua pravitate velit eam contingere: quod est evidens argumentum esse duos actus ex genere suo distinctos, ac separabiles illos, Nolo comestionem, Prohibeo comestionem.

Hæc difficultas ad præsens institutum non

per-

pertinet, sed ad materiam de legibus, ubi eam fuse Arriaga, aliiq; Recentiores pertractant, satis ergo mihi erit quædam breviter in præsenti notare, quorum accuratiorem tractationem aliò remitto. Et primo quidem loco satis mihi improbabilis videtur sententia eorum, qui pro obiecto voluntatis obligatoriæ entitates quasdam morales assignant ex lege resultantes ad eum proportionaliter modum, quo ex fundamento, & termino resultant relationes; atq; in his entitatibus (quas morales appellant, non quod physicæ non sint, sed quia pertinent ad genus moris) juris, dominii, obligationis formam reponunt. Hanc fuisse sententiam veterum scholasticorum testatur hic Maurus q. 56. sed qui sint illi scholastici, non meminit, nec puto facilè potuisse; hæc enim opinio, quæ genus morale ad physicum revocat, & innumeras entitates sine causa multiplicat, non alibi quam in Recentiorum commentariis extat.

Ad rem igitur duo breviter innuo. 1. absurdum non esse, ut creditur, voluntatem aliquam habere pro obiecto se ipsam, si minus clare, & distinctè secundum proprium, & ultimum prædicatum, saltem secundùm rationem genericam, & confusam obligationis. Sic qui vult loqui, illam ipsam suam volitionem vult; cum enim velit locutionem, adeoque quidquid locutionem constituit in esse locutionis, seù actus locutorii humani, atque hic per illam ipsam volitionem in tali esse constituatur, consequens est ut ea volitio se ipsam velit. Verum quia hoc non est satis ad rem præsentem propter illud, quod ultimo loco in argumento subiicitur; si alia probabilior non occurrit, utere responsione Ariagæ, qui censet unicuique constare experimentale discrimen inter duos illos actus *nolo mendacium*, *prohibeo mendacium*; atq; adeo tales actus non differre ex parte obiecti, sed ex parte modi tendendi in idem obiectum cuiq; experimentaliter noti.

CA-

CAPUT IV.

Res, an conceptus immediatiùs, ac principaliùs à vocibus significentur.

TItulus hic supponit voces utrumque significare, res scil. & conceptus; atque hic est communis Doctorum sensus, cui tamen repugnat Gabriel in 1. d. 22. ubi asserit, voces primæ impositionis nullatenus significare conceptum, sed res dumtaxat mediante conceptu. Probari hæc sententia potest primò; quia solemus quærere non de conceptibus, sed rebus, quo pacto nominentur. ergo voces non conceptuum, sed rerum sunt significativæ. 2. potuit institui vox, quæ solum res significaret. ergo cum nihil ostendat esse voces institutas ad significandos conceptus, dicendum, de facto saltem non esse sic institutas. 3. Philosophus 1. elench. asserit, quod quia res in disputationem adducere non possumus, utimur vocibus loco rerum: ergò voces juxtà Phylos. significant res, quarum loco adducuntur, sed non conceptus, de quorum significatione non meminit.

Sed ista satis sunt levia primum enim non probat, nisi conceptus non significari primò, & ultimatè. secundum petit rationem, cur conceptus etiam significentur per voces, quam mox dabo. tertium probat oppositum; non solum enim res, sed etiam conceptus in disputationem afferre non possumus, quos si possemus, vocibus non uteremur. ergo vocibus utimur non solum pro rebus, sed etiam pro conceptibus. quare si ex hoc probatur, quod res, probatur etiam, quod conceptus à vocibus significantur.

Accedit expressa Phylos. authoritas 1. periher. c. 1. ubi *voces*, inquit, *sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ*. quod vero respondet Gabriel, per hoc non intelligi quod voces signi-

gnificent conceptus, sed res, mediantibus animæ passionibus, h. e. conceptibus: primum est interpretatio violenta, cum explicet ly esse notas conceptuum per non esse notas conceptuum. deinde interrogo, quid sit significare rem, medio conceptu? hoc Gabriel non explicat, sed dupliciter potest accipi; aut enim tanquam ratione significandi, aut tamquam re significata. primum est falsum; quia ratio significandi non est conceptus loquentis, sed institutio. secundum est intentum; neque enim hic contendo conceptus significari per voces mediatè, aut immediatè; sed solum significari.

Cæterùm verè significari innegabile videtur; nam voces humanæ in conceptus notitiam indubitanter inducunt. Et locutio quidem humana in hunc finem potissimum est instituta, ut homines inter se conceptus suos, quos immediatè intueri non licet, per sensibilia verba participarent. hinc omnis locutio socialis quædam est, & amicabilis animi communicatio; ex quo vulgaris est inimicitiæ effectus à mutuis collocutionibus abstinere. omnis igitur locutio est secretorum patefactiva, adeoque cogitationum, & volitionum, in quibus mentis secreta consistunt. Hoc statuto, solum superest ut decernam, quo ordine rerum, & conceptuum, significatio præstatur à vocibus.

Dico igitur 1. in simplici significatione voces immediate significant res, mediatè conceptus.

Prob. ab experientia docente, audita voce. lapis, v. g. animo statim obiici lapidem ipsum realem: quod est rem ipsam immediatè significari per suam vocem. Rursus ex eo, quod quis eam vocem profert humano modo, arguitur illum cogitare rem lapidis: quod est conceptum proferentis solum mediatè per vocem significari. Ratio à priori est ex modo, quo nobis de facto insinuatur ista vocum significatio, per spe-

cies

cies scilicet complexas, & rei, & vocis, ut dictum est cap. superiori. hinc est, ut auditis vocibus, immediatè excitentur in nobis species rerum significatarum.

Dico 2. in significatione complexa, & per modum argumenti voces prius, & immediatius significant conceptum, quam rem.

Prob. illiud prius, immediatiusque cognoscitur, quod est in causa, cur aliud cognoscatur; omnis enim notitia, quæ causat, prior est notitia, quæ causatur. atqui in tantum res, quæ per voces significatur, cognoscitur esse, in quantum cognoscitur esse conceptus verus in mente loquentis, ità ut notitia conceptus sit ratio notitiæ rei: assumitur enim existentia conceptus in motivum ad probandam, credendamque existentiam rei: ut dictum superius est. ergo prius conceptus, quam res significantur in significatione complexa.

Dico 3. in omni significatione res principalius, quàm conceptus à vocibus significantur.

Prob. principalitas in vocum significatione attendenda est unicè penes finem à linguæ institutoribus intentum. atqui certum est, omnem vocum institutionem, omnemque communicationem arcanorum, quæ facit societatem, & commercium inter homines, eò demum collineare, ut rerum ipsarum notitiam ingerat audienti. sic dum rustico dico Deum esse trinum, & unum, hoc volo, ut is veniat in notitiam Trinitatis, non verò mei conceptus, aut mei conceptus solum, ut argumenti, unde ad notitiam Trinitatis tandem deveniat. atque eidem contingit in reliquis locutionibus. Et quidem cum locutio sit arcanorum communicatio, quatenus vocatur alius in partem nostrorum conceptuum, quæ sunt potissima animi bona, non potest dici, quod solum velimus, ut ille sciat nos scire, sed etiam ut sciat, quæ nos scimus; hoc enim est commune cum illo conceptum ha-

cies scilicet complexas, & rei, & vocis, ut dictum est cap. superiori. hinc est, ut auditis vocibus, immediatè excitentur in nobis species rerum significatarum.

Dico 2. in significatione complexa, & per modum argumenti voces prius, & immediatius significant conceptum, quam rem.

Prob. illiud prius, immediatiusque cognoscitur, quod est in causa, cur aliud cognoscatur; omnis enim notitia, quæ causat, prior est notitia, quæ causatur. atqui in tantum res, quæ per voces significatur, cognoscitur esse, in quantum cognoscitur esse conceptus verus in mente loquentis, ità ut notitia conceptus sit ratio notitiæ rei: assumitur enim existentia conceptus in motivum ad probandam, credendamque existentiam rei: ut dictum superius est. ergo prius conceptus, quam res significantur in significatione complexa.

Dico 3. in omni significatione res principalius, quàm conceptus à vocibus significantur.

Prob. principalitas in vocum significatione attendenda est unicè penes finem à linguæ institutoribus intentum. atqui certum est, omnem vocum institutionem, omnemque communicationem arcanorum, quæ facit societatem, & commercium inter homines, eò demum collineare, ut rerum ipsarum notitiam ingerat audienti. sic dum rustico dico Deum esse trinum, & unum, hoc volo, ut is veniat in notitiam Trinitatis, non verò mei conceptus, aut mei conceptus solum, ut argumenti, unde ad notitiam Trinitatis tandem deveniat. atque eidem contingit in reliquis locutionibus. Et quidem cum locutio sit arcanorum communicatio, quatenus vocatur alius in partem nostrorum conceptuum, quæ sunt potissima animi bona, non potest dici, quod solum velimus, ut ille sciat nos scire, sed etiam ut sciat, quæ nos scimus; hoc enim est commune cum illo conceptum ha-

bere. Accedit finem locutionis esse audientis fidem: fides autem non habetur, quia audiens credit me ità sentire, nisi insuper credat ità esse, ut sentio; hoc enim est niti mea dicentis authoritate, qua non solum habeo, ut non fallam, sed habeo insuper, ut non fallar. ergo loquens non conceptum ultimatè, sed rem manifestare contendit.

Dices 1. voces humanæ in hoc differunt à belluinis, quod istæ solas res, illę res simul, & conceptus significant. ergo in vocibus humanis principalior est significatio conceptuum, in qua scilicet una ratione differunt à belluinis.

Primum est falsum antecedens; nam etiam belluinæ voces animæ passiones significant non ab institutione, sed à natura. deinde nulla est consequentia. præcipua enim differentia inter humanas, brutalesque voces in eo est sita, quod humanæ ex obligatione, quam involvunt, afferunt notitiam conceptuum ut argumentum ad inferendam existentiam rerum: quod non accidit in belluinis. Cæterum finis ab hominibus in vocum institutione intentus potuit esse idem qui in belluinis, præbente regulam, ideamque natura, ad quam se homines accommodarent, ut mutuo subsidio, commercioque voces fervirent.

Dices iterum. Voces subrogantur loco conceptuum; quia enim conceptus immediate manifestare non possumus, voces illis substituimus. ergo voces magis præcipuè conceptus significant.

Argumentum probat oppositum; si .n. voces loco conceptuum sufficiuntur, consequens est ut habeant præstare, quod præstarent conceptus, si immediatè innotescerent. atqui conceptuum manifestatio non sistit in conceptibus ipsis; ut contingit in Angelica locutione, in qua conceptus immediatè patescunt, non ut alius Angelus sciat alium hoc scire, sed prætereà ut

sciat,

sciat, quod alius Angelus scit; cum & in Angelis quoque finis locutionis sit fides. ergo voces, quæ conceptuum vices subeunt ad id ipsum ultimate ordinantur, ut res manifestent.

De scripturis porrò relatè ad voces discurrendum proportionaliter, ut de vocibus relatè ad conceptus: ut enim voces sunt signa subordinata conceptibus, ità & scripturæ sunt signa subordinata vocibus. hinc est, quod scriptura non significat rem, nisi per vocem: quare qui linguam ignorat, utcumque legat characteres, sensum non percipit. Hoc tamen verum est regulariter; certum enim cæteroqui est dari scripturas rem, non vocem immediatè significantes, ut videre est in hieroglyphicis, aliisque symbolis, ac notis, quales sunt, quibus numeros exprimimus. 1. 2. 3. &c. quæ quidem notæ tenentur etiam ab ignorante scribentis linguam; ac propterea aliter ab aliis juxta suum cujusque idioma efferuntur.

Postremo loco illud notandum, aliter loquendum de vocum, aut scripturæ significatione, aliter de suppositione; utcumque enim significent tum res, tum conceptus, non tamen supponunt (quidquid in contrarium sentiant Nominales, l.1. rejecti) nisi pro rebus, ut enim rectè notat Scotus 1. periher. q.2. *quantumcumque per idem multa significentur, quorum unum significatur in quantum est signum alterius, si illud componatur in oratione cum alio, non est compositio signorum, sed signatorum ultimorum, quia non sunt signa.* hinc superius dixerat, quod *omnis veritas cujuscumque propositionis referenda est ad res; quia illa sunt ultimò significata, & non sunt signa aliquorum aliorum.*

QUÆSTIO SECUNDA

De mentali enunciatione.

CAPUT I.

In quo stet propria ratio enunciationis mentalis.

HÆc mihi controversia difficilis semper fuit in qua nec invenio apud authores, quod mihi plenè satisfaciat, nec fore confido, ut aliquid ego afferam, quod satisfaciat aliis. Conabor tamen non nihil, ut rem hanc ex asse animasticam, & obscuram (nihil enim nobis ignotius, quam nos ipsi) multum tamen ad dicenda tum in præsenti, tum alibi conducentem, ad liquidum pro modo, viribusque perducam.

Illud primum in hac re disputatur, sitnè mentalis enunciatio unus simplex actus, seu qualitas, an vero sit plurium distinctorumque actuum complexio, ut nomen ipsum videtur præ se ferre; compositio enim appellatur à Logicis.

Pro simplici actu pugnant Recentiores turmatim, ut habes apud Suarium Lusit. de An. tr. 3. disp. 2. sec. 2. §. 1. & Oviedum ibidem contr. 6. p. 2. In hanc quoque sententiam conspirant Thomistæ recentes, si credimus Goudino 2. p. Log. q. un. ar. 1. & Scotistæ plerique cum Pontio in Log. disp. 19. q. 4. & Mastrio de An. disp. 6 q. 10. ar. 2. ex antiquis autem Durandus, Gregorius, Gabriel, Ferrariensis, quos citat, & sequitur Aversa in Log. q. 24. sec. 2.

Rationes potissimæ, quibus nituntur hæ sunt.

1. Judicium est quid per se unum, adeoque unus actus, qui per se ponatur in prædicamento. sed ex pluribus actibus intellectus coadunatis non potest componi per se unum; quia nec per se unum essentiale, nec integrale extensivum,

vum; aut intensivum, ut patet: nec aliud per se compositum.

2. Quia sic explicari non potest, in quo stet ratio judicii negativi, quod & divisio nuncupatur, si enim consistat in conjunctione plurium actuum, nec est unum per se, ut modo est dictum, nec est divisio, sed compositio. si verò consistat in actuum divisione, ac separatione, nec est unum per se, nec est unum.

3. Post omnem apprehensionem necessè est ut intellectus novum actum eliciat, quo affirmando, aut negando iudicet, ac de præcognitis sententiam ferat, utrum ea eidem insint, nec ne. Atqui novus iste actus elicitus, quatenus à duplici prævia apprehensione distinctus, & est simplex, ut constat, & habet in se totam judicii rationem; per illum enim intellectus sufficienter affirmat, aut negat.

4. Judicium est cognitio comparativa attingens connexionem, aut convenientiam prædicati cum subjecto. quid enim sit aliud judicare hoc esse illud, quam cognoscere, hoc & illud idem esse, seu exprimere extremorum identitatem? At nulla cognitio potest esse multiplex, quæ est multorum comparativa; neque enim attingi potest habitudo huius ad illud, nisi ab actu simul attingente hoc, & illud, ut est per se indubitatum: ergo cognitio judicativa est una, & simplex.

5. Si judicium simplex actus non esset, nulla esset in mente propositionum diversitas, ubi iidem sunt termini. quare duæ istæ diversissimæ cæteroqui propositiones, *Omnis albedo est entitas*, *omnis entitas est albedo*, non differrent. quià totum discrimen est penes varietatem ejusdem termini à subjecto in prædicatum: quæ variatio est planè inexplicabilis in compositione plurium conceptuum, qui æqualiter nati sunt & subiici, & prædicari; nec differunt loco, ut in propositione scripta, nec semper tempore

[illegible]

[illegible] vocali, [illegible] contingat [illegible] conceptus, etiam qui prius [illegible] est, & [illegible], deinde [illegible] Lebor ergo, [illegible] judicativus [illegible], quia distinctae notitiae [illegible], sed quae aequiva- [illegible] vocibus, vel scri- [illegible] vocem, vel scriptam [illegible]. [illegible] Greg. in prol. q.

[illegible] D. Thomas apud Alaman [illegible] p. 9. a. 1 ubi sex sunt [illegible] S. Doctoris [illegible] simplicem, sed [illegible] P. Suarez l. 3. de [illegible] c. 3. Ruvius [illegible] explicandi ejusdem [illegible] sustineri non [illegible] sententia ab [illegible].

[illegible] judicat de ap- [illegible] praeviis appre- [illegible].

[illegible], aliquid [illegible]; novum eli- [illegible] judicatio [illegible]; adeoque [illegible], con- [illegible].

[illegible] intelle- [illegible], seu expres- [illegible].

[illegible], qui ind- [illegible] manifeste convinci- [illegible] pro- [illegible] nomen habe- [illegible] intellectus [illegible]

[illegible] Ponitis 2. per [illegible]

Id ipsum pe[illegible] scientiae, & pa[illegible] dum est actio [illegible] est insinuati[illegible] aerum inter ip[illegible] ri. Confeem. [illegible] unde consum[illegible] però [illegible] tur in Patre [illegible] ratione di[illegible] mè per ipsam [illegible] datur Patri [illegible] loquitur de [illegible] in [illegible] ad [illegible] [illegible], & cum [illegible]

cessio II. C
ione adiu
non possit
lant simpl
possibile
tivum, i
aut enimn
existentem
utilis, si a
, & hom
nem, qua
& homine
ur de noti
ane si me
n iudicii
rsos a liter
ecto mel
inorum
penetra

esset ad
n esset ut
antè, c
tur, tu
n imbil
sim ple
ente s si
odie nc
oria; si
deest, si
nd: sito
m. h di
it an tea
citus ab
ad q
oum sub
nter ior,
iter ion
gra i n ec
tilo ica
In eo hal
Q

ut in propositione vocali; cum sæpè contingat ui stantibus iisdem conceptibus, etiam qui prius tempore habitus est, & subiiciebatur, deindè prædicetur. Restat ergo, ut actus judicativus non dicatur compositus, quià distinctæ notitiæ in ejus essentia adunantur, sed quia æquivalet in significando pluribus vocibus, vel scripturis propositionem vocalem, vel scriptam constituentibus. Ita arguit Greg. in prol. qu. 1. ar. 7.

In oppositum est D. Thomas apud Alamannium 1. p. sum. phil. p. 19. ar. 1. ubi sex sunt rationes sensibus, verbisque S. Doctoris conflatæ quæ judicium probant esse non simplicem, sed compositum actum. Idem sentit P. Suarez l. 3. de An. c. 6., Vasquez 1. p. disp. 223. c. 3. Ruvius, aliique; quamquam modus explicandi ejusm. compositionem ab his adhibitus sustineri non possit, quin coincidat cum priore sententia ab ipsis rejecta, ut ostendam.

Dico igitur 1. Dum intellectus judicat de apprehensis. novum actum elicit à præviis apprehensionibus contradistinctum.

Prob. vel intellectus, dum judicat, aliquid de novo, vel nihil agit. si aliquid; novum elicit actum: si nihil, ergò dum de non judicante fit judicans, vitaliter non immutatur; adeoque si ante non judicabat, nec modò iudicat, contra suppositum.

Dico 2. actus hic de novo elicitus ab intellectu iudicante non est cognoscitivus, seu expressivus obiecti.

Prob. 1. ad hominem adversus eos, qui iudicium non simplex, sed compositum asseverant, quos mea quidem sententia manifestè convincit quartum argumentum pro prima opinione propositum, ut latè prosequitur Hurtadus, & cum ipso Recentiores passim.

Prob. 2. supponendo, quod nominem hactenus negasse video, progressum intellectus humani esse

esse ab apprehensione ad iudicium; ita ut affirmare, ac negare non possit, nisi subiecti, ac prædicati præcedant simplices apprehensiones. ex quo arguo, si possibile est iudicium formaliter non cognoscitivum, inutile omninò esse cognoscitivum, aut enim nova cognitio terminorum auget præexistentem, aut non auget. si non auget, est inutilis, si auget; ergo melius cognoscit Petrum, & hominem, qui iudicat Petrum esse hominem, quam qui tantùm cognoscit Petrum, & hominem; quod est apertè falsum, si loquamur de notitia absoluta Petri, & hominis: quæ sane si melior sit, & clarior, auget perfectionem iudicii ab ipsa pendentis, non autem è converso; aliter se mutuo augerent in infinitum. Profectò melius iudicatur, intimius penetrata terminorum natura, quæ tamen absolutè non melius penetratur, præcisè iudicando.

Præterea inutilis esset ad iudicium prævia apprehensio. aut enim esset utilis, dum fertur iudicium, aut solum antè, quam iudicium feratur. non, dum fertur, tunc enim habetur cognitio terminorum imbibita in ipso iudicio; adeoque prævia illa simplex utiliter perseverare non potest. non ante; sic enim utilis esse posset ad iudicandum hodie notitia habita heri sine ulla præsenti memoria; siquidem dum notitia non coexistit, perinde est, sive in instanti immediatè prævio, sivè in dissito præextiterit, ut perindè est ad medium hodie illuminandum lux hesterna, ac quæ fuit ante annum.

Prob. 3. actus elicitus ab intellectu iudicante qua tali est ille ipse, ad quem significandum institutum est verbum substantivum. huic autem nullus actus interior per se significativus correspondet; aliter non esset merum syncategorema, sed integra in eo uno haberetur propositio: quod esset Logicam totam invertere. Sic igitur arguo. In eo habetur formalis ratio

iudicii, quod explicatur non per terminos, sed per copulam: atqui per copulam nulla cognitio explicatur. ergò formalis ratio judicii in cognitione non habetur. min. prob. omnis cognitio est per se obiecti sui significativa. Si ergo copula cognitionem explicat, stat loco conceptus per se significativi; adeoque est vox categorematica, imo & tota propositio.

Dico 3. actus de novo elicitus ab intellectu iudicante est actus quidam syncathegorematicus, idem præstans relatè ad prævias simplices cognitiones, quod verbum *est* relatè ad terminos, quos exterius componit.

Ad evidentiam hujus dicti suppono 1. non omnem actum potentiæ cognoscitivæ debere esse cognitionem. & in hoc maximè falsi sunt adversarii, qui totum quantum est intellectuale negotium solo attactu expressivo explicare voluerunt, sed nulla plane huius rei ratio, ac necessitas, ut enim non omnis actus potentiæ judicativæ debet esse judicium, nec discursivæ discursus, nec amativæ amor; ita nec omnis actus potentiæ cognoscitivæ sit oportet cognitio.

Suppono 2 non latius patere vim significandi arbitrariam in vocibus, quam naturalem in conceptibus, cum illa huic accommodetur, cujus vices scil. subit: & præterea non fuerit hominibus natura infœcundior. Ut ergo voces aliæ sunt significativæ per se, & sine addito, aliæ sunt consignificativæ, quæ tamen habent modificare significationem alterius: ità planè conceptus. quare ut hic terminus *Omnis* seorsim in nullius rei cognitionem inducit, sed alterius termini, cui additur, significationem distribuit; ità est in anima proportionatus conceptus per se nihil exprimens, sed accommodans se confusæ, communique cognitioni, eamque stare faciens in distributiva suppositio-

ne.

ne. quod idem dico de conjunctionibus, de præpositionibus &c. Velle autem omnia ista per cognitionem explicare, est se aliosque confundere, & nihil planè dicere. perindè enim est conceptus ab anima syncategorematicos eliminare, ut à sermone syncategorematicas voces; cum præsertim voce aliis, conceptu, qui sermo est mentis, sibi quisque loquatur.

Jam verò ut verbo *est* in quantum formaliter est copula, nihil per se significatur: sed illud est nota, quæ inter duos terminos statuta, in identitatem suppositionis eosdem trahit, & audientibus est signum, eos pro re una, eademque supponere: ità mens dum judicat, in conceptum erumpit copulantem intentionaliter præsuppositas cognitiones, aut eas intẽtionaliter dividentem. hæc autem conjunctio, ac divisio non realis est, sed intentionalis, seù in esse non rei, sed signi; & stat in eo, quod sit naturale quoddam signum, alius quidem conceptus cognitiones supponere pro eodem, alius cognitiones supponere pro distinctis. Neque ad hoc est opus cognitione, sed quemadmodum amor licet amati non expressivus, est tamen vitalis ad illud tendentia, experimentaliter reddens animum de sui existentia certum; item hic actus vitaliter tendit ad obiectum ut præcognitum, nihil de eo exprimens, sed tantùm notans, idem esse, aut distinctum, quod uni, & alteri cognitioni subest. Ex qua etiam ratione fit, ut intellectio non sit, ad intellectum tamen pertineat veri, à falso discretivum; cùm in eo maximè actu formalis veritas habeatur, ut sequenti quæstione declarabitur.

Dico 4. quamvis judicium si stet pro formali, sit simplex actus, dum tamen judicium absolutè, & completè dicimus, non unum, sed triplicem actum significamus.

Prob. actus ille ab intellectu judicante præviis cognitionibus additus, unus & simplex

est. in eo autem haberi rationem judicii, patet; est enim id, quod determinat eas cognitiones, ut judicium componant, & ultimo distinguit judicium à non judicio. Cæterùm unum ipsum completum judicium non esse, etiam patet; quia in completo judicio significatio habetur, & veritas, & falsitas: sola autem copula, ut per se non significat, ità seorsim nec veritatem habere potest, nec falsitatem. Hæc omnia paritate enunciationis externæ abundè explicantur, quam scilicet proportionaliter ut internam, ad ejusque amusim procedere hactenus contendi.

Ad 1. pro prima sententia dico, majorem esse veram de judicio sumpto pro formali. quod verò completum judicium non sit physicè per se unum, nihil habet absurdi; non enim tollit, quo minus possit unica definitione definiri, ut constat in judicio vocali. & quidem ad definitionem est satis. si omnes illi actus confundi possint in unica ratione signi, veritatis, falsitatisque susceptivo.

Ad 2. dictum jam est, divisionem, seù judicium divisivum, ac negativum non consistere in reali actuum separatione, ut nec comparationem seù judicium affirmativum in reali compositione actuum; sed in appositione signi syncategorematici, quod sit nota trahens prævia signa categorematica in suppositionis distinctionem in actu divisivo, identitatem in actu compositivo.

Ad 3. patet ex dictis in 4. concl. quod actus simplex per judicium superadditus, ut habeat formalem. non tamen habet totam judicii rationem.

Ad 4. vide dicta in concl. 2. quam probat hoc ipsum argumentum.

Ad 5. resp. illud habere eandem, imò majorem vim in adversariorum doctrina. qua enim ratione ipsi in simplici cognitione subiectum à

præ-

prædicato distinguant, cùm apparentiæ subiecti, & prædicati non solum sine differentia loci, ac temporis penetratæ sint in eodem subiecto, sed etiam identificatæ in eodem actu? Cæterum apud nos non plus habet difficultatis hæc res in interno, quam in externo judicio, ut enim scimus, quod sit enunciationis subiectum (grammatici orationis fundamentum appellant) etiam inverso ordine prolatæ: ita & multò magis novit intellectus, dum judicat, quod sibi potissimum statuit suæ affirmationis substratum.

CAPUT II.

Utrum enunciatio in affirmationem, negationemque divisa distinguatur à judicio diviso in assensum, & dissensum.

OCcam in prol. q. 1., Gabriel, Rubionensis, & Maior, homines cæteroqui de Nominalium instituto rerum multiplicandarum abstinentissimi, hic præter morem satis liberaliter agunt, dum adversus omnem reliquorum sensum secundam intellectus operationem in duplicem actum distribuunt, ab enunciatione judicium non ratione solum, sed re distinguentes. In contrarium est Gregorius q. 1. prol. ar. 3., Fonseca 6. met. c. 1. q. 3. aliique passim cum Aristotele, & D. Thoma infrà citandis.

§. I.

Eligitur, & probatur resolutio negativa.

CUm his equidem sentio, aioque enunciationem à judicio nullatenus distingui. Arguo enim 1. nulla est distinctio rerum, ubi

ubi nulla est distinctio rationum. atqui sub his nominibus nulla est rationum distinctio. ergo nulla rerum. major est certa; quia sub omnimoda indistinctione rationum non est distinctio nisi ad summum materialis; & numerica, de qua non est præsens quæstio; quis enim neget dari enunciationes, & assensus numerò inter se distinctos? lis est, utrum isti sint actus distincti specie, quorum alter alterum natura consequatur: quod sine distinctione rationum haberi non potest. jam minor probatur, petendo à Nominalibus, ut rationes distinctas nominibus hisce subiectas assignent. quod si non præstant, aut ea nomina pro eodem stare dicant; aut concedant tot esse actus, quot nomina, adeoque assensum, adhæsionem, judicium tres esse actus; atque ita de aliis.

Sed hunc ego laborem iis adimam, ostendamque, istorum nominum legitimas notiones in ipsam enuntiationem formalissimè cadere. prius tamen sumo, quod negari non potest, nec ab adversariis negatur, intellectum enunciando verum & falsum dicere, & quidem sibi; nam sibi dicere, & sibi loqui non est, nisi signum intellectivum in se ponere, quo innotescat rem ità esse, aut ità non esse: quod ex dictis cap. sup. enunciatio per se præstat. Jam hinc apparet, cur enunciatio dicatur assensus, dicatur adhæsio, dicatur judicium. Assentire, ait D. Thomas. 1.2.q.15.ar.1.ad 1. *est quasi ad aliud sentire*. potest autem explicari per habitudinem ad obiectum, ad quod distans sensum suum fert intellectus: sentire autem intellectuale non habetur, nisi per dicere. hinc dicunt homines, quod sentiunt, cum dicunt ore, quod dicunt mente; cujus oppositum est mentiri, quod fit, cum aliud ore, aliud mente dicitur, & potest explicari per habitudinem ad motivum. quatenus stante motivo suadente unam partem, ad hoc fert sensum suũ intellectus, dum dicit, quod

ab

ab illo suadetur, ponitque in se signum, quo ostendit hanc partem præ opposita veram esse; & hoc est motivo assentiri, eique conformari. Quod & constat ex communi acceptione; assentiri enim cuipiam dicenti, Petrum v. g. esse in foro, non aliter vulgò fit, quam item dicendo, Petrum esse in foro. itaque iuxta communem hominum sensum is dicitur alteri assentiri, qui dicit, quod alter dicit. assensus ergo dictio est, adeoque enunciatio, solùm connotans alterius dictum, aut quasi dictum, cui conformetur.

Hinc rursus patet. quod adhæsio in enunciationem pariter cadit; tum quia adversarii ipsi fatentur non aliud formaliter esse assentiri, & adhærere. tum quia uni adhærere est unum sequi, relicto altero, & quia in conflictu veritatum, & motivorum intellectus unum amplectitur, & alterum reiicit, dicitur uni adhærere, & ad illud accedere. Hinc demum apparet, cur enunciatio iudicium appellatur, quia scilicet sedet intellectus veluti arbiter inter veritates, & motiva; tum pro uno sententiam fert. quid est autem sententia, nisi dictum. & propositio in forma non dubitationis, sed assertionis pronunciata, & significans veritatem, aut (si prosequenda sit metaphora iudicii) ius ad veritatem unius præ alio? Quamvis autem iudicet quandoque & non inter opposita motiva, hoc non tollit, quo minus nomen fuerit impositum ex eo, quod plerumque contingit.

Dices 1. assensum, & adhæsionem cadere de sua natura suprà verum, ut iam enunciatum. Sed contra; rogo enim, unde hoc habes? certè declaravi satis, quatenus hæc nomina dicuntur de enunciatione directa. non nego tamen cadere quandoque suprà reflexam; sed tunc habetur iudicium enunciationis, ut habetur non rarò iudicium iudicii.

Dices 2. intellectum comparari ad verum

per

per assensum, & ad falsum per dissensum, ut voluntas comparatur ad bonum per prosecutionem, & ad malum per fugam. Sed contrà, vel enim vis, ut intellectus re ipsa prosequatur verum, & aversetur falsum; atque ità ex duplici capite reiicieris. 1. quia confundis potentias, & ex intellectu voluntatem facis non solum in sensu materiali. sed & formali. 2. quia prosequi etiam verum (sub qua ratione verum induit rationem boni) non intellectus est, sed voluntatis: quæ quidem cum sit universalis potentia, bona inferiorum etiam potentiarum respiciens, & ex hoc super illas naturaliter dominans, ut ait Philosophus, ipsa quoque verum in quantum est bonum intellectus prosequitur vel per desiderium, si sit absens, vel per delectationem, si illud sit præsens. Vel vis intellectum non prosequi verum, nec fugere falsum, sed aliquid his proportionale habere; & jam hoc proportionale contendo nihil esse præter affirmationem, & negationem. quod sanè, præter jam dicta, constat ex illustri testimonio Aristotelis, & D. Thomæ. & ille quidem 6. eth. c. 2. sic ait: *est autem id in appetitu prosecutio, & fuga, quod est in mente affirmatio, & negatio*. In quæ verba D.Th. lec. 2., *Intellectus*, inquit, *in judicando habet duos actus, scil. affirmationem, qua assentit vero, & negationem, qua dissentit à falso: quibus duobus respondeat duo proportionaliter in vi appetitiva, prosecutio, qua tendit in bonum, & inhæret ei, & fuga, qua recedit à malo, & dissentit ei.*

Dices 3. assentiri esse quoddam annuere dicto, & enunciationi jam conceptæ; dissentiri esse quoddam abnuere. Sed nova verba cumulantur; nulla prætereà additur nova ratio. an non enim annuere, & abnuere est dicere, adeoque enunciare? quid est annuere, nisi dicere, quod sic, seù dicere, quod res ita est? quid est abnuere, nisi dicere, quod non, seù

quod res non est ità? neque verò alia notio his verbis subiicitur in Calepino; neque aliter mentis nostræ nutum, assensum, affirmationem, nisi per idem verbum *est*, nec aliter abnutum, dissensum, negationem, nisi per idem, *non est*, exponimus. Nec juvat cum Nominalibus dicere, id nasci ex penuria vocabulorum; hanc enim penuriam ipsi sibi fingunt ut asylum ad fugam. Profectò ut fuerint linguarum institutores parci in vocabulis tradendis, cum non omnia semper occurrerint, quibus nomen imponerent: at verò in explicandis exteriùs generalibus interiùs tendendi modis parcos eos fuisse dici non potest citra eorum injuriam; cum & inexcusabiles sint; & aliunde constet tam multiplices eos in hac parte fuisse (ut videre est in variatione verborum per alios, & alios modos) ut excessisse potius videantur, quam in aliquo defecisse. In qua re miror valde, genti cæteroqui nominum fœcundissimæ, unde & nomenclationem sortita est, hic aquam ità hæsisse, ut deficientibus vocibus, ad rem aliquando confugeret. sed magis miror, quod actum nescio quem vocibus inexplicabilem, & experiatur una ipsa, & afferat, cujus tamen ne quid nominis quidem possit ostendere.

Arguo 2. destruendo Nominalium fundamentum ab experientia desumptum docente, ut ajunt, quandoque intellectum enunciare propositiones neutras, ut istas, *Rex dormit*, *astra sunt paria*; quibus tamen ex defectu motivi nullum præstat assensum. supponunt ergò posse intellectum aliquid affirmare sine motivo. atqui hoc esse falsissimum sic ostẽdo; tam est impossibile intellectum adhærere obiecto per se indifferenti sine motivo adhærendi, quam affirmare sine motivo affirmandi, atqui illud est omnino impossibile etiam per adversarios. ergo & hoc: majorem probo. ut enim quià intellectus est ad verum, non potest assentiri, nisi doceatur

veritatem sui assensus; ità nec poterit affirmare, nisi doceatur veritatem suæ affirmationis; aliter utrobique se exponeret periculo habendi in se actum, per quem cum falsitate coniungeretur, & utrobique extraheretur à sphæra obiecti sui, quod est verum. Addò id magis esse impossibile in affirmatione, quam in assensu; nam per solam affirmationem intellectus est verus, aut falsus, cum per assensum sit potius certus, aut incertus, ut adversarii ipsi fatentur.

Conf. si enim affirmatio motivo non eget, adeoque non eget apparentia veritatis, poterit affirmari etiam falsum cognitum ut falsum; & negari etiam verum cognitum ut verum. Sequela est absurdissima. ergo & antecedens. prob. major. quia si dum affirmat, aut negat, non debet intellectus attendere veritatem, jam affirmat, aut negat, nihil moratus, verusnè sit actus, an falsus; adeoque est in ea dispositione, ut affirmet etiam falsum, & neget etiam verum.

Absurditas autem sequelæ constat 1. quià sic posset intellectus sciens, volensque se imperficere; an non enim intellectus est imperfectus, qui actum in se falsum habet; quæ est enim intellectus imperfectio, nisi falsitas? Constat 2. quia sic possent negari ipsa prima principia. mirum autem esset, si assumerent ut certum ab experientia Nominales, posse aliquem seriò sibi dicere, *duo & tria non faciunt quinque, idem potest simul esse, & non esse*. Non hoc certe assumpsit Philosophus, qui 4. met. apud Fonsecam citatum sec. 2. primum omnium principium ait ita notum esse in veritate, ut mente à nemine negari possit. hinc illud vulgò jam protritum, disputandum non esse contrà negantes prima principia; habendi enim sunt ut plane stulti.

Arguo demum 3. Intellectus est ad verum: verum autem ex Philosopho non in re, sed in ani-

anima ad differentiam boni,quod non in anima, sed in re,ubi ergo intellectus habet in se verum, non potest in alium actum natura prodire,cum, obtento fine, cesset motus,atqui per solam enunciationem habet in se verum ;ut constat; habere enim in se verum est habere actum suum obiecto suo conformem, ratione cujus dicatur obiectum possidere in esse intentionali, ergo frustra superadditur alius actus iudicativus.

Conf. quia sola enunciatio veritatis, & falsitatis est capax iuxta adversarios : assensus enim, inquiunt, non verus, & falsus, sed certus, incertus, evidens, inevidens dici debet, ergo sola enunciatione intellectus possidet verum. Ut autem non est actus in voluntate ultrà possessionem boni. quæ fruitione completur; ita nec in intellectu est actus post enunciationem, qua una tenetur verum. Quod autem dicunt assensum addere certitudinem, & evidentiam, facilè refellitur ostendendo has ipsas perfectiones enunciationi competere. Evidentia. n. ut l. 3. dicam, est determinatio orta ex notitia vel manifesta terminorum, vel intuitiva rei, quid est autem, cur affirmatio ab hujusmodi notitia non determinetur; imò ipsa est prima, quæ determinatur, & post ipsam assensus juxta Nominales. ergo ipsi primò competit evidentia. Deinde certitudo aut est obiectiva, connexio nim. actus cum obiecto profecta ex natura vel obiecti, vel actus, vel utriusque : aut est subiectiva orta ex voluntate, aut efficacia motivi formidinem submoventis, aut impossibilitantis ; utraque manifestè in enunciatione reperitur, ut patet consideranti.

§. II.

§. II.

Satisfit adversariorum obiectis.

AUdiendi nunc adversarii sunt, qui primò opponunt, quod superius dicebamus de propositionibus neutris, quibus nullum intellectus præbet assensum, est igitur enunciatio sine assensu, nec licet dicere, in eo casu vocalem dumtaxat enunciationem haberi sine mentali; clamant enim adversarii gratis hoc dici; necapparere, quo pacto posset convinci, qui idem pariter assereret de quavis alia enunciatione; ita ut negetur omnis enunciatio mentalis, & concedatur vocalis tantum mentaliter apprehensa.

Opponunt 2. potest dari enunciatio vocalis citrà omnem assensum, ut conceditur, ergo & mentalis, consequ; prob. ut enim potest uniri vocaliter vox ista *hircus* huic voci *cervus*, suspendendo omnem assensum; ità & potest mentaliter conjungi conceptus respondens voci *hircus* cum conceptu respondente voci *cervus* citra omnem mentalem assensum, quæ enim in hoc repugnantia?

Opponunt 3. non solum in voce, sed etiam in mente datur quæstio constans duplici propositione, altera affirmativa, altera negativa, sed non constans ex duplici judicio; quia in quæstione nihil judicatur, sed pars utraque judicanda proponitur, ergo propositio, seù enunciatio à judicio, distinguitur.

Opponunt 4. sæpe & in voce, & in mente utimur propositionibus apertè falsis; ut cum Dialectici syllogizant vel in terminis nõ significativis v.g. *Omne A est B: Omne C est A: ergo omne C est B*: aut in terminis significativis v. g. *Omnis homo est lapis: omnis equus est homo: ergo omnis equus est lapis*, sed cum ita syllogizant, enunciant

ciant quidem; quod esse syllogismus sine enunciatione non potest: non tamen assentiunt, ergo enunciatio non est assensus.

Ad 1. vide quæ suprà dixi in secunda probatione conclusionis, ad ostendendum quàm male Nominales hanc in nos urgeant experientiam. Dico autem directè; ibi non intercedere, nisi meram apprehensionem vocalis propositionis, quod ego id non gratis asseram, ostendunt, quæ superiore §. in probationem conclusionis congessi, quod tu non rectè illud absurdum inferas, ostendo ex eo; quia nunquid non potest contingere aliquando, ut propositio exterior proferatur sine interna enunciatione, sed sola prævia simplici ipsius cognitione, accedente voluntatis imperio? quæ enim in hoc repugnantia? sed quæso te, num rectè in eo casu interres, posse semper ità contingere: adeoque nullum unquam esse in intellectu proprium, & formalem assensum? quid ergo tunc responderes per tuum arguendi modum sic instanti? si. potest quandoque enunciari quidquam vocaliter non enunciatum mentaliter, non potest convinci, qui omnem eliminet enunciationem mentalem. Atqui potest aliquid aliquando vocaliter enunciari mentaliter non enunciatum, ergo non potest convinci negans omnem enunciationem mentalem.

Præterea mentiri est contra mentem ire, seu aliud ore, aliud mente dicere v.g. dicere ore, *Petrus est in foro*, dum dicitur mente, *Petrus non est in foro*, quid? si hic etiam clamites: potest quandoque aliquid dici ore, dum oppositum dicitur corde: quid ni ergo semper id contingat? respondebitur enim facilè, id contingere in mentientibus; in reliquis non item, nisi forte omnes mentiantur. Idem dico in re nostra, quandoque contingit, ut vocalis propositio proferatur sine mentali, cum propositio est neutra, nec est motivum pro una potius parte, quam

pro altera, ergo semper id continget; semper quidem, si semper motivum desit, at si motivum adsit, quid prohibet, quo minus intellectus affirmet?

Ad 2. potest illud retorqueri; ut enim omnis affirmatio vocalis est assensus vocalis (fatentur hoc ipsi adversarii, qui duos hosce actus ut in anima, non sic in voce distinguunt, ajuntque id contingere ex penuria vocabulorum) ita erit assensus mentalis omnis affirmatio mentalis, ut suprà arguebam, non negaverim affirmationem, seù assensum vocalem non semper esse assensum simpliciter, & humanum; quia in hac denominatione constituitur vocalis assensus per internum animum seriò agendi, loquendique, qui si desit, deest consequenter ratio assensus humani, & simpliciter dicti: & dumtaxat habetur prolatio materialis, qualis est in psittaco, at interna locutio, quæ per signa naturaliter significantia perficitur, animo distincto non eget tanquam forma, per quam reponatur in ratione assensus, & locutionis humanæ. Quod si urgeas: potest quis ponere enunciationem externam falsam, ergo & internam; redargueris pari instantia: potest quis ponere assensum externum falsum, ergo & internum.

Ad 3. vel dico, in quæstione solas apprehensiones vocalium, aut etiam mentalium propositionum haberi sub nota dubitationis, vel dico, fieri tunc etiam complexionem aliquam intentionalem, quæ tamen simpliciter enunciatio non est; ut enim compositio evadit divisio per solam appositionem syncategorematis negativi, quo termini trahuntur in suppositionis distinctionem: ità & distrahitur enunciatio per appositionem syncategorematis dubitativi, ut sit non amplius enunciatio, sed quæstio. Hinc autem nihil fit adversus dicta: ut enim judicium ab enunciatione distinguatur, opus esset probare, quod in tali casu manet enuntiatio, & non

& non judicium, sed hoc est falsum; quis enim propositionem dubitativè propositam affirmationem simpliciter, aut negationem appellet.

Ad 4. respondeo, quod ii, aliique ejuscemodi syllogismi non veniunt ut actus, sed ut obiecta. Dialectici enim non curant in exemplis veritatem, aut falsitatem propositionum, adeoque nec enunciationes morantur, nec assensus, sed solam attendunt bonitatem illationis, de qua una & enunciant, & judicant.

QUÆSTIO TERTIA:

De Propositionis veritate.

CAPUT I.

Quid sit veritas, & an sit enunciationis propria.

VEritatem hic loquimur non obiectivam; quæ est entis transcendens passio in metaphysicis consideranda, sed formalem, & logicam, quæ & prædicamentalis dicitur; & juxtà Aristotelem, aliosque omnes post ipsum consistit in adæquatione, commensuratione, conformitate propositionis enunciantis cum obiecto enunciato, ut ea scilicet dicatur propositio vera, quæ enunciat esse, quod est, aut non esse, quod non est: ea vero ex opposito falsa, quæ enunciat esse quod non est, aut non esse, quod est, ex eo enim quod res est, aut non est, enunciatio vera, vel falsa dicitur, ut habetur in cap. de subst & Aug. l. de vera Relig. c. 36. *cui manifestum est*, inquit, *falsitatem esse, qua id putatur esse, quod non est, intelligit eam esse veritatem, qua ostendit id, quod est.*

Difficultas nunc est, an hæc conformitas,

in qua veritas consistit, sit cognitionis ad rem, an rei ipsius ut cognitæ ad se ipsam. Hoc secundum sentit Durandus in 1. dist.19. quæst. 5. atque ita etiam loquitur Herueus, Soncinnas, Flandria, Javellus apud Suar. disp.8. met. sec.1. quos sequitur Vasquez 1. p. disp.76. ar.1. Ratio Durandi ea est; quod veritas non potest esse conformitas actus enunciantis cum re enunciata. Vel enim actus consideratur subiectivè, & entitativè; atque ita certe similis non est, sed dissimilis obiecto; adeoque non potest in hoc stare propria ratio veritatis, vel consideratur obiectivè, & repræsentativè; atque ita conformitas attenditur secundum id, quod in intellectu obiectivè se habet; cum enim dicitur, quod intellectus intelligit rem sic esse, sicut ipsa est, *sic*, & *sicut* sunt notæ conformitatis, & sunt tamen conditiones obiecti, quod dicitur sic esse, sicut est cognitum, ergo in ipso obiecto est conformitas sui ad se, secundum aliud tamen, & aliud esse; quatenus secundum esse intentionale, quod habet in anima, conformatur sibi secundum esse reale, quod habet in se.

Verum hæc lis tota est de modo loquendi, in quo attendendus communis usus. Et quidem, ut ponderat D. Thomas 1. p. q. 16. ar. 1: ad 3. Oratio vera dicitur, ex eo quod res est, non ex eo quod vera res est. Præterea 6. met. verum & falsum non in rebus, sed in anima ponitur. Non negaverim tamen hanc ipsam denominationem à cognitione in rem ipsam derivari, quæ ut repræsentata, & enunciata, ità verè, aut falsò repræsentata, & enunciata denominatur, quod unum argumento suo probat Durandus. Sed ex hoc ipso fit veritatem non in re, sed in cognitione haberi; res enim verè intellecta dicitur, quia vera est & conformis intellectio ipsam repræsentans: quemadmodum dicitur quis ad vivum per picturam expressus, quia pictura ipsũ ad vivum exprimit. Est autem regula

gene-

generalis, quod quoties prædicatum appellat suprà formale, non suprà materiale subjecti, per prius dicitur de forma, quam de subiecto, sic dum quis bonus artifex nuncupatur, bonitas prius in artem, quam in artificem cadit.

Scio esse alium sensum, in quo illi authores hanc sententiam tuentur: cum enim distinguant cognitionem à verbo, quod unum statuunt qualitatem obiecti expressivam, conformitatem non attendunt penes cognitionem, sed penes verbum, quod est obiectum ipsum in esse non reali, sed intentionali. Verum quia suppono ex dicendis in de anima cognitionem ipsam esse per se formaliter verbum, quæstio in hoc sensu locum apud me non habet.

Major est controversia, num hæc veritas sit enunciationis propria, an competat etiam simplici apprehensioni.

Quod non sit propria enunciationis, suadet 1. authoritas Aristotelis 3. de anima t.26. ubi juxta interpretationem D.Th. ait, quod intellectus intelligendo incomplexum verus est, in quantum adæquatur rei intellectæ; quamquam neget secundùm hoc esse capacem deceptionis, & falsitatis. 2. quia veritas est conformitas intellectus cum re. atqui in simplici etiam apprehensione est conformitas, ut constat, ergo & veritas, 3. in intellectu Divino, & Angelico est sine dubio veritas, nulla autem ibi compositio, & divisio, ergo est aliqua veritas extra judicium.

Quod autem veritas propria sit enunciationis, suadet 1. authoritas ejusdem Aristotelis 1. periher. c. 1. ubi ait, quod *aliquando est intellectus sine vero, & falso; aliquando, cui alterum horum inesse necesse est, circa compositionem enim & divisionem est verum, & falsum*. tum c. 4. orationem enunciativam definit per hoc, quod in ea verum sit, vel falsum, omnis autem seu definitio, seù descriptio fit per propria. Idem habet D.Th.

D.Th. 1. p. q. 16. ar. 2. Præterea veritas opponitur contrariè falsitati. ibi ergo est veritas, ubi falsitas, contraria enim sunt circà idem. at falsitas in solo judicio est. ergo in solo judicio est veritas. Quod confirmatur paritate vocum, in quibus nulla veritas, dum simplices sunt, & incomplexæ, sed solum dum componuntur invicem per verbum *est*. idem ergo dicendum de actibus intellectus, quorum signa sunt voces.

Ex his dicendum aliquam esse veritatem communem apprehensioni, & judicio; quod probant argumenta prioris partis: aliam esse veritatem propriam judicii; quod probant argumenta partis posterioris: sed ita ut prima sit veritas largè dicta, quæ propria intellectus non sit, sed communis etiam sensui, imo & statuæ, & picturæ: altera sit veritas rigorosa, quæ alibi non est, nisi in uno intellectu formaliter, ut in nobis, virtualiter, & æquivalenter, ut in Deo, & in Angelis, componente, & dividente.

Hanc specialem iudicii veritatem explicat S. Thomas l. cit. dicens, quod per simplicem notitiam est veritas in intellectu solum ut cognoscente rem, sed non ut cognoscente ipsam veritatem: at per compositionem est veritas in intellectu ut cognoscente rem, & veritatem. Hoc dictum potest 1. sic exponi, ut sensus sit, veritatem propriam iudicii consistere in cognitione quadam reflexa attingente conformitatem cognitionis ad rem. 2. sic, ut sit sensus eam veritatem stare in cognitione convenientiæ prædicati ad subiectum, ut exponit Suarius. 3. sic, ut sit sensus per iudicium significari ab intellectu exercite rem esse, aut rem non esse: & quia iuxta veteres Peripateticos esse rei dicitur verum, non esse falsum, solum iudicium dicitur cognitio non solum rei, sed veritatis; ut censent Conimbricenses.

Prima expositio sustineri non potest, eamque tripliciter reiicit Caietanus 1. quia cognitio con-

conformitatis haberi potest etiam in apprehensione simplici; quæ est attactiva definitionis; & ista conformitas definibile quiddam est. 2. quia hinc fieret, ut veritas formalis non esset in intellectu nisi suprà se, suósque actus reflexo, quod est falsum; quia etiam intellectus directè de obiecto iudicans, verum aut falsum dicit. 3. ex textu ipso S. Doctoris constat hanc non esse mentem ipsius; probat enim hanc veritatem cognosci ab intellectu componendo solum, ac dividendo, non autem reflectendo.

Altera expositio verum habet, si coincidat cum tertia, alioqui enim probatum in superioribus est, iudicium qua tale neque supponere, neque esse cognitionem convenientiæ prædicati cum subiecto, sed solum esse quandam attributionem prædicati ad subiectum, intentionalemque eorundem copulam, qua significatur prædicatum convenire subiecto, ac pro eodem supponere.

Et hoc est quod dicit tertia expositio, per iudicium significari exercitium essendi, aut non essendi vel simpliciter, vel taliter; in quo intellectus differt à sensu, qui ut habeat sensibilis expressam in se imaginem, non tamen unum alteri tribuit, nec fertur supra suum obiectum significando, quod ita sit, vel non sit. Porro autem in hoc haberi rigorosam veritatem, constat ex communi hominum sensu; cum enim voces sint loco conceptuum; quemadmodum in vocibus inconplexis veritatem non agnoscimus (dum enim quis hanc simplicem vocem, *Petrus*, protulit, nemo illum dicit verum dixisse, aut falsum) ita nec in simplicibus conceptibus. Quam ob rem in veritate non attendimus conformitatem cognoscentis, sed dicentis, h. e. affirmantis aut negantis, tribuentis aut removentis prædicatum à subiecto. Cæterum ex dictis quæstione superiori constat, hoc iudicium posse haberi per formalem conpositionem, ac divisionem, ut in

nobis, & posse haberi per simplicem intuitum, ut in Angelis; qui tamen intuitus non est mera apprehensio, sed virtuale, & æquivalens iudicium. Stat ergo, rigorosam veritatem in solo actu iudicativo haberi; quamvis impropria, & communis quædam veritas sit etiam in apprehensivo.

CAPUT II.

Num veritas sit adequatè intrinseca actui vero.

ACtus potest esse verus contingenter, & potest esse verus necessariò. Qui affirmat Petrum sedere ex fallibili testantis authoritate, Petro sedente, verum affirmat; sed quia vel in sensu composito huius affirmationis Petrus potest non sedere, & testis falli, aut fallere, consequens est, ut nulla sit in eo actu connexio necessaria cum suo verificativo; adeoque accidit illi veritas. At qui affirmat Deum esse, & verum dicit, & necessariò verum; neque enim fieri potest, ut Deus non sit.

Verum hæc ipsa necessitas veritatis ex duplici prætereà capite oriri potest. 1. ex perfectione, & natura obiecti. 2. ex perfectione, & natura actus. primo modo non habetur veritas necessaria, nisi obiectum sit necessarium. secundo modo potest esse necessario vera propositio etiam de obiecto contingente. Sit exemplum. Dum quis ex magistri authoritate affirmat triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, habet actum verum, & necessariò verum sed hæc necessitas non est ex natura actus, per se quidem ex proprio tendendi modo indifferentis ad veritatem, & falsitatem, sed est ex obiecti conditione, cui scilicet prædicatum est essentiale, adeoque conveniens necessariò. Similiter dum quis intuetur Petri sessionem, aut eam per actum.

actum Fidei supernaturalis enunciat, habet actum necessariò verum, non ex necessitate obiecti, sed ex perfectione actus intuitivi, aut supernaturalis, cuius est non posse esse, nisi obiectum supponatur ita esse, ut ab actu enunciatur. Postremò possunt duæ istæ necessitates in eodem actu coadunari, ut de facto coadunatur in Dei visione, quæ est necessariò vera, & quia intuitiva, ac supernaturalis, & quià de objecto immutabiliter tali.

Jam de omni actu seù contingenter, seu necessariò vero dicendum universaliter censeo, illum esse verum per veritatem sibi adæquate non intrinsecam, sed consistentem in complexo actus, & objecti. Quæ videtur sententia Philosophi c. de sub. ubi ait, quod *Oratio, & opinio ipsa quidem immobiles omninò perseverant; cum vero res movetur, contraria circa ipsas fiunt*. sentit ergo Philosophus veritatem orationis mutari per solam mutationem obiecti; obiectum ergo veritatem orationis, & enunciationis constituit.

Ratio est ex ipsâ notione veritatis, quæ stat in conformitate, & commensuratione utriusque, ut ita sit objectum, quemadmodum esse à propositione affirmatur, & ita non sit, quemadmodum negatur. atque hoc est, quod voluit Aristoteles, dum ait, propositionem veram, vel falsam esse ex eo quod res est, aut non est; quia scil. hoc est quod formaliter affirmationem vel negationem veram facit, quod res sit, aut non sit, ut enunciatur. Itaque ut objectum sit extrinsecum cognitioni, non tamen est extrinsecum veritati, quæ cum sit commensuratio duorum, utrumque intrinsecè, & constitutivè importat, objectum ut verificativum, actum ut verificatum; objectum ut mensuram, actum ut mensuratum.

Quod totum est manifestum in sententia, quam hic suppono, nullam agnoscente formam

ut ajunt, mediam specialem in relationibus præsertim primi generis.

Et hac quidem sententia supposita, indubitatum est veritatem contingentem ita, ut dictum est, esse constituendam; cum enim eo ipso, quod propositioni accidit veritas, vera per se ipsam propositio non sit, nec sit forma relationis superaddita, per quam sit vera, consequens est ut sit vera per se, & per objectum modo explicato. Sed ex hoc ipso idem ostenditur in propositionibus veris necessariò; est enim veritas eadem in omnibus, nec aliter in his, quam in illis explicatur. necessitas verò, quæ in his habetur non pertinet formaliter ad veritatem: nemo enim est, qui explicet veritatem aut per necessitatem objecti, aut per exigentiam, & connexionem enunciationis cum re, sed per solam conformitatem, & adæquationem. sic quia esse calidum in aqua nihil est, nisi habere calorem, hoc idem importat esse calidum in igne; nec quia igni naturalis est exigentia, & connexio cum calore, variatur propterea significatio calidi. Idem dic in re nostra. Propositio necessaria exigit veritatem, cum eaque connectitur, cum contingens veritatem indifferenter respiciat: utraque tamen univocè est vera, & quod est veritas contingentis, hoc est veritas necessariæ; totumque discrimen est extrinsecum penes principium exigens, aut secus: quod est præter veritatis conceptum in sola conformitate absolutum.

Obiic. 1. Philosophum 6. met. dicentem, verum & falsum esse in anima, bonum autem & malum in rebus. ut ergò bonitas est tota in re extrà, ita & veritas tota est in cognitione intra animam.

Quid sibi voluerit iis verbis Philosophus, in Ethicis declarabitur ex professo. Unum hic dico pro re præsenti, quod ut bonum & malum est in re, quamquam in hac ipsa ratione constituatur

tur per subjectum, quod est anima, ut mox dicam. ità verum & falsum est in anima: quamquam in ratione veri actus denominatus constituatur per objectum, quod est extra animam.

Obiic. 2. Veritas est propria perfectio actus intellectivi, quam quidem intellectus respicit ut finem. ergo est adæquate intrinseca actui: aliter intellectus à fine ultimatè intento non vitaliter, & intrinsecè perficeretur.

Conf. 1. Falsitas est intrinseca actui falso. ergo & veritas actui vero. antec. prob. aliter nulla esset ratio, cur Deo actus falsus repugnaret, si posset intellectus ex vero evadere falsus, nihil amittendo de intrinseca perfectione. Conf. 2. bonitas, & malitia sunt adæquatè intrinsecæ actibus voluntatis. ergo item veritas, & falsitas actibus intellectus.

Resp. propriam perfectionem intellectus esse actum verum, qui & vitalis est, & intrinsecus ipsi. Rursus in hoc actu specialem aliquam perfectionem intrinsecam spectat pertinentem ad lineam veritatis, si minus ut formam saltem ut principium, & radicem cum veritate necessariò ut in evidentibus, ac certis, vel ut plurimum, ut in probabilibus, connexam, ac potentiam certificantem de actus sui conformitate. atque hic est finis potentiæ intelligentis, quæ objectivam ipsam veritatem non in se, sed in sui tantùm similitudine quærit.

Ad 1. conf. nego antec. & ad ejus prob. dico intellectum non posse ex vero evadere falsum, nisi sit imperfectus; habeatque actum nulla necessitate cum vero connexum: quod repugnat intellectui divino. Ad 2. conf. sunt qui conantur dare disparitatem inter actum bonum, & actum verum; quià actus ut sit bonus, non requiritur ut objectum sit, sed ut appareat bonum, adeoque non potest bonus constitui per ipsum objectum. at verus est actus per objectum, quod ita revera sit, ut enunciatur sed hæc responsio non

satisfacit; ut enim probet non constitui actum bonum per objectum bonum, adhuc urgetur debere saltem constitui bonum per apparentiam, & cognitionem boni: adeoque non est bonus per suam solam entitatem, melius ergo resp. negando antec. ut enim actus est formaliter verus per conformitatem cum objecto, ita est bonus per convenientiam cum subiecto; de qua convenientia puto eodem prorsus pacto discurrendum, ut de illa conformitate. tanto magis quia ut cuipiam actui accidit veritas, ità & alibi ostendam alicui accidere bonitatem, & honestatem.

Obiic. 3. Propositio necessaria in intrinsecis suis dicit oppositionem cum falsitate. ergo in intrinsecis suis habet veritatem. exclusio enim necessaria falsitatis quid sit aliud, quam veritas ipsa necessaria? Conf. per illud actus est formaliter verus, per quod primo distinguitur ab omni actu falso. sed sic distinguitur per ipsam necessitatem veritatis sibi adæquatè intrinsecam. ergò per eandem est formaliter verus.

Nego consequentiam. veritas cum falsitate non opponitur quomodolibet, sed immediatè. at in intrinsecis actus necessariò veri, seu exigentis necessariò veritatem est oppositio cum falsitate radicalis tantùm, & mediata, qualis est in omni essentia cum opposito suæ proprietatis de necessitate consequentis. Confirmatio probat plus, quam intendit; probat enim & quod homo sit risibilis formaliter per rationale, per quod primo distinguitur ab omni non risibili; & quod sit volens formaliter per intellectum; per quem primò distinguitur ab omni non volente; & alia id genus inepta. maior igitur syllogismi intelligenda, si illud distinctivum pertineat ad lineam veri, & non sit illi extrinsecum, ut veri principium, & radix. Vide responsionem ad simile argumentum q. sequ. c. 4. ad 2.

CAPUT III.

Num veritas suscipiat magis, & minus.

DIco 1. veritas largè dicta, qualis in apprehensione etiam simplici reperitur, capax est gradualitatis, & in alio actu est maior, in alio minor. Ratio est facilis; quia h. m. veritas est ipsa ratio naturalis imaginis, secundùm quam cognitio obiecto suo assimilatur. atqui manifestum est aliam esse cognitionem alia perfectiorem in linea cognitionis, quod una scilicet vividius, & distinctius alia repræsentet. imo & maxima est in hoc latitudo non specifica solum; sed & generica, cum alia sit intuitiva, alia abstractiva; hæc sit diminuta, & inadæquata, illa adæquata, & comprehensiva &c.

Dico 2. Quamvis exigentia veritatis possit esse maior, aut minor, ipsa tamen veritas, si in rigore sumatur, magis, aut minus non suscipit.

Prima pars est certa; triplex enim potest esse exigentia seù necessitas veritatis. prima est metaphysica, eademque maxima, & in qua nulla est gradualitas, ut latè in metaphysicis ostendam. secunda est physica minor. tertia est moralis minima, nisi forte ultimum locum tribuas probabilitati ponenti exigentiam veritatis ut plurimum: quæ tamen absolutè necessitas non appellatur.

Addo tamen, male nonnullos eiusmodi necessitatum latitudinem in ipsam veritatem intrudere, veriorémque appellare propositionem quæ magis habet immutabilem, atque infallibilem veritatem, perinde ut si quis calidiorem appellaret ignem, quam aquam ex hoc præcisè, quod ignis exigit calorem, non aqua. exigentia quidem, & necessitas radix est veritatis, non veritas; atqueadeo potest esse màior necessitas, imo & in ùno necessitas, in al-

tero contingentia æqualis omninò veritatis.

Altera pars probatur sufficienter, si tantùm declaratur. Dictum est, veritatem rigorosam in solo iudicio haberi, eamque stare præcisè in quadam conformitate, & adæquatione rei cum enunciatione, ut ità planè res se sit, ut esse enunciatur. Quare dum veritas cum veritate comparatur, non instituitur comparatio inter duos, sed inter quatuor terminos, ut patet, adeoque non attenditur proportio, sed proporionalitas. Hinc primò non est dubium, unam veritatem esse alia maiorem entitativè, & materialiter: est enim veritas complexum propositionis, & obiecti: estque cæteroqui certissimum dari & propositionem propositione perfectiorem, & obiectum obiecto; Hinc secundò nec est dubium, veritatem formaliter latitudinem non suscipere; instituta enim comparatione dicto modo, constat non plus esse veritatis in ista, *Deus est*, quam in illa, *Petrus est*, si Petrus sit; utrique enim comparatum objectum invenitur ita omninò se habens, ut habere se enunciatur; adeoque in utraque est exclusio omnis falsitatis. Exemplum habes in quantitativa æqualitate, in qua & reperitur excessus, si ea sumatur materialiter: nam duæ ulnæ superant duos palmos: at non, si sumatur formaliter; non enim sunt æqualiores duæ ulnæ, quam duo palmi, cum in utrisque habeatur exclusio omnis inæqualitatis.

Dico 3. Falsitas tamen veritati opposita magis & minus potest suscipere. Ratio est; quia quamvis dum objectum est indivisibile, nulla esse possit falsitatis latitudo, ut videre est in his, Deus non est, Petrus non est, quæ ab extrinseca conditione indivisibilis obiecti enunciati aut sunt omninò veræ, aut omninò falsæ, ut constat; tamen ubi objectum est divisibile, & ex pluribus constans, potest propositio magis, aut minus esse falsa, prout mi-

nus,

nus, aut magis à veritate recedit. Sic falsò enuncians centum homines currere, magis fallitur, si nullus currit, quam si aliqui currant, sed non omnes. Quod patet tum ex communi modo loquendi, tum ex paritate inæqualitatis, cui falsitas comparatur; ita enim est major, & minor accessus ad æqualitatem, ut est major & minor accessus ad veritatem.

Dices cum Hurtado in Log. disp. 11. sec. 2. §. 10. omnes actus falsos in hoc convenire, quod priventur veritate; hæc privatio omnibus æqualiter inest. Ut enim nulla est latitudo in hoc, quod obiectum se habeat, uti enunciatur, ita & nulla est in hoc quod aliter se habeat.

Sed similiter omnia inæqualia conveniunt in hoc, quod priventur æqualitate: omnia distantia conveniunt in hoc, quod negent propinquitatem: omnia alba conveniunt in hoc, quod est disgregare visum: neque propterea nulla est gradualitas sub inæqualitate distantia, & albedine. Idem dicendum in re præsenti; omnes actus falsi recedunt à veritate, sed sub hoc ipso recessu est reperire latitudinem secundum magis, & minus, ut dictum est, & satis constat ex usu loquentium, ad quem reducitur magna ex parte ista controversia.

Dices iterum, tertiam conclusionem non cohærere cum secunda, si vera sunt, quæ Aristoteles docet 4. met. t. 18. ubi ex eo quod unum sit altero falsius (*nec .n.*, inquit, *eodem modo mentitus est, qui quatuor esse putet quinque, ac qui mile*) infert unum esse altero verius. & hinc concludit dari unum omninò verum per accessum, ad quod dicatur magis, & minus verum, per recessum, à quo dicatur magis, & minus falsum.

D. Tho 1. contra Gentes c. 13. hoc ipso principio utitur ad probandam Dei existentiam; sed sumit ibi verum, ut notat Ferrar., secundum materiale rei, non secundum formale, quod stat

in adæquatione cum intellectu. At Philoſophus videtur ſumere verum pro formali; loquitur enim de vero, quod eſt in propoſitione. quare ſupponit enunciationem magis & minus falſam; tum infert enunciationem magis, & minus veram; demum hinc eruit, dari enunciationem ſimpliciter veram. Dicendum ergo cum D. Thoma ſuper hunc ipſum Philoſophi textum, magis verum ſumi pro minus falſo, & minus verum pro magis falſo; adeoque non ſumi verum, ut ſumitur à nobis in præſenti pro omnimoda, & ſimpliciter dicta adequatione enunciationis, & rei. Neque verò aliud ibi opus erat ut ſumeret Philoſophus ad probandum, non omnia eſſe vera ſimul, & falſa, imò nec poterat aliud ſumere: ineptè enim ad probandum dari verum ſimpliciter, ſuppoſuiſſet verum ſimpliciter.

CAPUT IV.

An poſſit veritas ſimul eſſe cum falſitate in eodem actu,

ubi

De Inſolubilibus.

NUllam enunciationem poſſe ſimul eſſe veram, & falſam, ut & nullam poſſe eſſe neque veram, neque falſam, tam eſt certum, quam eſt certa veritas, duplicis primi principii complexi, Non contingit idem ſimul eſſe, & non eſſe, Quodlibet eſt, vel non eſt. Quod ſane eſt indubitabile de ſimplici enunciatione; ſi vero ſit enunciatio complexa, pluresque veritates coadunet, aut eas coadunat per coniunctionem ita, ut fiat propoſitio hypotetica; atque hæc juxta ſummuliſticas leges vera eſſe ſimul, & falſa non poteſt, ut l. 1. oſtenſum eſt. aut eas coa-

coadunat quodammodo disparatè, ut si quis eodem actu enunciet, Petrum stare. Paulum sedere; & tunc Petro stante, Paulo non sedente, potest propositio appellari vera, & falsa; quamquam revera male appelletur propositio, cum sint reverà propositiones formaliter loquendo, in unum actum materialiter, & identicè compactæ.

Jam contra evidentem istam assertionem de incompossibilitate veritatis, & falsitatis in eadem simplici enunciatione difficultas est ab iis propositionibus, quæ a Logicis Insolubiles appellantur, non quod nullo modo, sed quod difficilè solvi possunt. quam ego rem paucis perstringam; utrumque enim vitiosum & nihil de ea, & multum dicere.

Ergo propositio insolubilis ea dicitur, cujus verba si significent, ut sonant, & ut intendunt, qui eam solvendam proponunt, ad ejus veritatem sequitur ejusdem falsitas, ad falsitatem veritas. Sit primum celebre exemplum in ista propositione, *Ego dico falsum*, intelligendo de hac ipsa propositione, quam enuncio. Jam si verum est eam propositionem esse falsam, ea propositio est falsa: & si falsum est eam propositionem esse falsam, ea propositio non est falsa, adeoque est vera. Sit secundum exemplum. Sortes dicat, *Plato dicit falsum*; & Plato dicat, *Sortes dicit falsum*. aut ergo Sortes verum dicit; & jam verum est Sortem dicere falsum (quod est dictum Platonis) adeoque Sortes falsum dicit. aut Sortes falsum dicit: & jam falsum est Sortem dicere falsum, adeoque Sortes verum dicit. Sit tertium exemplum. Dicat subdito Princeps, *Dabo tibi centum, si prima propositio, quam dices, vera erit:* & prima propositio, quam subditus dicit, sit ista, *non dabis mihi centum*. Jam ex eo, quod ista propositio supponitur vera, sequitur; quod impleta conditione, Princeps dabit centum, adeoque sequitur; puod

propositio sit falsa. ex eo autem, quod propositio sit falsa, sequitur, quod, conditione non impleta, Princeps non dabit centum, adeoque sequitur, quod propositio sit vera. Alia h. m. proponi solent insolubilia, quæ videri possunt apud Majorem, Albertum de Saxonia, Buridanum, Hentisberum, aliosque veteres Logicos hanc rem ex professo latissimè versantes.

Quod attinet ad solutionem, alias alii iniere vias, quæ possunt videri apud Hentisberum quatuor sententias recitantem, & apud Majorem q. 6. de Insolubil. qui septem enumerat. sed præcipuæ ad duas reducuntur. Altera est eorum qui casum admittunt, & soluunt: altera eorum, qui casum negant. Utramque paucis indicabo.

Ergo Saxonia, Buridanus, & Major casum Insolubilis propositionis admittunt, eamque contendunt esse simpliciter falsam. Pro quo supponunt 1. omnem propositionem universim significare se esse veram. quare perinde est dicere, Petrus currit, ac verum est Petrum currere 2. ad affirmativam verificandam requiri identitatem suppositionis, ad eandem falsificandam requiri suppositionis distinctionem; & è converso de negativa. Hinc eruunt 1., quod si qua propositio significet se esse veram, & falsam, illa erit propositio omninò falsa. significat enim idem esse, pro quo supponit subjectum; & prædicatum, & simul non esse idem. sed falsum est, & impossibile idem esse, & non esse idem. ergo talis propositio simpliciter falsum enunciat, & significat. Eruunt 2. illam consequentiam non tenere, *Ego dico falsum, & verè dico falsum; ergo dico verum*; ad hoc enim ut propositio sit vera, non satis est, si sit, sicut enunciatur, sed etiam ut non sit aliter. atqui in ista propositione significatur, quod res enunciata ita, & aliter sit. ergo ista propositio non vera, sed falsa est.

Sed contra hanc positionem militant quinque absurda, quæ inde sequuntur. Primum est duas contradictorias esse simul falsas. 2. ex duabus æquivalentibus, imò synonimis unam esse veram, alteram falsam. 3. duas propositiones non æquivalentes contradicere uni. 4. duas propositiones æquivalentes sibi mutuò contradicere. 5. ex vero sequi fallum.

Prob. primum. sit hæc propositio, *Ego dico falsum*, quæ indicet se ipsam, quæque adeo ut se falsificans, falsa simpliciter sit; tum si addas, *Ego non dico falsum*, indicando priorem propositionem; novam facis propositionem priori contradictoriam, ut patet: & tamen si prior est falsa constat hanc etiam posteriorem esse falsam, ergò utraque contradictoria est falsa. Prob. secundum quia si post primam illam insolubilem formes hanc aliam, *Ego dico falsum*, indicando primam; hæc secunda erit vera, quamvis idem omninò enunciet cùm prima, quam dicis falsam. Prob. tertium. & quartum sint tres propositiones, prima insolubilis, quæ de seipsa falsitatem affirmet: altera, quæ de insolubili affirmet falsitatem, tertia: quæ neget, ex his duabus, quæ affirmat, contradicit neganti, ut constat. & preterea contradicit ipsi insolubili; quià omnis vera singularis contradicite falsæ singulari de iisdem terminis: tanto magis, quòd ex veritate insolubilis infertur falsitas æquivalentis. & ex falsitate veritas: quod est proprium contradictoriarum. Prob. quintum. quià tenet consequentia à propositione enunciant falsitatem de insolubili ad ipsam insolubilem, ut *Ego dico falsum, ergo ego dico. falsum*: in quo enthymemate antecedens est propositio vera, consequens est propositio falsa. ergo ex vero sequitur falsum.

Hæc omnia concedenda sunt ab admittentibus casum, & negandum ea esse absurda in casu Insolubilium, quamvis absurdissima sint ex-

tra eas. Ita expresse Major q.7. per septem conclusiones. Sed duo præmittit. 1. omnem propositionem insolubilem esse reflexivam suprà se, cum de se ipsa falsitatem affirmet. quare licet habeat idem obiectum cum propositione directa, quæ ipsi tribuit falsitatem, modus tamen cognoscendi, ac tendendi est diversus, quia insolubilis tendit in se reflexè, alia in ipsam directè. 2. aliquid posse dici falsum, vel quia significat aliud ac est; vel quia inducit æstimationem falsam, ut dicitur falsus denarius, qui non est de materia debita, aut Principis sigillo non est signatus. Insolubilis autem falsa est non præcisè quia significat aliud, ac est, sed quia significat, sicut est, & ex hoc significat se significare aliud, ac est. quare non tam est falsa; quià falsum enunciat, sed quia verum enunciando se ipsa falsificat.

Ad primum nunc respondet, duas contradictorias posse esse simul falsas, si una sit falsa, quia significat aliter, altera verò, quia supra se reflectendo se falsificat. Lex contradictionis non militat in se falsificantibus, sed in iis tantùm, quæ directè enunciāt de obiecto distincto: in quo casu evidens est evidentia primi principii non posse esse utramque veram, aut utramque falsam.

Ad 2. negatur illas esse æquivalentes simpliciter; quià licet æquivaleant quoad rem, non tamen quoad modum enunciandi: ex quo uno habeat Insolubilis, ut se falsificet,

Ad 3. & 4. dicit, eas tres propositiones diversimodè comparari inter se; directæ enim comparantur, ut simpliciter contradictoriæ, adeoque ut servantes legem omnem contradictionis. at insolubilis reflexa est, & differt ab illis si non in re, certe in modo, nil ergo mirum, si plures contradicunt uni; quia uni una contradicit ut falsæ, alteri ut se falsificanti: & ex hac ipsa ratione absurdum non est, ut opponantur propositiones secundum rem æquivalentes.

Ad

Ad 5. similiter respondet, non inconvenire in casu, ut ex vero sequatur falsum; quia solum hoc contingit, dum verum est synonimum falso. quod, ut patet, extendi non potest extrà casum insolubilium.

Alia via, quam tuetur Hentisberus, & Ockam, solidior est, expeditior, & absolutè vera, ac tenenda. Non placet tamen principium, in quo ad casum insolubilis negandum nititur Ockam, quod scilicet pars propositionis non potest supponere pro tota propositione, cujus est pars. ex quo infert, cum dico, *Ego dico falsum*, sensum esse, me dicere falsum ab ista propositione distinctum. Non placet, inquam; quià sæpe contingit, ut prædicatum supponat pro illa ipsa propositione, cujus est pars; ut videre est in istis, propositio est qualitas, propositio est ens &c.

Ut ergo probetur impossibilitas casus, noto insolubiles fieri posse vel sistendo in actibus intellectus, ut patet in primo & altero exemplo, vel transeundo ad actus voluntatis, ut patet in tertio. Pro actibus intellectus sit hoc principium. Nullus actus intellectus (idem dic de actibus cujuscũque potentię createç suprà se reflexivæ) potest habere se ipsum pro objecto primario, & fundamentali, à quo specificetur. Afferit hoc, & probat D. Thomas 3. contrà Gentes c. 26. his verbis: *In omnibus potentiis, quæ possunt converti in suos actus, prius oportet, quod actus illius potentiæ feratur in obiectum aliquod, & postmodum feratur in suum actum. si enim intellectus intelligit se intelligere, prius oportet ponere, quod intelligat rem aliquam, & communiter quod intelligat se intelligere. nam ipsum intelligere, quod intellectus intelligit, alicujus obiecti est; unde oportet, quod vel procedatur in infinitum, vel si est devenire ad primum intellectum, hoc non erit ipsum intelligere, sed aliqua res intelligibilis.* Ex hoc fit, ut nulla enunciatio sit sui dumtaxat enunciatio. Addo, quod etiam

dato;

dato posse actum intellectus esse hoc pacto supra se reflexivum, adhuc non posset de se falsitatem enunciare; aliter affirmaret fallum cognitum ut falsum, imo & affirmaret rem simul esse, & non esse; dicat enim quis per eundem actum, homo est albus, & hominem esse album est falsum; jam certe in hac secunda enunciat hominem non esse album. ergo simul dicit, hominem esse, & non esse album, quod est contra principium naturæ lumine unicuique notum, & in quo uno nemini contingit errare.

Ex his constat impossibilitas casus, ut affertur in primo exemplo, imo & ut affertur in secundo. dum enim Plato dicit, *Sortes dicit falsum*, non potest habere pro obiecto enunciato illam propositionem, qua Sortes dicit, *Plato dicit falsum*, sed aliam. secus propositio se respiceret pro obiecto primario, de quo falsitatem enunciaret; obiectum enim primarium ipsius est significatum & dictum alterius propositionis, quod aliud non est, nisi ipsa.

Pro actibus voluntatis sit hoc aliud principium. Actus voluntatis conditionatus non potest respicere obiectum sub conditione præsupponente ipsum actum voluntatis efficacem, aut inefficacem. Ratio est; quia conditio, sub qua voluntas intendit obiectum, debet esse quid distinctum ab ipso actu, ut constat ex D. Thomæ doctrina jam supposita; & præterea debet esse tale aliquid. quo posito, voluntas reddatur efficax, quo non posito, maneat inefficax; adeoque positio, aut non positio ipsius non supponit, sed facit voluntatem efficacem, aut inefficacem. quare si conditio nihil aliud esset, nisi impletio aut non impletio ejusdem voluntatis, cum impletio supponat voluntatem efficacem, non impletio inefficacem, conditio supponeret, non faceret efficaciam, & inefficaciam. adeoque non esset conditio.

Rem habes manifestam in dato exemplo. si

enim

enim Rex dicat subdito. *Dabo tibi centum, si tua prima propositio sit vera*, & subditus primò dicat, *non dabis mihi centum*; jam si hæc propositio sic conditio à Rege intenta pro efficacia, & impletione suæ promissionis, ejus voluntas sic explicabitur, *Dabo tibi centum, si propositio ista sit vera, quæ dicit, dabo tibi centum*; adeoque dabo tibi centum, si dabo tibi centum: quod revera est nihil velle. Ad hoc ergo ut talis voluntas conditionata sit vera voluntas, debet non istam, sed alias propositiones pro conditione respicere.

CAPUT V.

An possit veritas, & falsitas esse successivè in eodem actu.

§. I.

Post aliqua præmissa statuitur conclusio affirmativa circa propositiones de præsenti.

SUpponendum est primò dari propositionem contingenter veram; cum enim propositio sit vera per conformitatem cum obiecto, ut obiectum quandoque contingenter est, ità & propositio illud esse enuncians, contingenter potest esse conformis, si nihil habeat, per quod illud esse essentialiter præsupponat. Sed non est idem propositionem esse veram contingenter, & mutabiliter, primum importat, ità esse veram, ut potuerit non esse vera, secundum addit, ità esse veram nunc, ut possit deindè evadere falsa: quæ duo non sunt consequentia; nam propositio enuncians Petrum sedere pro certo instanti, est vera contingenter, non autem mutabiliter; ad hoc enim non est satis; si Petrus ita pro eo instanti sedeat,

ut

ut possit non sedere: sed est opus, ut possit in eodem instanti à sedente evadere non sedens: quod est impossibile; aliter in eodem instanti sederet, & non sederet.

Supponendum secundò. ut sit locus quæstioni, posse eandem propositionem entitativè invariatam perseverare per aliquod tempus. Si enim supponimus, propositionem esse qualitatem, ut quidam autumant, entitativè fluentem, ac successivam, adeoque secundum nullam sui partem manere quandoque eandem, quæstio erit de subjecto non supponente. quo enim pacto transeat de forma ad formam subjectum non transiens de tempore ad tempus: quod est omninò necessarium propter formas incompossibiles? his suppositis.

Dico 1. aliquam propositionem contingentem de præsenti ita esse veram, ut possit eadem transire in falsam, & è converso. Docetur hæc conclusio, & probatur à Philosopho cap. de subst. ubi; *Eadem*, inquit, *oratio vera, & falsa videtur esse, veluti si vera sit oratio sedere quempiam, eo surgente, eadem falsa erit*, quasi diceret: Formet intellectus hanc propositionem, *Petrus sedet*, quæ supponatur durare per horam; tum in hujus priori medietate Petrus sedeat, in posteriori non sedeat; jam propositio vera est per primam semihoram, quia conformis objecto: in posteriori falsa, quia difformis, quod si contrà accidat, ut Petrus in priori semihora non sedeat, & sedeat in posteriori, propositio prius erit falsa, & difformis, deinde conformis, & vera.

Ad Philos. authoritatem duo respondent 1. ibi non loqui ex sensu suo, sed ut in exemplis, in quibus veritas non requiritur. Sed obstat 1. D. Thom. 1. p. q. 14. ar. 15. ad 3. ubi Philosophum laudat tamquam ex suo sensu loquutum. Obstat 2. idem Philosophus, qui non hoc ibi affert in exemplum, sed ut ostendat pro-

prium

prium esse substantiæ contraria suscipere: adversus quod opponit, orationem etiam, & opinionem veritatis falsitatisque esse successivè receptivas: tum respondet, aliter id in his, aliter in substantia contingere; in his enim fit transitus sine mutatione actus per solam variationem objecti: substantia suscipit contraria per mutationem sui.

Respondent 2. loqui Aristot. de externa vocali, aut scripta, non de interna, & mentali propositione, sed obstat 1. quod indistinctè loquitur, & ratio, quam affert, æquè pro utraque militat. Obstat 2. quod manifestè non loquitur de vocali, quæ utpotè successiva non perseverat; cum tamen addat, quod *oratio, & opinio ipsa quidem immobiles omninò perseverant; cum verò res movetur, contraria circa ipsas fiunt.* Velle autem; quod solum loquatur de scripta, & non habet probabilitatem, quod orationis, & opinionis absolutè prolata nomina satis violenter ad scriptionem unam restringantur; & est eadem præterea ratio de mentali, cujus vices tum vox, tum scriptio subit, ut eodem pacto significent, non ergo possunt ex modo significationis istæ mutabilitatem habere, qua illa caret.

Iam rationi ex eodem Philosopho factæ communiter illud opponunt. Qui enunciat, Petrum sedere, non solum significat sessionem, sed & consignificat tempus præsens. Vel ergo sensus est, quod sedet pro uno tempore præsenti, primo scil. illo, quo propositio formatur, vel quod sedet pro omni tempore præsenti, cui propositio coexistit: vel quod sedet pro aliquo tempore præsenti: nec est alius sensus excogitabilis. At in nullo ex his sensibus propositio mutari potest de vera in falsam. Non in primo: nam si in illo Petrus sedet, propositio semper est vera: si in illo non sedet, semper est falsa. Non in secundo; Si enim Pe-

trus

trus toto eo tempore sedet, propositio semper est vera; si in aliqua ejus temporis parte non sedet, aut sedet in nulla, propositio semper est falsa. Non in tertio; quia si Petrus in nulla ejus temporis parte sedet, semper est falsa enunciatio: si semper, aut quandoque sedet, semper est vera.

Nec juvat, inquiunt, respondere, quod tempus præsens significatur confusè, adeoque dum est præsens prima pars temporis, consignificatur prima: dum est præsens secunda, consignificatur secunda & sic de aliis, quemadmodum qui enuntiat, *hominem, qui est in foro, sedere*, sedente ibi Petro, significat ipsum, & ab ejus sessione verificatur: recedente autem Petro, & accedente, ac sedente Paulo; significat Paulum, & verificatur ab hujus sessione. Non id, inquiunt, juvat; clamant enim mutari significatum, & obiectum propositionis: quod est impossibile, quia significatio est ipsa propositionis essentia, adeoque immutabilis. Ad exemplum alii alia respondent, quæ non vacat afferre; quod sint extra rem.

Ut ergo respondeam, præmitto ex summulis primò, suppositionem termini cujuscumque ab ejusdem significatione distingui, ut actum secundum à primo. est enim significatio vis illa, quæ inest termino sivè à natura, sivè ab institutione, ducendi in rei significatæ notitiam: quare pertinet ad termini quà talis substantiam estque ab illo inseparabilis, sivè in propositione ponatur, sivè non suppositio est usus significationis; ab eo enim quod terminus sit rei signum, habet, ut possit ab intellectu accipi loco rei: quod est supponere, seu verius supponi.

Præmitto 2. invariata significatione posse, & & sæpè variari termini suppositionem hoc etiam est certum summulistis: qui proindè suppositionem definiunt, *Acceptionem termini in propositione pro aliquo juxtà naturam verbi*. hinc est

re:

restrictio, ampliatio, status termini ejusdem secundum significationem invariati, & variati secundùm suppositionem. Valet autem præcipuè ad suppositionem natura verbi, quod si sit præsens, facit, ut terminus communis, qui natus est omnia sub se significare, non stet in propositione nisi pro existentibus: quod dicitur à summulistis *servare statum*. quare hæc propositio *omnis homo est albus*. satis verificatur per hoc unum, quod nullus sit homo existens, qui non sit albus; quamvis homines præteriti non fuere, aut futuri non erunt albi. Ex hoc est consequens, quod terminus communis confusè significans multa, affectus signo distributivo ac servans statum in propositione de præsenti, supponat pro singulis eo ipso, quod existunt; adeoque incipiat, aut desinat pro iis supponere, eo ipso, quod illi incipiunt, aut desinunt esse.

Præmitto 3. tempus præsens posse confusè à termino significari, ut attingatur scilicet ut præsens, sed non ut hoc, aut illud. Hoc etiam mihi est certum; quid enim est, cui possint omnes homines in unum conceptum singulis applicabilem confundi, & non possint similiter confundi omnia in unum conceptum præsentia tempora? Profectò ut hominem præscindimus à Petro, & Paulo, quia de homine sumus quandoque certi, incerti de Petro, & Paulo: ita tempus præsens ab hoc, & illo præscindi necessè est, dum certi sumus de præsenti, incerti de hoc, & de illo; ut videre est in eo, qui è somno excitatus præsentem scit horam, sed quinta sit noctis, an sexta, prorsus ignorat.

Jam dico, quod in propositione, quam mutabilem assumo, tempus præsens, si de significatione sit sermo, stare confusè, & præcisivè secundum meram rationem præsentis, & nullatenus sub ratione hujus, vel illius; atque ità nulla unquam contingit, aut contingere potest

in

in termino variatio. Si verò loquamur de ſuppoſitione, dico, illud ſtare diſtributivè pro omni præſenti, ſed nullatenus pro præterito, vel futuro, niſi ſolum pro hoc in actu primo, & ſub conditione, quod induat rationem abſolutè præſentis. Et quia omnia tempora præſentia non ſunt, niſi unum momentum (loquor de tempore extrinſeco, & primo, quod eſt menſura aliquorum) ſit, ut pro illo uno primò terminus in propoſitione ſupponat: quare ſi in eo Petrus ſedet, eſt vera propoſitio. dum verò tranſit primum horæ momentum, & ſuccedit ſecundum; cum primum obtineat jam præteriti rationem, non illud amplius, ſed ſecundum in propoſitione ſupponitur, quare ſi in illo non ſedet Petrus, eſt falſa, & mutatur propoſitio. Falluntur igitur, ut puto, adverſarii in hoc, quod omnes partes, & momenta horæ ſumunt, quaſi pro iis ſimul *præſens* ſupponat: aut ſupponere actu neceſſariò debeat: quod eſſet tollere propoſitionem, in qua termini ſtatum habeant. Pejus autem eſſet, ſi cenſerent, terminum eundem non poſſe ſuppoſitionem mutare, proindè ut non poteſt ſignificationem. Audiant Scotum 1. prior. quæſt. 11. ubi ex communi ſenſu Summuliſtarum ponit unum genus termini non ſolum communis, ſed etiam diſcreti, qui natus eſt ſignificare (loquitur de ſuppoſitione, quæ eſt quædam actualis ſignificatio propoſitionis propria) plura ſucceſſivè, *ut eſt*, inquit, *iſte terminus* ſequana, *qui nunc ſignificat aquam, quæ nunc eſt, & poſtea ſignificabit aquam, quæ poſtea erit, &c.*

§. II.

Solvuntur alia duo argumenta:

OBiic. prætereà, idem dicendum de loco, quod dictum eſt de tempore, quare ſi quis

Nea,

Neapoli existens, enunciet *Petrum sedere hic*, ubi Petrus vere sedet, confusè tantum significando locum præsentem; si idem deinde replicetur cum sua propositione Romæ, ubi Petrus nec sedet, nec est; habebit consequenter propositionem simul veram, & falsam. Ut enim propositio nunc enuncians sessionem Petri nunc existentem, in isto *nunc* est vera: & si eadem transit ad aliud *nunc*, in quo sessio non est, in illo *nunc* est falsa: ità propositio enuncians Petrum sedere *hic*, ubi verè sedet, in tali *hic* est vera: & si eadem transferatur ad aliud *hic*, ubi Petrus non sedet, in illo *hic* est falsa, & quia simul est utrũque *hic*, simul est vera, & falsa.

Sed nego paritatem; quamvis enim admittam, eodem modo posse confundi locum, & tempus præsens; nego tamen eodem pacto procedere termini suppositionem in utraque; cum enim ambo loca simul sint, pro utroque simul supponit terminus *hic*, quare vel est suppositio distributiva, aut copulata: & cum Petrus in uno sedeat, non in alio loco, propositio absolutè est falsa, vel est suppositio confusa; & propositio absolute est vera. Aliter se res habet in tempore; cum enim unum sit tempus præsens, alia sint præterita, vel futura, pro uno tantum præsenti supponit terminus. quare vera simpliciter est propositio, dum Petrus in uno præsenti tempore sedet: falsa simpliciter, dum deinde sedet in alio.

Obiicit ultimò Recentior ingeniosus, qui totus in eo est, ut probet non posse tempus præsens à propositione de præsenti consignificatum attingi confusè, & consequenter modo applicabili, etiam ad futurum, dum illud evadit præsens. Sic igitur arguit. Ea propositio attingit Præsens, ut contradistinctum à præterito, & futuro, sed præsens quà præsens non est ita contradistinctum; prædicatur enim etiam de futuro, de quo dicitur, quod erit præsens,

& de

& de præterito, de quo dicitur, quod fuit præsens, debet ergo accipi præsens exercitè, ut significatur per verbum *est* sine ampliatione prolatum, adeoque ut præsens non quandocumque, sed nunc. Atqui iterum de hoc *nunc* recurrit difficultas; aut enim accipitur sub communi ratione præsentis; atq; ità commune est præterito, & futuro: aut accipitur sub ratione talis individui; & habetur intentum.

Confirmat 1. & explicat id ipsum magis. Individua dupliciter cognoscimus, & distinguimus, primò per cognitionem intuitivam, & experimentalem, qualem quisque habet sui ipsius, suarumq; vitalium actionum; secundò per complexionem accidentium, & adiunctorum propriam unius individui. Utrolibet ex his modis attingatur instans præsens, attingitur invariabiliter, & per cognitionem aliis instantibus inapplicabilem. Quod si attingitur præcisè ut præsens, & coexistens enuncianti, attingitur quidem per prædicatum commune, sed indifferens, adeoque ulterius determinandum, nec per aliud, quam per cognitionem instantis præsentis in individuo.

Confirmat 2. Si ità in individuo non cognoscatur præsens, erit progredi circulariter in infinitum interrogando. quærit enim abs te, an sessio Petri sit tibi præsens? affirmas, iterum quærit; si tibi est præsens, in aliquo tempore est præsens, in quo igitur? respondes, nunc, benè est: sed in quo *nunc*? aliud enim *nunc* scil. instans fuit heri, aliud etiam erit cras; ergo in quo? si iterum reponas, in præsenti; rursum instat simili interrogatione. Quod si dicas, attingi instans hoc numero, statim omnis interrogatio interimitur; quia dum dicitur sessio præsens, determinatur instans, cui sessio coexistit; adeoq; non est, quod ulterius requiratur.

Sed nisi fallor, hæc omnia redeunt in authorem,

thorem, qui hoc ipso argumento pariter implicatur. Detur enim ipsi quod sessio Petri præsens per hoc numero instans significetur, & exprimatur; quid tum posteà? nonnè eadem Indifferentia, eædem interminabiles inquisitiones? complexum enim ex hac sessione, & hoc instanti sibi mutuò correspondentibus indifferens est, ut sit præsens, præteritum, aut futurum. Siquidem ut de hoc complexo hodie verè dicitur, quod sit præsens, ità de eodem heri verè dicebatur, quod erit, & cras verè dicetur, quod fuit. ergo ab hoc complexo præcisè secundùm entitates, quas involuit, considerato non certificatur intellectus, quod sit potius præsens, quam præteritum, aut futurum. Ad quam instantiam non video, posse aliam responsionem probabilem adhiberi, nisi eam, qua utar respondendo directè ad argumentum. Neque enim universim est verum, ut videtur author innuere, quod experimentali, & intuitiva notitia semper cognoscimus rerum individuationes. nam in ipsis nostris actibus hoc falsum apparet; aliter possemus eligere inter amorem, & amorem solo numero distinctum. Ut ergo amorem cognoscimus experimentaliter sub ratione præsentis, & existentis absque eo, quod hunc ab illo distinguamus, ita & dicendum de tempore præsenti.

Ut ergo respondeam, noto, conceptum existendi exercitè, qui est conceptus essendi simpliciter, esse conceptum per se cuique notum, ut in metaphysicis constabit; adeoque esse unum ex iis conceptibus, in quibus ultimò sistimus inquisitionem. Itaque aliud est quærere, quid sit rem existere; aliud, undè habeam, quod res existat. ad primum non potest responderi, nisi per ipsum existere, quod est reverà non respondere; nec aliter potest ad interrogationem, qua notio quæritur explicans primam.

ad secundum respondetur per id, quod est motivum affirmandi aut evidens, aut probabile, de quo nihil attinet nunc dicere; quia solùm disputamus de veritate, quæ præcisè trahitur ab obiecto, non de certitudine, aliavè perfectione; quæ ducitur à motivo.

Ad argumentum iam respondeo, præsens sub conceptu præsentis absolutè, & sine ampliatione prolati contradistingui à preterito & futuro; importat.n. existentiam rei exercitam, qua simpliciter caret tum præteritum, tum futurum: præterea est conceptus, sub quo multa conveniunt; nam certè tam Petrus verè est, quàm Paulus; neque in hoc ulla ex parte prædicati diversitas. Quia ergò, ut dictum est §. 1 præmis. 2. verbum *est* sine ampliatione prolatum facit terminos supponere pro existentibus; consequens est, ut tempus in ea propositione connotatum stet solum pro præsente, ac existente simpliciter, & non pro præterito aut futuro; & stet pro eo modo quodam confuso, ac multis successivè applicabili, dum scilicet successivè obtinent & ipsa rationem præsentis, & existentis. Idem dicendum de *Nunc*, quod potest sumi nominaliter; atque ità est indifferens ad præteritum, & futurum; & potest sumi adverbialiter; atque ità determinatur ad solum præsens, & exercitè existens præcisè quà tale, adeoque amplecti potest etiam futurum, dum illud non est amplius futurum, sed exercitè existens.

Ad 1. conf. patet ex modo dictis, quod cognitio de præsenti tempore determinatissima est, si exprimat præsens simpliciter, & exercitè tale, ut assumimus exprimi in propositione mutabili. quod si indifferens esset, non sufficienter determinaretur per cognitionem huius numero instantis, ut est probatum.

Ad 2. conf. dico terminari inquisitionem in prima responsione, quà affirmo Petri sessionem

præ-

præsentem ; significò, eam esse exercitè præsentem ; qui est conceptus primus, & irresolubilis in clariorem ; & per consequens inepta esset ulterior interrogatio.

§. III.

Statuitur, quid dicendum in propositionibus de præterito, & de futuro.

DIco 2. aliqua propositio de futuro potest transire de vera in falsam, sed non de falsa in veram. Contrà verò aliqua de præterito potest transire de falsa in veram, sed non de vera in falsam. atque istiusmodi sunt propositiones, in quibus futurum, ac præteritum indefinitè connotantur.

Prob. 1. pars. Dicat quis in instanti A, *Petrus peccabit* : ità ut affirmet futurum quà tale, h. e. ut distans in post à præsenti ; jam si vere Petrus peccabit, illa propositio nunc est vera, ut sequenti quæstione latè probabitur. Duret deindè talis propositio usque ad instans, in quo Petrus peccat, aut peccavit ; illicò evadit falsa ; affirmat enim futurum, & distans in post, quod est vel præsens, vel distans in antè. At si eadem falsa sit, non potest migrare in veram ; est .n. falsa, quià peccatum Petri in nulla sequentis temporis parte existit ; quantumcumque igitur propositio, duret, falsa semper manet.

Prob. 2. pars. Dicat quis in instanti A, *Petrus peccavit* ; ità ut præteritum quà tale, h. e. ut distans in antè à præsenti enunciet ; jam si Petrus verè non peccavit, difformiter enunciat, & propositio consequenter est falsa. peccet deindè Petrus, & propositio eadem transeat ad tempus consequens post instans peccati, propositio certè migrabit in veram ; cum affirmet iam peccatum fuisse, quod verè fuit. Contrà

si Petri peccatum verè aliquando enuncietur fuisse, semper verè enunciabitur fuisse. adeoque ut possit propositio de præterito de vera transire in falsam, non tamen de falsa in veram.

Utraque hæc pars conclusionis intelligenda de propositionibus affirmativis, quæ formantur de futuro, & de præterito; in negativis enim constat consideranti, opposito modo philosophandum,

Dico 3. Propositiones de futuro, & de præterito in quibus tempus connotatur confusa, & determinatè, cum certa scilicet distantia à præsenti, sed æque multis successivè applicabili; ut est videre in his, *Petrus peccabit cras*, *Petrus peccavit heri*, mutabiles sunt de veris in falsas, de falsis in veras nihilò minus, ac propositiones de præsenti.

Prob. quia ut præsens, & hodiernum potest accipi confusè significatione applicabili ad omnem diem eo ipso, quod ille sit præsens, ità pariter hesternum, & crastinum. Hoc posito, sint tres dies ABC, A præsens, B crastinus, C perendinus. iam si peccet Petrus tantùm in B, qui eius peccatum cras futurum ab A enunciat, verum dicit. tum si propositio perseveret usque ad B, relatè ad quem C est crastinus, in quo Petrus non peccat, falsum dicit. Contrà si Petrus peccet in C, qui enunciat ab A peccatum Petri crastinum, falsum dicit; quia illud relatè ad A non est crastinum, sed perendinum. at si enunciatio perseveret usque ad B, verum dicit, quia relatè ad B peccatum existens in C verè crastinum est: ergo data enunciatio de futuro de vera migrat in falsam, de falsa in veram.

Similiter si, Petro peccante in B, enuncietur ab intellectu existente in eodem B, peccatum Petri fuisse heri, falsum dicitur. at verò transeunte ad C intellectu cum sua propositione dici-

dicitur iam verum. Rursus, Petro peccante in A, si peccatum ipsius quà hesternum à B, enunciètur, verum dicitur, transeunte verò ad C enunciatione, falsum, ergo eadem enunciatio de præterito de falsa migrat in veram, de vera in falsam.

QUÆSTIO QUARTA,

De Veritate propositionum singularium de futuro contingente.

PRæsentem controversiam latius multo tractandam suscipio, quam in superioribus consueverim, non solum quod celebris per se, sed quod ad Theologicas lites componendas non utilis modo est, sed necessaria; pendet enim ab ea quæstio de divina futurorum tum absolutorum, tum conditionatorum scientia. Non ea tamen celebritatem habuit à nostris Doctoribus hinc sibi & parantibus viam, & instruentibus arma, ut Divum Thomam & deserant, & oppugnent, ut audacter pronunciat Goudinus; nam & ante nostras cum Thomistis recentibus dissensiones notissima ea fuit, multumque apud veteres agitata: nec veritatem his propositionibus dedimus, ut à D. Thoma recederemus, quem scilicet veritatis, falsitatisvè determinationem iis tribuisse pluribus ostendam.

CAPUT I.

Status quæstionis, & authorum placita.

A Sensu, statuque quæstionis exordior; interest siquidem plurimum intelligere, quid re ipsa controvertimus in hac materia. constabit enim in decursu multa nobis magno

[illegible] plane [illegible]
[illegible] ab[illegible]
[illegible] in[illegible]
[illegible]

[illegible] fuimus [illegible]
[illegible], proposit[illegible]
[illegible] esse vera[illegible]
[illegible] tales à D[illegible]
[illegible]. Sol[illegible]
[illegible] verita[illegible]
[illegible] Thomi[illegible]
[illegible], quod [illegible]
[illegible]

[illegible], om[illegible]
[illegible] Ari[illegible]
[illegible]
[illegible], eq[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible], ill[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] Av[illegible]
[illegible] Perib[illegible]
[illegible], Aristote[illegible]
[illegible] Thomi[illegible]
[illegible] demonst[illegible]
[illegible] Co[illegible]
[illegible]
[illegible],
[illegible]
[illegible], quam [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] lit, [illegible]

lat, multo magis eandem violare, dum fertur supra illud, mediante decreto præsertim eo, quo voluntas humana prædeterminatur ad unum. Addo mihi videri Aristotelem à D. Thoma ità intellectum, ut futuri veritatem negaverit non in se, sed in causa, ut cap. sequenti probabo. ex quo tantum abest, ut nobis Aristoteles sit contrarius, ut nostra hæc potius ipsissima sit sententia.

Redeo jam ad statum quæstionis. Illud inter nos, & adversarios est controversum, ait Recentior quidam Thomista Goudin, num veritas, quam habent propositiones de futuro, sit ante, an post decretum: in quo inquit, *adversarios Thomistarum mire falli, aut fallere, telasque aranearum texere unico flatu dissipandas.* Sed manifestum est palmariter falli ipsum, si alterius non distinguit; neque illud animadvertit, quod omnes ipsius; aliorumque non paucorum probationes ostendit ex vano congestas unum aerem verberare. Est enim id certissimum, in quo nos etiam habet consentientes, quemadmodum futurum non est futurum, nisi post Dei decretum, ita nec propositionem futuri enuntiativam, nisi post Dei decretum, veram esse. quis enim unquam, vel per somnium finxit, contingere posse, ut futurus sit Antichristus, Deo illum ab æterno non decernente? Quin etiam dum volumus rerum futuritionem non esse aliam ab earum existentia pro tempore futuro, non sumus adeo cæci, quin videamus evidenter hinc sequi, quod ab iis omnibus causis, à quibus pendet existentia pendet & futuritio. Præterea hanc esse Salmaticensis cujusdam Discalceati in nostros Doctores manifestam calumniam latè ostendit Borrull De Sc. med. disp. 1, sec. 7.

Si quando igitur negamus veritatem propositionum de futuro esse post Dei decretum, eamque facimus antecedentem, & independentem

verborum apparatu obiici, quæ rem plane non tangunt; iisque procul dubio adversarii abstinuissent, si maluissent paulò diligentius inspicere in causæ statum.

Ergo id primum omnes, quotquot sumus Catholici, ut fide sanctum asserimus, propositiones quaslibet de futuro determinatè esse veras, aut determinatè falsas, atque ut tales à Deo evidenter, & infallibiliter cognosci. Solum disputamus, unde formaliter in iis sit veritas, à Dei nè decreto, quod contendunt Thomistæ an ab objecto ipso in se determinato, quod nos malumus.

Ex quo inferre statim ab initio licet, omnes non modò Theologos, sed Catholicos ab Aristotelis sententia recedere, qui scil. veritatem omnem futurorum interimere conatus est, eaque fundamenta posuit, quæ omnem penitus evertunt divinam futurorum præscientiam; arguit enim: si verum est, contingens fore, illud est immutabiliter verum. tollitur ergo omnis futurorum contingentia. Quo argumento usus est Cicero apud Aug. 5. de Trin. cap. 9.; cum enim putaret cohærere non posse futurorum scientiam cum humanæ voluntatis arbitrio, illam negare maluit, quam hoc destruere. Et hanc ipsam sententiam, seu verius errorem ex Philosophi principiis docuit Averroes, ut refert Toletus ad caput 6. l. 1. Periher. q. un. Atque hinc ulterius constat, Aristotelis doctrinam pugnare multo magis cum Thomistica, quam cum nostra, ut egregiè demonstrat P. Nicolaus Martinez tr. de Deo sciente Contr. 3. disp. 3. sect. 4. Certe quidem argumentum ductum à violatione libertatis humanæ, si quid urget, magis tollit veritatem propositionum in decreto prædeterminante, quam in futuro ipso. Videtur enim per se manifestum, si divinus intuitus, dum fertur supra futurum immediatè, ejus contingentiam violat,

lat, multo magis eandem violare, dum fertur supra illud, mediante decreto præsertim eo, quo voluntas humana prædeterminatur ad unum. Addo mihi videri Aristotelem à D. Thoma ità intellectum, ut futuri veritatem negaverit non in se, sed in causa, ut cap. sequenti probabo. ex quo tantum abest, ut nobis Aristoteles sit contrarius, ut nostra hæc potius ipsissima sit sententia.

Redeo jam ad statum quæstionis. Illud inter nos, & adversarios est controversum, ait Recentior quidam Thomista Goudin, num veritas, quam habent propositiones de futuro, sit ante, an post decretum: in quo inquit, *adversarios Thomistarum mire falli, aut fallere, telasque aranearum texere unico flatu dissipandas*. Sed manifestum est palmariter falli ipsum, si ulterius non distinguit; neque illud animadvertit, quod omnes ipsius; aliorumque non paucorum probationes ostendit ex vano congestas unum aerem verberare. Est enim id certissimum, in quo nos etiam habet consentientes, quemadmodum futurum non est futurum, nisi post Dei decretum, ita nec propositionem futuri enuntiativam, nisi post Dei decretum, veram esse. quis enim unquam, vel per somnium finxit, contingere posse, ut futurus sit Antichristus, Deo illum ab æterno non decernente? Quin etiam dum volumus rerum futuritionem non esse aliam ab earum existentia pro tempore futuro, non sumus adeo cæci, quin videamus evidenter hinc sequi, quod ab iis omnibus causis, à quibus pendet existentia pendet & futuritio. Prætereà hanc esse Salmaticensis cujusdam Discalceati in nostros Doctores manifestam calumniam latè ostendit Borrull De Sc. med. disp. 1. sec. 7.

Si quando igitur negamus veritatem propositionum de futuro esse post Dei decretum, eamque facimus antecedentem, & independentem

à decreto, sensus est non causalis, sed formalis. Volumus enim, quod quamvis futurum efficienter sit à decreto, formaliter sit tale per se ipsum, suamque existentiam pro tempore futuro. ex quo consequens est, ut verificativum propositionis de futuro non sit decretum, sed illa ipsa determinata existentia; quam in tempore per copulam significato futurum exercebit. Exemplum habes in propositionibus de præsenti. Qui enunciat lucem esse, verum habet in ipsa lucis existentia, non in causa lucis productiva. Sed lucis existentia, quod est formale verificativum, cum sit dependenter à sua causa, atque etiam à Dei decreto, propositionem veram non reddit, nisi subsit huic ipsi dependentiæ, & causalitati. Cum hoc tamen stat, ut veritas propositionis lucem esse enunciantis non sit formaliter per decretum, aut causas, sed per illam intrinsecam denominationem, qua lux est potius, quam non est. Hinc fit, ut ea propositio sit vera, præciso decreto; & causis; non quod sit vera, si lux non pendeat à decreto, & causis; sed quia si fingamus lucem esse, & non pendere, adhuc per locum intrinsecum stat ejus propositionis veritas; manet enim quod enunciatur, & ita manet, ut enunciatur. Idem asserimus de futuro, quod volumus per se verificare propositionem ipsum enunciantem, præciso decreto, & alia quavis extrinseca dispositione causæ, non quod ista per se, & essentialiter non requirantur in priori adesse futuri; sed quia non sunt formaliter requisita ad veram enunciationem futuri, quatenus, etiam ipsis præcisis non ut causis, sed ut formis, habet in se futurum talem, tantamque determinationem, ut possit per se propositionem verificare, absque eo, quod decretum & causæ ipsius ullatenus pertineant ad propositionem formaliter verificandam.

Di-

Distinguendum ergo est inter verificativum, & causam verificativi. Decretum est causa; futurum est verificativum. At vim verificandi futurum non habet à se; habet à decreto, tamquam à primæ causæ determinatione: sed eam tamen vim habet verè in se integram, & completam, atque à decreto adæquate distinctam perindè omninò, ut eam habet, dum est in sua temporis differentia jam præsens, & existens relatè ad propositionem de præsenti.

Addimus & aliud, quod cum effectus universim ut sit, requirat causam priorem non tempore, sed natura, quæ secunda prioritas simultatem temporis necessariò involuit, idem effectus ut sit futurus, requirit causam existentem, aut determinatam non de præsenti, sed de futuro. Quare si fingamus possibile, ut Deus nihil ab æterno, sed omnia in tempore decreverit, adhuc contendimus divinum intellectum ex infinitudine perfectionis suæ, futura omnia intuiturum fuisse in se ipsis; atque etiam in futuro suo decreto; propositionem verò futura enunciantem per ipsa futura habituram fuisse veritatem.

In his ergo oportuit insistere Goudinum, Gonetum, aliosque ex adversariis: & non divertere ad probandum, nihil posse esse futurum, nisi dependenter à causa efficiente divina per suum decretum determinata ad dandum esse, quod est evidens, & nemo negat.

Ut ergo compendium faciam, tria sunt, quæ asserimus. 1. Futurum est futurum dependenter à Divino decreto, ut à primæ causæ determinatione. in hoc convenimus cum Thomistis, quamquam sit lis de qualitate decreti: quod est impertinens ad rem præsentem. 2. Futurum est formaliter per se futurum potius, quam non futurum; adeoque non est futurum per divinum decretum, ut per formalem futuritionem. 3. Futurum per id, per quod formali-

ter est futurum, est verificativum propositionis enunciantis ipsum esse futurum; adeoque talis enunciatio est vera determinatè, præcisо, & non intellecto æterno Dei decreto, & quavis alia actuali dispositione causæ. In his duobus à Thomistis omninò dissentimus.

In hoc sensu intellecta, & explicata nostra sententia tenetur, ac defenditur à præcipuis nostris Doctoribus, imò & à plerisque antiquioribus quos habes apud Fasolum 1. p q.14.ar.13. dub.12 Quamquam non negaverim esse ex nostris ipsis nec paucos, nec cōtemnēdos, quos citat, & sequitur Gaspar de Ribadeneira tr.de Sc.Dei disp. 12.c.2.num.9, qui ex parte dissentiunt, in quantum ad futuri denominationem: aliquid præsens requirunt ablativum indifferentiæ, quam res habet ut sit, vel non sit futura, & propositionem de futuro consequenter determinet, ut sit potius, quam non sit vera. Sed non idcirco isti Thomistis favent; longissime enim absunt, ut concedant, istuc præsens requisitum esse decretum Dei.

De mente D. Thomæ controvertitur non minus; quam de ipsa quæstione. Unum equidem animadverto, non esse, cur Thomistæ huc trahant, quæ S. Doctor in primum Periher. scripsit interpretans Philosophi textum; ibi enim loquitur, non ut magister ex sensu suo, sed ut commentator ex alieno; neque .n. implesset, quas susceperat, partes, si expositurus Aristotelis mentem super propositionibus de futuro, in contrarium discessisset, factus pro interprete hostis. Quod si quæ alibi docuit, eorum habendam non esse rationem Thomistæ volunt eo ipso, quod oppositum docuit in summa, quæ est liber, si Capreolo credimus, Retractativum ipsius, quanto magis eorum, quæ commentans Aristotelem scripsit? Atqui tum alibi, tum præcipue in summa visus est D. Thomas nostram hanc sententiam disertis verbis

bis docuisse, ut jam ostendam. Nihil ergò est, quod congerant textus ex 1. periher. Quid? quod ibi etiam dicta optime trahi possunt, ut nihil habeant nostræ sententiæ repugnans. Negas? dabo in sequenti cap. D. Thomam omni exceptione majorem suæ mentis testem, atque interpretem.

CAPUT II.

An futurum sit formaliter per se, non verò per ullam causa præsentem dispositionem futurum juxta Philosophum, & D. Thomam.

DIco 1. Futurum aliud in causa, aliud in se. Hæc conclusio nihil asserit præter vocum acceptiones, atque adeo non indiget nisi explicatione. Futurum in causa, & futurum in se, si re ipsa differunt, non differunt secundùm materiale, & rectum denominationis, idem enim est Antichristus, qui futurus denominatur vel ab æterno Dei decretto, vel à temporali sua existentia in futuro exercenda. Totum ergo discrimen est à forma denominante, aut extrinseca, quæ sit præsens dispositio causæ ita nunc inclinatæ, aut determinatæ ad ponendum posteà futurum, ut fundet, vel probabilem; vel certam consequentiam, qua rei futura existentia inferatur: aut intrinseca, quæ sit ipsa rei existentia in tempore posteriori ad illud, in quo futura denominatur. Sic in Metaphysicis distinguam possibile, ut aliud sit possibile in causa per denominationem extrinsecam ab omnipotentia productiva: aliud sit possibile in se à suis ipsis prædicatis non repugnantibus. Hinc ut duplicem ibi possibilitatem, duplicem item in præsenti distinguimus futuritionem, aliam causalem, & extrinsecam (scilet hæc appellari à quibusdam portentiva, & pro-

prognostica, quatenus, ea inspecta, portendimus, ac divinamus futuram rei existentiam) quæ est ipsa præsens dispositio causæ: aliam extrinsecam, & formalem, quæ est ipsa rei existentia modo jam exposito, quatenus scilicet sumpta cum habitudine temporaneæ posteritatis ad tempus, in quo res futura denominatur.

Dico 2. Distinctio ista futuri secundùm rem asseritur expressè tum à Philosopho, tum à D. Thoma.

Et quidem Philosophus 2. de Gen. t. c. 64. ait, quod *Futurus quis incedere, non incedet*. ex quo infert Capreolus in 1. d. 38. q. 1. ar. 2. concl. 8. hanc consequentiam non semper tenere, *Hoc est futurum, ergo hoc erit*. rationem affert ex isto dicto Philosophi, quod sic interpretatur *Aliquid esse futurum non est aliud, quam causam aliquam esse inclinatam ad productionem illius. ponatur ergo quod impediatur, ne effectum producat: sequitur, quod illud est futurum, & tamen nunquam erit*. Hoc totum desumit ibi Capreolus ex D. Thom. de ver. tum q. 12 ar. 10. ad 7., ubi, *Aliquid*, inquit, *potest dici futurum non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ità ordinatum est in causis suis, sit futurum*: tùm q. 2. ar. 12 ad 9., ubi ait non esse inconveniens, quod Deus sciat aliquid esse futurum, quod nunquam erit, in quantum scit aliquas causas esse inclinatas ad ponendum effectum, qui nunquam erit. Ex quibus constat juxta Philosophum, & D. Thomam posse affirmari futurum in causa, negato futuro in se. aliud ergo per ipsos est futurum in causa, aliud futurum in se; aliter idem secundum idem affirmaretur. & negaretur.

Dices fortasse, hic non distingui futurum in causa à futuro in se, sed futurum in una causa, nim. creata, & mutabili, à futuro in alia causa, nim. increata, & immutabili. Sed sane

lepi

lepida res est, si credatur Aristoteles futuram rem voluisse in decreto Dei, quasi qui contingentiæ futuri timuit à præscientia, nihil eidem à decreto timuerit, aut quà tali, aut quà præscientiæ inductivo. Deindè mirum est, quod de hac distinctione nihil in iis locis D. Thomas; sed futurum à futuro distinxit non secundum causam, & causam, sed secundum causam, & effectum.

At enim futurum distinxit secundum causam, & causam 1. p q. 19 ar. 7. ad 2. Quis negat? Verum non hanc unam distinctionem admisit, sed præterea esse voluit futurum in se. Quod conficio ex hoc ipso loco, ubi ait, quod *aliquis respiciens ad causas inferiores, dicere poterat, Lazarus non resurget: respiciens verò ad causam primam divinam, poterat dicere, Lazarus resurget.* Ex vi ergo divini decreti affirmati progredi quis poterat ad affirmandam futuram Lazari resurrectionem: & ita est infallibilis hæc posterior consequentia, ut est fallibilis prior, sed ita ut utraque sit vera, & formalis consequentia, cum de utraque eodem pacto loquatur S. Doctor. At si Lazari resurrectio est futura formaliter per decretum, in consequenti nihil affirmatur præter antecedens, ut qui affirmans albedinem in subiecto infert subiectum esse album, nihil revera infert, nisi antecedens. atque hinc est regula Logica, quam sequenti libro cum communi Dialecticorum tradam, à definitione quid nominis nullam esse veram, & formalem consequentiam.

Sed age, quid tu ais D. Thomam non aliter distinxisse futurum, quam per futurum in causa creata, & futurum in causa increata, nec agnovisse præterea futurum in se? At non ità ipse loquutus est 1. contra Gentes c. 66 num. 7. ubi, *ea*, inquit, *quæ sunt præsentia, præterita, & futura nobis, cognoscit Deus secundum quod sunt in potentia sua, & in propriis causis, & in se ipsis.*

Præ-

Præter hæc in citata q. 2. de ver. ar. 12. ad 7. explicans illud dictum Philosophi *Futurus quis incedere non incedet* ait, quod, *cum dicitur, hoc est futurum, designatur ordo, qui est in causis rei ad ejus productionem*. ex quo paulò post infert, quod est futurum, posse non esse futurum, nunquam tamen posse non fuisse futurum. Distinguit ergo ibi futurum à futuro: futurum, quod non importat nisi ordinem causarum, de quo ait nunquam posse non fuisse tale, à futuro quod potest non esse tale; & hoc si sit futurum in causa, confunditur altera pars divisionis cum prima. Mirum ergo est, ex hoc ipso textu quosdam ex adversariis intulisse non aliud formaliter futurum agnitum à D. Thoma, quam quod denominatur è præsenti dispositione causæ, afferendo textum mutilum, & ea dumtaxat verba citando, *cum dicitur, hoc est futurum, designatur ordo, qui est in causis*. Quibus assuunt hanc laciniam de suo: *cum dicitur absolute, hoc est futurum, designatur futuritio formalis, sicuti cum dicitur. hoc est album, designatur album albedine formali*. Sed præter jam dicta, qui ita loquitur, non videtur recte distinguere futurum in causa à futuro in se, quasi futurum in causa non sit formaliter tale per dispositionem causæ: quod est manifestè falsum; in ea enim denominatione res futura est denominata, adeoque subiectum: dispositio causæ est denominans, adeoque forma. Utraque igitur futuritio formalis, & causalis est forma: & futurum ab utraque dicitur tale formaliter, sed à prima intrinsecè, à secunda extrinsecè; nec ista dicitur causalis quasi non sit forma comparata ad denominationem futuri in causa; sed quia causat, & infert secundam intrinsecam, cui proinde uni nomen formalis futuritionis tribuimus.

Sed. jam videamus, quid de hoc sentiat D. Thomas in Summa, in quo uno libro flos est illi-

illibatus, ac medulla Angelicæ doctrinæ. Celeberrimus est locus, qui habetur 1. p. q. 14. ar. 13 ube sic habet: *Contingens potest considerari dupliciter: uno modo in seipso, secundum quod in actu est; & sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens; alio modo potest considerari, ut est in causa sua; & sic consideratur ut futurum.* At verò hæc ipsa verba pro se afferunt Thomistæ, ut probent D. Thomam non aliud futurum agnovisse, quam in causa. loquitur enim, inquiunt, de futuro, ut contradistincto à præsenti. at non modo futurum causaliter, sed formaliter tale à præsenti contradistinguitur. de utroque igitur loquitur D. Thomas, & utrumque in unum confundit, non aliud futurum agnoscens, quam quod denominatur à causa. At si penitius aliquanto mens S. D. in eo articulo spectetur, apparebit manifestè nostram ibi sententiam disertissimè expressam. Ut enim omittam, futurum in causa, quod hic D. Thomas agnoscit, non esse Thomisticum futurum; ait enim de suo futuro S. Doctor, quod *sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum*: cum oppositum de suo Thomistæ asseverent: contingens, quod dividit, futurum est; aliter non esset ad rem divisio. agit enim ibi de scientia divina visionis, quatenus se extendit ad contingentia non quæcumque; sed futura. quare dum dicit ab ea cognosci contingens, ut præsens. non loquitur de potentia, quam habet futurum, dum amplius futurum non est, sed de illa, quam habebit in sua temporis differentia, in qua à Deo jam inde ab æternitate videtur ut præsens. Ex quo fit, ibi non distingui à D. Thoma futurum contra præsens; sed contrà futurum, ut aliud sit tale in causa, qua ratione à Deo certitudinaliter videri non potest, aliud sit tale in se, qua ratione sumitur ut præsens, & existens non sin..., nn ...

pliciter, sed in sua temporis futuri differentia; atque ita sciri evidenter à Deo potest; *Quia*, inquit, *ejus intuitus fertur ab aeterno suprà omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Undè manifestum est, quod contingentia, & infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subdantur divino conspectui secundùm suam praesentialitatem: & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata.*

Audi, quid nomine praesentis D. Th. intelligit, illud scil. ipsum, quod suis causis comparatum futurum est. Idipsum declarat Capreolus in 1. d. 38. q. 1. ar. 2. ubi haec est tertia concl. *Licet Deus non cognoscat futura ut futura sunt, tamen ipse cognoscit contingentia esse praesentia sibi, & futura aliis.* Atque hoc totum iterum habet S. Doctor 1. Periher. lec. 4.

Accedit, quod in eadem 1. p q 5. ar. 3. probaturus Angelos futura non cognoscere ne verbum quidem habet de decreto, in quo uno formaliter res sit futura. Et tamen in hoc praecipuè insistere debuisset, si sua ipsius esset sententia Thomistarum. Si enim futurum sit futurum formaliter per decretum, manifestum est, quod cum Angelus cognoscere non possit secretum cordis humani, probat art. 4. & multo minus secretum cordis divini, nec poterit cognoscere futurum, quod per hoc ipsum secretum est formaliter tale. Sed ibi tamen S. Doctor alia omnia; distinguit enim, ut distinxerat q. 14. & ait, futurum dupliciter posse cognosci. Uno modo in causa sua; & hunc modum Angelis adesse concedit, *alio modo*, inquit, *cognoscuntur futura in se ipsis; & sic solius Dei est futura cognoscere*. Non ergo D. Thomas futurum formaliter agnovit, quod non sit formaliter tale, nisi per Dei decretum.

Ex his omnibus probabilissimum mihi est, quod cap. superiore jam innui, D. Thomam in ea fuisse sententia, ut crederet Philosophum, dum

dum negat futuris contingentibus veritatem, non de futuro in se, sed de futuro in causa lo. quutum. Moveor, quia quæst. 2. de ver. ar. 12. quærens, an Deus contingentia futura cognoscat, illud primum pro parte negativa sibi opponit: *Nihil potest sciri, nisi verum, ut dicitur 1. post. sed in contingentibus singularibus, & futuris non est veritas determinata, ut dicitur 1. periher, ergò Deus non habet scientiam de futuris singularibus contingentibus*. Respondet; *quod licet contingens non sit determinatum, quamdiù futurum est, tamen ex quo productum est in rerum natura, veritatem determinatam habet: & hoc modo super illud fertur intuitus divinæ cognitionis*. Atqui hoc secundum est ipsissima notio futuritionis formalis, ut hactenus ostensum est, sentit ergo S. Doctor non negari à Philosopho veritatem futuri in se, & accepti ut existentis potius, quam non existentis in rerum natura pro tempore consignificato per copulam, sed futuri, dum est futurum, h.e. in causa, in qua est adhuc pendens, atq; impedibile. Aliam commodiorem explicationem hujus responsionis, aut magis accommodatam reliquæ S. Thomæ doctrinæ equidem non video.

Opponunt Thomistæ celebrem textum, in quo canunt triumphum (vereor, ne ante victoriam) ex 1. p. q. 16. ar. 7. ad 3. ubi, *illud*, inquit D. Thom. *quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret; unde sublata causa, non esset futurum illud fieri: sola autem causa prima est æterna. Undè ex hoc non sequitur, quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura; quæ quidem causa est solus Deus*, Constat igitur ex mente D. Thomæ futura quęcumq; contingentia à divino decreto habere, ut sint futura, & quidem formaliter, quia scilicet eo sublato, non essent futura.

Sed

Sed repsonsio est manifesta, si duo notentur. 1. per hanc propositionem, *Res est futura*, juxtà D. Thomam, & Philosophum importari futuritionem causalem præsentem cum futuritio formalis explicetur per hanc, *Res erit*, ut ostendi initio hujus capitis 2. in eo articulo intentum S. Doctoris esse; ut ostendat nullam veritatem creatam esse æternam: quod patet ex articuli titulo. Hoc igitur citatis verbis contendit, excludere à rebus futuris præsentem causalem futuritionem æternam extra Deum, at non per hoc excludit futuritionem intrinsecam, & formalem qualem nos ponimus, & ipse alibi statuit, quæque nihil æternum extrà Deum importat.

CAPUT III.

An secundum veritatem præter futurum in causa sit necessariò admittendum futurum in se quod sit tale formaliter, præcisa, quavis actuali dispositione causæ.

Responsio est affirmativa: pro qua sit prima ratio. Antichristus esset futurus per locum intrinsecum, etsi nullum præiret eternum Dei decretum, aut alia causæ dispositio, circa futuram ipsius existentiam, ergo est futurus non formaliter per decretum, aut aliam causæ dispositionem præsentem; adeoque admittendum est futurum in se aliud à futuro in causa, conseq. est certa, prob. antec. ex doctrina egregia Phil. 2. post. t. 12. ubi hæc habet: *Eadem est causa in his, quæ sunt, & in his, quæ fiunt, & in his item, quæ fient, futuraq; sunt. Verum: differentia quadam esse videtur; eorum enim, quæ sunt, est eorum, quæ fiunt, fit eorum, quæ fuere, fuit: eorum denique, quæ fient, erit, ut cum interrogamur, cur fuit, vel fit, vel erit, vel*

est

est defectio Lunæ, quia fuit, vel fit, vel erit, vel est terra inter Solem, & Lunam, accommodatissimè respondemus. Principium ergo, quod hic ab Aristotele, & à reliquis communiter Philosophis assumitur, est, quod effectus per se requiritur solum causæ coexistentiam; requirit enim per se prioritatem in causa non temporis, sed naturæ, quæ quidem non solum potest sed debet etiam stare cum temporis simultate. Ex hoc est, quod ajebat Philosophus, ut effectus præsens exigat causam præsentem, præteritus præteritam, futurus futuram. Si ergo fingas posse Deum nihil ab æterno decernere, si in instanti A se determinet ad producendum Antichristum, id satis erit, ut Antichristus in eo instanti producatur; adeoque id satis antecedenter erat, ut Antichristus diceretur pro eo instanti producendus. Quod si dicas, impossibile omninò esse, ut Deus ab æterno non decernat: Hoc quidem, nobis etiam fatentibus, est indubitatum. Addimus tamen, id non esse impossibile, quia Antichristus non esset futurus, sed quia Deus non esset immutabilis, adeoque stat, quod per locum intrinsecum Antichristus esset futurus, quamvis nihil circa ipsum Deus ab æterno decrevisset.

Sit secunda ratio à priori. Futuritio causalis est inductiva futuritionis formalis à se distinctæ, ergo præter futurum in causa datur futurum re ab eo planè distinctum ratione formæ denominationis, prob. antec. præsens dispositio causæ, quæ est futuritio causalis est inductiva in tempore futuro existentiæ effectus à se distinctæ, ut est certum, atqui existentia effectus in tempore futuro est formalis futuritio effectus, ergo futuritio causalis est inductiva formalis futuritionis à se distinctæ, prob. min. sumo duo instantia A prius, & præsens, B. posterius, & futurum, jam per hoc unum, quod res non sit in A, & sit in B, in A dicitur

futura;

futura; quid enim est rem esse futuram, nisi non esse nunc, & esse posteà? Nec juvat respondere cum Vives apud Borrull. l.cit.sec.2.utcumque per id unum habeatur futuritio, non tamen haberi futuritionem infallibilem ad quam requiritur omninò decretum ponens necessariam connexionem præsentem cum effectu futuro. Hæc enim responsio nec est ad rem, cum saltet à constitutione futuri, de qua est lis, ad cognitionem futuri, cujus est propria infallibilitas; nec est vera, cum repugnet doctrinæ D. Thomæ divinæ notitiæ infallibilitatem non aliundè desumentis, quam ab hac ipsa formali futuritione nunc exposita, satis erit legere Capreolum suprà cit. concl.4. ubi verbis ipsis D. Th. probaturus scientiæ visionis infallib.litatem, nihil prorsus habet de connexione per decretum, sed eam totam trahere nititur ab ipsa futuri supposita præsentialitate in sua temporis differentia, qua divino intellectui subjicitur longe evidentius; quam sensui sensibile præsens.

Sit tertia ratio ducta ex paritate præteriti, quod certe sufficientissimè constituitur in sua denominatione per non esse in præsenti, & esse in tempore antecedenti; nec prætereà est opus præsens aliqua dispositio causæ, qua formaliter præteritum denominetur, idem ergo proportionaliter de futuro dicendum, & quidem cum tempus ipsum sit præteritum per habitudinem anterioritatis, & futurum per habitudinem posterioritatis ad præsens, ut res in illo existens dicitur præterita, ita & existens in hoc dicetur futura comparativè ad tempus præsens.

Disparitatem duplicem, quam affert Vives apud Borrul citatam vide ibi; neq; enim rejiciendæ ulterius sunt apertæ pet tiones principii. Ejusdem farinę est responsio Goudini, quam insinuat p.2. Log. q.un. ar 2. in resp.ad inst.4.

arg.

arg. ubi *Objectum* inquit, *præteritum est determinatum, cum sit extra causam: sed objectum futurum non est determinatum, cum claudatur in potestate causæ, quæ adhuc indifferens est ad alterutrum*. Sed contra; quia istæ de rigore sermonis, & sine ulla ampliatione prolatæ sunt falsæ, *præteritum est determinatum, præteritum est extra causam*, cum verum sit, determinationem, & extreitatem non habere, sed habuisse, atqui hoc idem proportionaliter valet in futuro, quod determinationem, & extreitatem non habet, sed habebit. Ut ergo præteritum nunc est præteritum per determinationem non quam habet, sed quam habuit; ita & contendo futurum esse futurum per determinationem non quam habet, sed quam habebit. Ubi est ergo disparitas.

Aliam viam alii ingrediuntur, tradentes disparitatem ex differentia, quæ est inter carentiam rei præteritæ, & carentiam rei futuræ, res enim præterita non potest amplius reproduci, adeoque habet carentiam sui naturaliter inauferibilem, cum tantum futurum habeat carentiam auferibilem naturaliter, illa ergo carentia ut pote determinata potest constituere præteritum ut præteritio præsens: hæc verò ut pote indifferens non potest constituere futurum ut præsens futuritio.

Sed contrà est 1. quia hinc fieret, ut si supponamus rem præteritam naturaliter reproducibilem, jam per locum intrinsecum fieret, præteritam eam non esse, quamvis olim fuisset, & nunc non esset. quemadmodum juxta Thomistas res per locum intrinsecum non est futura, præciso Dei decreto, at quis, quæso, intelligens terminos, non concedat præteritam rem, quæ non est, fuit, sed expectet ulterius ad hoc affirmandum, ut videat, utrum sit irreproducibilis, necne? 2. non esse rei præteritæ non differt à non esse rei futuræ secundum rationem

non

non essendi; ut enim præteritum, & futurum secundum esse non differunt, ita nec secundum non esse. Jam ergo quod determinat causam ad non posse amplius naturaliter præteritum reproducere, non est non esse rei, sed non esse rei, quæ jam fuit. Quod ergo habetur de præsenti in ea carentia, est plane indifferens. 3. Quod supponit denominationem constitutam, non potest illam constituere, at irreproducibilitas supponit præteritum constitutum in esse præteriti; irreproducibile enim est, quod non potest secundò produci: hoc autem supponit evidenter illud esse jam alias primo productum, & nunc non esse; adeoque supponit evidenter rem præteritam. Adde, quod ideo res reproduci non potest, quia est præterita, non è contrario; adeoque irreproducibilitas non affert, sed sequitur præteritionem, ut omne exigitum sequitur universim suum exigitivum.

Alii demum respondent, denominationem de præterito importare & ipsam determinativum aliquid de præsenti, vel scilicet effectum aliquem à præterito relictum: vel saltem determinationem ejusdem, quę manet de præsenti in causis rei præteritæ necessariò connexa cum existentia, quam habuit; ut enim res est futura per decretum præsens de futuro, ita est præterita per decretum præsens de præterito.

Sed contra primam partem hujus responsionis est, quod modo dicebam, quod si supponamus rem præteritam fuisse omninò sterilem, & nullum effectum post se reliquisse, sequitur per locum intrinsecum, eam nunc non esse præteritam, ex quo fit, ut tenearis concedere hanc consequentiam, Res fuit omnino sterilis, ergo non fuit: cum tamen sequatur contradictoria, ergo fuit. Et quidem quod præteritum in effectu relicto dicatur moraliter perseverare, & esse præsens, facile intelligo, at quomodo potest intelligi, requiri effectum relictum, non

ut in

ut in eo præteritum sit præsens, sed ut in eo sit præteritum?

Altera pars responsionis tam abest, ut evacuet argumenti difficultatem, ut potius locum faciat novæ probationi conclusionis.

Sit igitur quarta ratio, nulla est assignabilis dispositio causæ, quæ futurum constituat in esse futuri, quæ enim? certè decretum, at hoc non potest; sic enim arguo. Quod applicatum subiecto, non est determinativum ipsius pro una potius, quam pro alia denominatione, non est forma denominationis sic est decretum divinum relate ad futurum, ergo non est forma denominans futurum, major est certa; quis enim appellet formam albi id, quod positum in subiecto sinit illud indifferens ad denominationem albi, & nigri? atque ita constat inducendo per reliquas denominationes, & quidem formæ nomine omnes Philosophi actum, & actuativum, & determinativum intelligunt, prob. jam. min. decretum divinum est in se penitus immutabile, adeoque idem perseverat etiam, dum res futura transit in præteritam, ergo secundum se stat cum eo, quod res denominetur futura, & cum eo, quod res denominetur præterita, ergo non est determinativum unius potius, quam alterius denominationis.

Conf. peto enim ab adversario, quid sit, quod calor non denominat subiectum album, ut Dei decretum denominat rem futuram? Certe ideò calor nullatenus pertinet ad albi denominationem, quia neque pertinet ad illam, ut subiectum denominatum, neque ut forma denominans. Et si ulterius inquiro, cur hoc secundum? nihil aliud rectius repones, nisi, quod forma denominans ea est, quæ subiecto applicata, & quocumque alio præcisò denominat: quod non accidit in calore applicato parieti, manenti adhuc post talem applicationem cum indifferentia omnimoda ad esse album, aut nigrum:

Hoc

Hoc totum est verum de divino decreto relate ad futurum, ut probavi, ergo non est decretum forma futuri.

Dices, hoc ipsum solvendum à me esse in denominatione futuri in causa, relate ad quam admitto decretum esse formam.

Resp. in hac denominatione futuri in causa rectum esse futurum ipsum in se, quare decretum non addit revera denominationem futuri, sed solum huic præsuppositæ addit, ut sit causaliter tale, quare hoc etiam variato, denominatio semper manet eadem; ex futuro enim causaliter, evadit præteritum causaliter: in qua mutatione variatur tantum, quod est materiale denominationis, præteritum nim. & futurum: non vero quod est formale, nim. esse, quodcumque est, per decretum causaliter.

Ex his omnibus liquet, futuri denominationem hactenus assertam duo importare, non esse nunc, & esse postea, adeoque constitui in habitudine posterioritatis esse ad non esse: ut è contrario præteritum importat non esse nunc, & esse antea, adeoque stat in habitudine posterioritatis non esse ad esse. Hinc autem rursus apparet neutram ex his denominationibus importare omnia sua constitutiva de præsenti; esse enim; & non esse; ex quibus constat, incompossibilia sunt. Sunt ergo denominationes non physicæ, sed logicæ, qualem in physicis dicemus esse denominationem mutati, quæ importat subiectum aliquid habens nunc, quod antea non habebat; adeoque constituitur ex habere nunc, & antea non habere.

CAPUT IV.

Obiectis adversus præcedentem doctrinam occurritur.

OBiic. 1. Denominatio futuri est realis, nec intrinseca, sed extrinseca rei denominatæ; quid

quid enim sit intrinsecum rei non existenti? Non est autem alia forma extrinsecè denominans rem futuram; nisi præsens dispositio causæ. ergo hæc una est forma denominativa, & constitutiva futuri.

Resp. denominationem futuri esse realem, sed partim de præsenti, partim de futuro. quare est denominatio partim extrinseca secundum non esse, quod importat de præsenti, partim intrinseca secundum esse, quod importat de futuro. Dum ergo dicitur, rei non existenti nihil esse posse intrinsecum, verum est, si sermo sit de præsenti; falsum, si de futuro.

Obiic. 2. Per illud res constituitur in esse futuræ, per quod distinguitur à merè possibili, & existenti; per illud enim res constituitur, per quod distinguitur. atqui per præsentem dispositionem causæ res intelligitur nec merè possibilis, nec actu existens. ergo per eandem constituitur futura.

Resp. dispositionem causæ præsentem distinguere futurum à non futuro extrinsecè, non intrinsecè; quemadmodum extrinsecè, non intrinsecè actualis dispositio causæ determinatæ ad causandum nunc distinguit existens à non existente. Principium vero, in quo tota vis argumenti fundatur, quod scilicet omne distinctivum sit idem constitutivum, est evidenter falsum tum in exemplo dato; tum etiam quia omne proprium seù physicum, seu metaphysicum distinguit, & non constituit.

Obiic. 3. Denominatio futuri convenit rei non de futuro, sed de præsenti; nunc enim dicitur res futura, cum in futuro tempore non dicatur futura, sed præsens. ergo nunc convenit rei forma futuritionis, quæ alia esse non potest, quam præsens decretum. conseq. prob. Nulla denominatio constituta potest competere subiecto in tempore, quo formale constitutivum non est. quod principium probatur

dupliciter. 1. quia denominatio constituta non distinguitur à suo formali constitutivo. ergo impossibile est haberi denominationem præsentem sine suo formali constitutivo præsenti. 2. quia magis connectitur effectus formalis cum formali constitutivo. quam effectus causæ efficientis cum causa efficiente: ibi enim est identitas, hic mera connexio: atqui repugnat effectum esse tempore priorem sua causa efficiente. plus ergo repugnabit effectum formalem esse tempore priorem sua causa formali.

Resp. dum dicitur, Res est futura, importari futuritionem causalem, non formalem, quæ exprimitur per illam, Res erit, ut patet ex iis quæ dicta superius sunt ex Philosopho, & D. Thoma, sed quidquid sit de hoc rigore loquendi jam communiter non usurpato, dico ad argumentum, denominationem futuri esse de præsenti solum logicè, quatenus tota simul enunciatur per propositionem, & significatur per nomen, quod si physicè accipiatur, non est nunc sed partim nunc, & partim posteà, ut dictum est. sic accidit in denominatione mutati, quæ tota est denominativè, & Logice in instanti generationis, physicè verò tota nunquam est simul, præsens. Concesso igitur cum data distinctione antecedente, nego consequ. si loquatur de convenientia physica, & reali, non logica, & denominativa.

Adversus primam ejus probationem est instantia manifesta; quia illud principium multò magis est verum de subjecto, quam de forma denominationis; subiectum enim illud est, quod per denominationem importatur in recto, adeoque illud, de quo uno denominatio prædicatur in concreto; nemo enim dicat, quod albedo, sed quòd paries sit albus. multò magis igitur opus est ad denominationem præsentem existentia subjecti, quam formæ: & tamen juxta omnes res, quæ futura nunc denomina-

minatur, nunc non est. Quæ vero à nonnullis affertur disparitas, quod scil. denominatio non sit distincta à forma, & sit distincta à subjecto manifeste est nulla; quia si denominatio sumitur in concreto, ut sumitur, dum res dicitur futura, potius est distincta à forma, & distincta à subjecto, & propterea verè affirmatur de subjecto, & negatur de forma; ut enim hoc album est hic paries, ita non est hæc albedo; aliter liceret concludere, Hoc album est hic paries, hæc albedo est hoc album, ergo hæc albedo est hic paries.

Directa responsio patet ex dictis: cum enim denominatio ejusque constitutiva non distinguantur, ut habetur denominatio, sic constitutiva. at physicè denominatio non est nunc tota, sed partim nunc, partim postea ex hoc ipso, quod ex ejus constitutivis aliud est nunc, aliud postea. Verum logicè, & quoad denominare omnia sunt nunc, ut tota est nunc Logicè denominatio, quatenus illa ipsa existentia, quæ nunc non est, sed erit, nunc verificat & propositionis enunciationem, & nominis significationem circà futurum.

Ad secundam ejusdem consequentiæ probationem patet ex modò dictis paritatem allatam esse extra rem: supponit enim, nunc esse simpliciter denominationem futuri, cum illa tamen nec sit, nec sit futura, nec possit esse, aut futura esse pro ullo tempore; aliter in eo coadunarentur simul esse, & non esse, ex quibus ista denominatio constat. potest tamen in certo tempore, aut instanti enunciari, ac significari simul tota.

Obiic. 4. ut ad denominationem præsentem non requirantur omnia constitutiva præsentia, illud certe de præsenti requiritur, quod est ultimum determinativum denominationis; hoc enim de præsenti non intellecto, quidquid est præsens cum sit indifferens ad hanc, vel illam

denominationem, non poterit ad hanc potius, quam illam de præsenti determinare. Hoc autem præsens sublativum indifferentiæ relate ad denominationem futuri non est, nisi decretum.

Ad hoc etiam facile respondetur ex dictis, determinativum ejusmodi non debere esse physicè, nisi pro tempore, quo à significatione denominationis exigitur, & quia dum appello rem futuram, non significo determinationem essendi præsentem, sed futuram, consequens est ut determinatio non debeat esse præsens, sed futura, aut præsens solum logicè, non physicè, ut est jam satis explicatum.

CAPUT V.

Num veritas determinata, aut determinata falsitas insit propositionibus singularibus de futuro contingente.

RESolutio affirmativa consequens est ad dicta; cum enim sit certum esse propositionibus h. m. veritatem, & solum disputetur, in quo habeant veritatem, ostenso in superioribus futurum in se tale esse, præciso decreto, ostensum est consequenter, veritatem his propositionibus inesse immediate, & formaliter per ipsa futura in se considerata. Propterea D. Thomas consequenter ad ea, quæ de futuro in se tam frequenter docuerat, in hac etiam parte nostram sententiam tam manifeste præivit, ut tergiversationi non sit locus. sic enim habet q. 1. de ver. ar. 5. ad 10. *Dicendum, quod sicut ex prædictis patet, intellectus non solum adæquatur* (in hac adæquatione superius dixerat consistere veritatem) *his, quæ sunt actu, sed etiam his, quæ actu non sunt, præcipue intellectus divinus, cui eidem est præteritum, & futurum. Unde quamvis res non fuerit ab æterno in propria natura, intelle-*

ctus

ctus tamen divinus fuit adæquatus rebus in propria natura futuris in tempore; & ideo veram cognitionem habuit ab æterno de rebus etiam in propria natura, quamvis rerum veritates ab æterno non fuerint. Sed juvat tamen ex his ipsis ulterius positam resolutionem confirmare.

Sit igitur prima ratio fundamentalis, quæ mihi demonstrativa est, descenditque ex duplici suppositione indubitabili. 1. suppositio est. Propositio est vera, vel falsa ex quo quod res est, vel non est eo modo, loco, & tempore, quo per enunciationem significatur. nam & est vera hic propositio enuncians Pontificem esse Romæ per hoc præcisè, quod Pontifex sit Romæ: & est vera nunc propositio enuncians sessionem fuisse heri per hoc, quod sessio fuit in tempore hesterno: & similiter enuncians rem fore, vera est nunc, si res erit, falsa, si res non erit. Hoc totum sequitur ex notione veritatis communiter ab omnibus admissa, nec utiliter disputabili, qua dicitur veritas conformitas, seu adæquatio propositionis cum objecto, quod ita sit, vel non sit, & pro eo tempore, aut loco sit, vel non sit, pro ut esse, & pro quo esse à propositione enunciatur.

Altera suppositio est. In contingente, in quo semper est indeterminatio de possibili, nunquam tamen est, aut esse potest indeterminatio de inesse. Prima pars hujus suppositionis est evidens ex notione contingentis, quod quidem dividitur contra impossibile, & contra necessarium; potest enim esse, per quod opponitur impossibili, & potest non esse, per quod opponitur necessario. quare definitur contingens 1. priorum *possibile non necessarium*. Hoc posse esse, & posse non esse appello cum antiquis indifferentiam de possibili, quam certum est semper retinere contingens; nam si est, stat cum potentia antecedenti ad non esse: si non est stat cum potentia antecedenti ad esse. Altera

pars suppositionis est evidens ex virtute primi principii, Quodlibet est, vel non est: ex quo manifestè repugnat rem aliquam neque esse, neque non esse, & in certo aliquo reali instanti neque accipere determinationem essendi, neque determinationem non essendi: quæ appellatur ab iisdem antiquis indeterminatio de inesse.

His suppositis, sic arguo. Illam ipsam necessitatem, quam habet res ut sit determinatè, vel determinatè non sit pro tempore futuro per copulam importato, habet nunc propositio de futuro, ut sit determinatè vera, vel determinate falsa. Atqui est metaphysicè necessarium, ut res pro eo tempore determinate sit, vel determinatè non sit. ergo est metaphysicè necessarium, ut nunc propositio sit determinate vera, vel determinatè falsa. conseq. tenet. minor est evidens ex suppositione secunda: major ex prima propositio enim enuncians rem fore, vera nunc est, si res erit. falsa, si res non erit. ergo ità est necessarium, ut propositio nunc vera sit, vel sit falsa, ut est in tempore futuro necessarium, ut res sit, vel non sit. quæ consequentia evidens est, cum procedat à definitione ad definitum.

Hanc rationem si probe penetraveris, intelliges statim, quam sit abs re effugium Patris Gonet in suo manuali tr.3. de Sc. Dei c.4. §. 1. concl.3. ubi ait, quod vis contradictionis, in qua nitimur, id unum postulat, ut altera ex contradicentibus etiam de futuro sit vera in instanti reali, non verò pro signo rationis priori ad divinum decretum. toto igitur præsenti conatu nihil est actum.

Est, inquam, hoc effugium abs re; quia statum quæstionis invertit: consultò, an secus, author videat. Ostendimus jam capite primo non hic disputari inter nos, & Thomistas de veritate propositionum ejusm. de futuro, sed de

ea.

earum verificativo, sit ne decretum præsens, an res ipsa futura. In præsenti est demonstratum, propositionibus de futuro inesse veritatem, vel falsitatem ex ipsa determinatione, quam necessario habebit in se res futura vel essendo, vel non essendo, eamque habebit ex vi primi principii, Quodlibet est, vel non est, quemadmodum ex vi ejusdem principii veritas, vel falsitas inest propositionibus de præsenti, in quibus tantum non est veritas, vel falsitas in priori, sed in posteriori ad determinationem causæ præsentem. ergo est demonstratum intentum. At enim non est probatum hanc determinationem antecedere decretum. Ita, sed quis unquam hoc intendit? certe hoc ipsi nolumus, nisi in scriptis adversariorum, ubi fingunt hoc nos velle, ut habeant, quos apparenter impugnent. Vide iterum, quæ primo cap. dicta sunt.

Sit secunda ratio: pro qua suppono adversarios negantes cum Philosopho veritatem, falsitatemque determinatam propositionibus istiusmodi de futuro, duo asserere. 1. ex his contradicentibus, *bellum navale erit cras*, *bellum navale non erit cras*, neutram esse veram, neutram falsam. 2. esse tamen veram hanc categoricam de prædicato disiuncto, *bellum navale cras vel erit*, *vel non erit*; adeoque falsam ejus contradictoriam, *bellum navale cras neque erit*, *neque non erit*. Quæ sit inter hæc duo aperta inconsequentia, qui pluribus demonstratum volet, legat Ariminensem in 1. d. 38. q. 1. art. 1. & 2. Equidem paucis illam ostendo. Neque est verum, quod bellum navale erit, neque est verum, quod bellum navale non erit. ergo bellum navale neque erit, neque non erit. conseq. prob. 1. quia, ut verissime ait ibi Greg. à copulativa negativa, cujus partes sunt duæ singulares de inesse, tenet universim consequentia ad categoricam negativam de extremo copulate; ut si est vera ista, *neque Sortes sedet, neque Sortes cur-*

rit, erit vera & hæc, *Sortes neque sedet, neque currit.* aut si hanc generalem regulam negant adversarii, afferant, si habent, vel unam instantiam in contrarium.

Prob. 2. eadem consf. inquirendo, unde sit, quod hæc propositio, *bellum navale cras neque erit, neque non erit*, sit impossibilis veritatis: & hæc, *bellum navale cras vel erit, vel non erit*, sit necessariæ veritatis? Non aliam certe rationem afferre possunt, quam veritatem primi principii ostendentis inter contradictoria nec esse medium per inclusionem, nec per exclusionem, utriusque extremi, & hanc de facto rationem Philosophus tradit. At si lex contradictionis transferenda sit ad futurum nostra conclusio est demonstrata. ut enim est primum principium complexum metaphysicè prolatum, *Quodlibet est, vel non est*: ita est primum prolatum logicè, *De quolibet est affirmatio, aut negatio vera*, mirum autem esset, velle illud retinere circa futura, & hoc, quod est evidenter consequens ad illud, ad arbitrium velle circa eadem futura destruere.

Sit tertia ratio hinc fundata in natura contradictionis, cujus est invehere metaphysicam necessitatem, ut altera ex contradicentibus sit vera, altera falsa. atqui duæ istæ, *bellum erit; bellum non erit*, sunt contradicentes. ergo altera ex his est vera, altera falsa.

Negant adversarii cum Philosopho majorem, si extendatur etiam ad contradictorias de futuro; quia, inquiunt, futurum secundum se spectatum pendulum est, & indifferens ad fore, & non fore: sed contra est; quia eadem plane ratio quæ probat contradictorias de præterito, & de præsenti huic legi subesse, probat & subesse contradictorias de futuro. Ratio autem est ipsa contradictio, quæ in hoc stat, ut quidquid ab una ponitur, negetur ab altera, quidquid autem ponitur ab hac, *bellum erit*, tollitur, ab illa,

bel-

bellum non erit. Conf. quia ex ipsa vi contradictionis admittitur ab ipso Philosopho non posse, ne in futuris quidem concedi utraque contradictoria, aut utraque negari, cum potius neutra debeat concedi, neutra negari, quòd neutra sit vera, neutra falsa. Jam ergo vis contradictionis ad futurum etiam pertingit; cur autem ad aliquos, non ad omnes effectus, equidem non video. certè quod dicitur de pendentia, & indeterminatione futuri, nullum est dictum; aut enim loquitur indeterminationem de possibili, atque hæc non est ad rem; aut indeterminationem de inesse, atque hæc est evidenter chimæra, ut est in suppositione secunda ad primam rationem demonstratum.

Sit quarta ratio ex hac animadversione. Idem omninò est, quod enunciatur per propositiones de præterito, de præsenti, & de futuro: & diversitas dumtaxat est in tempore, in quo fit enunciatio, & in diversis veluti prospectibus, unde intellectus conspicit idem instans, sit enim sessio Petri in instanti B medio inter A prius, & C posterius; jam potest intellectus sessionem Petri in instanti B ex triplici instanti enunciare. si enim eam enunciet ex instanti A, dicitur enunciare sessionem futuram; si ex B, præsentem, si ex C, præteritam: sed eadem semper sessio, & pro eodem instanti, quamvis in instanti diverso enuncietur. simile quid habes in loco. sedeat enim Petrus in loco B v. g. in foro; jam potest intellectus sessionem Petri enunciare, existens & ipse in foro, atque ita dicitur enunciare sessionem localiter ipsi præsentem: & potest eandem enunciare existens in loco dissito; atque ità dicitur enunciare sessionem localiter ab ipso distantem, eadem tamen est sessio, & pro eodem loco enunciata, quamvis enunciata in loco diverso. Hæc doctrina minus debet displicere Thomistis propterea, quod est desumpta ex Div. Thoma, qui simili

doctrina, & exemplo pluribus in locis, sed præsertim De malo q. 16. ar. 7. explicat modum, quo Deo nihil est præteritum, & futurum, quod ita se habet à sua æternitate contingentia prospiciens, ut qui constitutus in alta specula prætereuntes omnes per viam uno intuitu præsentes habet.

Hinc autem triplex argumentum instruo ad veritatem conclusionis stabiliendam. 1. In enunciatione de præsenti indubitatum est, haberi veritatem determinatam, aut determinatam falsitatem. atqui idem omninò enunciatur à propositione de præsenti, atque à propositione de futuro; qui enim dicit, hodie Petrus sedet, hoc idem dixit heri, dum dixit, cras Petrus sedebit. ergo etiam propositio de futuro vera est, aut falsa determinatè.

2. Propositiones de præterito habent veritatem determinatam. atqui idem prorsus enunciatur à propositionibus de futuro; qui enim hodie dicit, Petrus heri peccavit, idem prorsus dixit nudius tertius, dum dixit, Petrus cras peccabit. Ut ergo peccatum Petri hesternum verificat hodie propositionem de præterito, potuit, & debuit verificare nudius tertius propositionem de futuro; cum idem sit omninò peccatum pro eodem determinato tempore ab utraque propositione enunciatum.

3. Argui potest à paritate loci. ut enim propositio est vera hic, quæ Petrum enunciat alibi sedere, & per hoc præcisè est vera, quod Petrus alibi sedeat: Ita est vera nunc propositio enunciāns Petrum non nunc, sed in alio tempore sedere, si vere Petrus in alio tempore sedet. Et in hoc quidem est eadem plane ratio, sive aliud tempus sit præteritum, sivè futurum; modo reverà Petrus in illo sedeat.

CA-

CAPUT VI.

Satisfit adversariorum argumentis.

OBiicit primo loco Goudinus, recentior ille Gallus, qui nos telas aranearum texere adversus Thomistas dictitaverat, quod non recte distinguamus in *ante*, & *post* decretum; fallentes scilicet, aut falsi. sic ergò arguit. Non potest esse vera determinatè propositio de futuro, dum ejus obiectum non est determinate futurum. ergo ante decretum nulla est veritas propositionis de futuro. Hic est unicus principalis syllogismus; cujus deindè minorem, *quam solam*, inquit, *adversarii negant*, multipliciter probat: imo nec aliud rationibus sequentibus probat, quam hanc minorem.

Qui sint isti adversarii, non dicit quidem, sed nos intento veluti digito ostendit. Poterat tamen indicare, apud quem ex nostris, aut ubi legerat sic negatam sine ulla distinctione illam minorem; nec gratis renovare rejectam olim à suis ipsis calumniam: atque apud doctos (de industria, aut secus id fecerit) dedecus sibi conciliare vel imposturæ, vel negligentiæ. Itaque uno verbo ad argum. resp. negando minorem; & consequ. si ly *ante* facit sensum formalem (de quo tamen ne verbum quidem in tota illa inutili serie rationum) concedendo totum, si ly *ante* facit sensum causalem, ut facere revera apud Goudinum colligere est ex probationibus, quas addit. Non est ergo mirandum, quod in uno aliquo ex suis argumentis titulum illum gloriosum apposuit, quod nec solutum sit hactenus, nec solvendum. Ita enim est. sed ratio tituli germana ea est, quod veritatem frustrà probare nititur nec negatam ab adversariis, quos impetit, nec negandam. Vide dicta cap. 1.

Obiicit idem 2. Contradictio non magis de-

terminat unam partem, quam aliam: ergò ex vi contradictionis non magis est vera una pars determinatè, quam altera. ergò malè ex vi contradictionis arguimus determinatam veritatem unius propositionis de futuro præ altera.

Posset addi hæc confirmatio. Hæc propositio, *necesse est alteram ex contradicentibus de futuro esse veram*, vera est veritate in neutram ex contradicentibus determinatè cadente; neutra enim est necessariò vera. ergò hæc propositio, *altera ex contradicentibus de futuro est vera*, potest esse vera veritate in neutram determinatè cadente.

Argumentum est ex penu Patris Gonet, qui propterea à P. Nicolao Martinez loc. cit. contr. 3. disp. 3. sect. 5. est meritò mulctatus. Nego igitur ultimam consequentiam. quis enim unquam sic arguit? dicimus quidem virtute contradictionis sequi necessario, aut rem determinatè esse, aut determinatè non esse, nec posse rem in statu reali manere ab utroque suspensam; adeoque necessariò propositionem, aut esse determinatè veram, aut determinatè falsam, nec posse à veritate simùl, & falsitate suspendi: sed non hinc fit, ut esse potiùs, quam non esse, veritas, quam falsitas inferatur.

Ad conf. instantia est evidens in contradicentibus de præsenti. Posset enim pariter argui: Ista propositio, *necesse est Petrum sedere, aut non sedere*, vera est veritate supra neutram partem cadente, quatenus neque est necesse Petrum sedere, neque est necesse Petrum non sedere. ergò idem poterit dici de hac, *aut Petrus sedet, aut Petrus non sedet*; adeoque poterit esse verum, quod neque Petrus sedeat, neque Petrus non sedeat. Disparitas jam est evidens: quia in prima non disiunguntur contradictoriæ, ut in secunda; Ut enim istæ cathegoricæ contradicunt, *Petrus sedet, Petrus non sedet*: non sic contradicunt duæ istæ modales, *necesse est Petrum sedere*,

dere, necesse est Petrum non sedere; cum ambæ sint falsæ, & oppositæ earum, *contingens est Petrum sedere, contingens est Petrum non sedere*, ambæ sint veræ: imò ab una teneat mutuò consequentia ad aliam, quæ à Dialecticis appellatur conversio in oppositam qualitatem.

Obiic. 3. Hæc veritas, *bellum navale cras erit*. est essentialiter connexa cum bello navali crastino; repugnat enim ex ipsa notione veritatis, hodie hanc esse veram, & bellum navale cras non fore. Sed nihil est in natura hodie connexum cum bello crastino. ergò non est hodie veritas ejus propositionis, adeoque ea non est vera. Nec juvat respondere, non esse opus, ut sit hodie veritas ejus dicti; cum ea sit bellum ipsum navale cras futurum. contra enim est. Propositio vera hodie habet necessariò veritatem hodiernam. at bellum non est hodiernum, sed crastinum ergò bellum non est veritas propositionis.

Resp. veritatem, seù potiùs verificativum formale ejus propositionis non esse hodie, sed cras; & ex hoc ipso hodie verificare. Propositio enim est vera per conformitatem ad suum objectum; cum ergò propositio enunciet bellum non hodie esse. sed cras; per hoc quod bellum non sit hodie, sed cras; manifestum est, quod verificat propositionem. Quare, ut notat egregiè laudatus Martinez, qui sic arguit; *Propositio de futuro est vera nunc, ergò debet habere nunc formale verificativum*, arguit à positione definiti ad negationem definitionis; Propositio enim vera de futuro est, quæ habet verificativum suum formale, non nunc, sed in futuro. At quo pacto, inquies, potest propositio esse nunc vera sine præsenti veritate? Resp. veritatem esse præsentem. non physicè (sic enim non esset veritas, seù verificativum, sed falsitas, seù falsificativum) sed logicè quoad denominare propositionem veram, ut dictum superiùs est, & patet exem-

plo.

plo propositionis de præterito, & de longinquo.

Obiic. 4. authoritatem, & rationem Philosophi, quam proponam verbis Boetii. *Si verum est omnia quæcumque facta sunt, definitè verè potuisse prædici: quoniam veritatem propositionis rei necessitas sequitur; quod verè definitè prædictum erat, non evenire non poterat. sed si non evenire non poterat, ut non eveniret, erat impossibile. Quod autem non fieri impossibile est, fieri necesse est. eventus igitur ejus ex necessitate consequitur. nihil ergo ad utrumlibet, neque à casu erit.*

Hoc argumentum, ut constat, evertit omnem notitiam veram futurorum non solum creatam, sed increatam; imo hanc à fortiori; quia creata notitia potest esse vera, & non necessariò vera. non sic increata. atque hinc apparet, quam meritò (quidquid in contrarium reclament Thomistæ, desertores Philosophi nos appellantes) dixerim prius, Aristotelem in hac parte non à nobis modo, sed & ab omnibus Catholicis deseri. & propterea hanc ipsam Philosophi sententiam hæreticam, & impiam. rationem vero ipsius sophisticam appellavit S. Bonav. in 1. d. 38. ar. 2. q. 1.

Resp. igitur futurum posse comparari ad propositionem veram tum creatam fallibilem, tum divinam infallibilem. utraque inducit, seù verius supponit in futuro necessitatem non antecedentem, sed ex suppositione, seù consequentem; cum hoc tamen discrimine, quod propositio creata est vera ex suppositione. quod res sit futura: & si ut est possibile antecedenter, res futura non esset, propositio nunc non vera, sed falsa esset. at notitia divina est ex suppositione, quod res sit futura: quæ quidem si non esset futura, divina notitia non quidem falsa esset, sed non esset. Et hoc est, quod dixit loc. cit. Bonav. quod futurum *aliter potest*

esse,


esse, quia Deus potest aliter præscisse: & cum ponitur, quod aliter sit, ponitur quod aliter præscit.

Hoc posito, liceat mihi extremo loco retorquere in adversarios argumentum, quod ipsi plausibiliter, ut videtur, in nos intorquent. Res, inquiunt, ista de constitutione futuri, & veritate h. m. propositionum, quod futurum sit scil., quod non est nunc, & est postea, & per hoc præcisè propositio de futuro sit vera, quod res enunciata non est nunc, & est posteà, non est tam grande mysterium, nec speculatio tàm acuta, quæ Aristotelis ingenium latere potuisset. Si ergo Philosophus non propterea dimotus est à sua sententia, signum est, quod argumentum nostrum non valet.

Omitto responsionem directam huic instantiæ, quæ posset afferri tum ex Gregorio ex hoc ipso arguente minus excusabilem Philosophum, cùm ex D. Thoma aliò mentem Philosophi directam volente, ut dictum in superioribus est; ego enim non eam hic attuli, ut solverem, sed ut retorquerem. quod præsto dupliciter. 1. ex illo enim antecedente potius sequitur, quod cum doctrina data sit evidens, credendum est Aristotelem nihil adversus illam esse meditatum, sed solum exclusisse veritatem futurorum in causa. 2. pariformiter arguo. Responsio modò dicta ad argumentum ipsius fundata in distinctione necessitatis in antecedentem, & consequentem non est tam grande mysterium, aut speculatio tàm acuta, quæ Aristotelis ingenium latere potuisset. Vidit ergò illam Philosophus, & argumentum tamen attulit declaratum, imo & approbatum, ut concedunt Thomistæ, à D. Thoma, qui fanè multo minus hanc necessitatis distinctionem ignoravit, quam sæpè ex Philosopho docuit. Dicendum igitur verius, quod Aristoteles eo argumento noluit impugnare veritatem propositionis de futuro in futuro indu-

ctivam

ctivam necessitatis futuri dumtaxat consequentem, quæ stat cum contingentia simpliciter dicta: in qua scilicet impugnanda nulla est probabilitatis apparentia in ejus ratione, sed potius veritatem propositionis de futuro in causa futuri prædeterminante, aut prædeterminata ad unum: in qua una impugnanda magna est sine dubio vis Aristotelicæ rationis.



LIBER QUARTUS.

De iis, quæ spectant ad intelligentiam illatam.

QUÆSTIO PRIMA.

De Syllogismo.



Otam de syllogismo tractationem quatuor libris Aristoteles comprehendit, quorum primi duo inscribuntur Priora Analytica, seù de Priori Analysi h.e. Resolutione, & totam syllogismi in genere structuram tradunt; alii duo inscribuntur Posteriora Analytica, seù de Posteriori Analysi, & naturam scrutantur Demonstrationis, quæ inter syllogismi species princeps est non utilitate minus, quam dignitate. Est autem Analysis, seù Resolutio examinatio quædam, qua de re aliqua judicium fertur, utrum legitima sit, ac perfecta juxtà naturam suam, quod præstatur, resolvendo illam in suas partes, ac principia. Sed universim duo sunt, quæ syllogismi perfectionem constituunt, forma evidens, & evidens materia: prima pertinet ad syllogismum in communi; & propterea de hac agitur in libris Priorum: altera propria est Demonstrationis; de eaque tractatur in libris Posteriorum. Jam in præsenti agam prius de syllogismo in communi, tum de Demonstratione; postremo de scientia, quæ est Demonstrationis effectus; atque ita, quidquid Logicæ superest, tandem absolvam.

CAPUT I.

Explicatur natura syllogismi.

DEfinitur à Philosopho Syllogismus *Oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quidem ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sint.* Sensus est, syllogismum esse orationem non simplicem, sed compositam, in qua quibusdam veritatibus positis, h.e. concessis, ut multi interpretantur, vel dispositis in modo, & figura, ut volunt alii, aliam veritatem à positis consequi necesse est, quæ quidem negare concedenti priores integrum non sit, additur *eo quod hæc sint*, h.e. ut explicat Fonseca, ex vi formæ; ut indicetur, verum ac rectum syllogismum non concludere tantum ex necessitate materiæ, ut aliæ argumentationes, verum etiam ex necessitate formæ, seù dispositione terminorum.

Hinc est discrimen inductionis à syllogismo; quia inductio non procedit ex positis, h.e. ex præmissis in recta forma dispositis. ut syllogismus. Est & aliud discrimen, quod in hac definitione non explicatur; quia syllogismus probat ex medio, cum inductio probet ex tertio, ut in prima quæst. est explicatum.

Dissensio est nunc inter authores, utrum conclusio pertineat intrinsecè ad essentiam syllogismi, in qua lite, quæ mera de voce est, ità censeo. Syllogismi nomine venit non rarò præmissarum collectio ad inferendam conclusionem idonea: quo pacto accipitur syllogismus demonstrativus à Philosopho 1. post. t. 5. ubi illum definit, quod sit syllogismus faciens scire, atque ita certum est, conclusionem esse extra essentiam syllogismi; sic enim conclusio est syllogismi effectus: omnis autem effectus est extrà essentiam causæ suæ. Venit etiam Syllogismi

gismi nomine collectio rationis; seù tertia intellectus operatio, quæ dicitur cognitio illata: atquæ ita sola conclusio est syllogismus; præmissæ enim ambæ sunt cognitiones compositæ, adeoque non ad tertiam, sed ad secundam pertinent intellectus operationem. Venit demum syllogismi nomine discursus integer, qui est aggregatum ex præmissis, & conclusione; quo pacto sumitur in præsenti à Philosopho in data definitione, in qua & exprimuntur præmissæ sub iis particulis, *quibusdam positis*, & conclusio sub iis, *aliud ab his, quæ posita sunt*, atque hic est communior modus accipiendi syllogismum, in quo sanè conclusio venit ut pars syllogismi constitutiva.

CAPUT II.

An, & quis ordo intercedat Præmissas inter, & Conclusionem.

Duplicem ordinem loqui possumus; alter est ordo naturæ, seù realis causalitatis; atque ita quæritur, utrum præmissæ sint causæ conclusionis efficientes, alter est ordo temporis, seù realis successionis; atque ità quæritur, utrum præmissæ præcedant tempore conclusionem.

Dico 1. Præmissæ sunt causæ efficientes conclusionis. Est contrà Arriagam disp. 15. Log. sec. 5. ubi vult cum communiore, ut ait, sententia, præmissas concurrere ad conclusionem non efficienter, sed formaliter, illuminando intellectum, illumque dirigendo, quo pacto in proœmiali quæst. dixi concurrere practicam cognitionem ad productionem praxis non realiter dando esse, sed idealiter dirigendo causam, quæ dat esse. Nostrum tamen dictum docuit D. Th. 1. contra Gentes c. 50. rat. 4. ubi asserit, quod *Principia sunt quodammodo causa efficiens*

conclu-

conclusionis, unde & demonstratio dicitur syllogismus faciens scire, dicit *quodammodo*; quia, ut notat ibi Ferrariensis, præmissæ non sunt causæ simpliciter, sed rationes agendi: quo non excluditur efficientia, sed limitatur ad instrumentalem. Hanc quoq; sententiam complectuntur Conimbr. Ruvius, aliique.

Prob. eodem argumento, quo in physicis universim asseritur unius in alterum efficientia. Ab eo procedit efficienter effectus, ad cujus præsentiam producitur, & in quo perfectiones, quas accipit, præsupponit, at conclusio & producitur, præsentibus præmissis, ut est omnibus certum; & perfectiones conclusionis in unis præmissis præsupponuntur; certitudo enim, evidentia, probabilitas, & sim. non nisi à præmissis derivantur in conclusionem; quæ proindè præmissas in his perfectionibus superare non potest; atque adeo præmissæ sunt ipsius quoad perfectionem mensura: quod est causę proprium, sunt ergo præmissæ vera causa conclusionis efficiens. Simili argumento communis sensus utitur ad probandam efficientiam impressæ speciei in cognitionem: quia enim in cognitione sunt prædicata obiecti intentionaliter transfusa, ad quæ potentia formaliter non se extendit, consequens est, ut obiectum, vel vice obiecti species debeat coinfluere ad cognitionem. Idem prorsus dic de evidentia, certitudine &c. in conclusione repertis, quas intellectus adæquatè non continet; si enim contineret, ex necessitate agendi, quam habet, in omnem eas cognitionem æquè refunderet, indiget ergo quoad hoc complemento, nec satis est species impressa tum quia intellectus sola specie munitus posset in conclusionem immediatè prorumpere, tum quia non video, cur species continens virtualiter perfectiones conclusionis, & non item præmissa continẽs easdem formaliter debeat conclusionem efficere.

Dices una cognitio aliam producere non solet;

solet; neque enim visio visionem in oculo, nec una intellectio aliam similem efficit in mente.

Sed alia est ratio visionum in oculo, & universim cognitionum solo numero distinctarum, in quibus non est subordinatio unius ad aliam, adeoque nec dependentia naturalis, qualis est conclusionis ad præmissas. Rursus cognitio nec potest ab alia numero distincta produci; aut enim altera superfluit; & natura non dat vires ad superfluum, aut si secunda priorem intenderet, idem ageret in se, adeoq; se usq; ad summum perficeret intra eandem speciem, quod adversatur experientiæ. At vero cum intellectus sit potentia se promovens à noto ad ignotum, debet posse adiutus à cognitione unius veritatis progredi ad cognitionem alterius: & sic debet una cognitio posse in aliam non ejusdem, sed diversæ rationis influere.

Dices iterum. Voluntas sine coefficientia cognitionis per solam propositionem bonitatis obiecti satis determinatur ad amandum, ergo intellectus sine coefficientia præmissarum per solam propositionem connexionis extremorum cum medio satis determinatur ad concludendum.

Sunt qui negant conf. & paritatem; quia, inquiunt, cognitio cum sit intentionalis obiecti assimilatio: adeoque habens intentionaliter prædicata obiecti, opus habet obiecti concursu: qui quidem ut ad cognitionem simplicem præstatur à specie, ità ad judicium præstatur per apprehensionem, & ad conclusionem per judicium, at volitio non est obiecti similitudo, & expressio, adeoque non indiget effectivo concursu obiecti seu per speciem, seu per cognitionem adhibito. Sed melius mihi videtur negandum antec. de quo in libris de Anima.

Dico 2. Regulariter intellectus noster, ut discur-

discurrat, indiget successione temporis, saltem cum prima vice syllogizat, non est tamen id indispensabiliter necessarium, cum possit, non rarò etiam soleat simul tempore assentiri præmissis, & conclusioni.

Prima hujus dicti pars docetur à D. Th. 1. p. q. 14. ar. 7. o. ubi ait, quod *Procedentes à principiis ad conclusionem, non simul utrumq; considerant*. Ratio est ab imperfectione intellectus, qui non modo veritatem, & evidentiam præmissarum secundùm se non statim penetrat, sed neque penetrat statim vim, quam habent, illativam; quamvis enim ubi præmissæ manifestè concludunt, quod accidit in 4. modis primæ figuræ, talis mora nulla sit; est tamen non nihil moræ in aliis modis non ita manifestè concludentibus.

Altera dicti pars etiam constat; data enim evidentia prima præmissarum, quæ per se notæ sint, intellectus benè dispositus, scientiisque versandis assuetus nulla indiget ad assentiendum mora, sed neq; mora indiget ad assentiendum conclusioni, causa enim completa cum primò est, tunc primò potest agere, nisi impediatur, intellectus autem præmissis instructus in instanti A, est in eodem completè potens conclusionem, nec habet, à quo impediatur, ergò potest in eodem conclusionem producere. Quod ipsum multo magis est verum, dum demonstrationem alias elicitam recordatur; tunc enim mora non est opus ad præmissas intimè penetrandas; adeoque simul poterit & præmissas, & conclusionem amplecti.

Oppones 1. Phil. 1. Top. c. 4. loco 33. dicentem: *Contingit plura scire, cogitare autem non*, ubi pro *scire* habitum, pro *cogitare* actum intelligit, non ergo potest intellectus noster præmissas simul, & conclusionem, quæ plura sunt, cognoscere. 2. aliud est Phil. dictum 3. de Anima, *Intelligentem oportet speculari phantasmata*,

at

at productio phantasmatum semper est successiva, successiva sit ergo semper oportet cognitionum positio.

Ad 1. posset facile Phil. exponi de pluribus non ordinatis, nec connexis inter se: quod non contingit in syllogismo, sed revera alia est ibi Phil. mens nomine cogitationis phantasma intelligi eo loco vult Comment. nihil autem ibi decernitur possimus, necnè simul multa phantasiari; sed solum contenditur, rectum esse illum arguendi modum, quod si scire multa possumus, imaginari autem non nisi unum, scire non est imaginari. Ad 2. multa possumus etiam per phantasiam cogitare; cum enim sit comparativa potentia, & omnis comparatio sit inter plura simul cognita, necesse est, ut possit phantasia quoque plura simul cognoscere.

CAPUT III.

An conclusio reflectat in Praemissas.

PRaemissae sunt motivum, & ratio, cur intellectus assentiatur conclusioni, ex connexione enim, quam habent extrema cum tertio, movetur ad asserendam connexionem eorundem inter se, quaeritur ergo, utrum actus conclusionalis non solum asserat connexionem extremorum, tanquam obiectum assertum, sed praetereà asserat indispensabiliter connexionem eorundem cum tertio, tanquam asserendi motivum. In qua re affirmativam partem tenet D. Thom. 1. 2. qu.8. ar.3. o. quem sequuntur omnes Thomistae, & Recc. nostri communiter.

S.

§. I.

Resolutio negativa eligitur, & probatur:

DIco tamen, non esse de ratione assensus illati, ut reflectat in præmissas, *& intrinsecè attingat* non modo veritatem illatam, sed etiam rationem inferendi.

Prob. 1. motivum actus non debet universim attingi ab actu, sed à potentia eliciente actum, at præmissæ, seu verius præmissarum obiectum, non sunt, nisi motivum conclusionis, ergo non debet attingi à conclusione, sed solum per actus prævios ab intellectu eliciente conclusionem: major prob. ratio motivi, & terminativi in obiecto sunt rationes formales invicem distinctæ, & separabiles, quare sicuti est dabile obiectum, quod sit terminativum, & non motivum actus, quatenus est veritas affirmata, & non ratio affirmandi; ita & poterit dari obiectum, quod sit motivum actus, & non terminativum ejusdem, quatenus est ratio affirmandi, & non eodem, sed alio actu affirmata. Et quidem motivum affirmandi ex propria sua ratione non habet, nisi ut positum in potentia illam determinet, ac moveat ad actum consequentem: quod totum stat in sola efficientia actus in actum, quamvis actus consequens intrinsecè non attingat motivum suum.

Prob. 2. retorquendo præcipuum adversariorum argumentum. Conclusio est essentialiter conclusio, ergo non reflectit in præmissas, consequentia una est probanda; nam antecedens est illud, ex quo reflexionem suam adversarii maximè probant, sic igitur arguo. Quæ propositio habet in se veritatis suæ rationem, non indiget alia propositione prævia, ut sit; qua enim alia de causa propositiones per se notæ sunt primæ, aliisque prioribus non indigentes? atqui

con-

conclusio reflectens in objectum præmissarum est propositio in se habens veritatis suæ rationem, quam intrinsecè attingit; unde & ab adversariis actus rationalis specialiter appellatur. ergo ut sit, non indiget alia prævia propositione. Rursus quæ propositio præviis propositionibus non indiget, illata essentialiter non est, ut constat ex terminis, adeoque nec conclusio; ergo conclusio reflectens in præmissas non est essentialiter conclusio..

Unum video posse responderi ex Arriaga; conclusionem non reflectere in pręmissas explicitè, sed implicitè, dicendo tantum, *hinc sequitur* &c. Verùm in hac responsione adversarii non sibi cohærent. contendunt enim intellectum, potentiam necessariam, assentiri conclusioni, & simul præmissis ut rationi assentiendi, quia ipsi concludenti non solum proponitur veritas conclusionis, sed etiam ratio assentiendi. Huic majori subjungo hanc minorem sed ratio assentiendi proponitur non implicitè, sed explicitè. ergo intellectus, potentia necessaria, debet eam non solum implicitè, sed etiam explicitè amplecti. Præterea actus, qui ex natura sua habet attingere aliquod objectum, habet illud attingere juxtà modum propositionis, & applicationis. si ergo motivum explicitè proponitur, explicitè debet attingi ab actu conclusionis, si hic de sua natura est attactivus motivi.

Prob. 3. aut ista reflexio in motivum assensus est propria consequentiæ syllogisticæ, aut est communis cuicunque consequentiæ. primum dicitur sine cohærentia; rationes enim quę afferuntur, probant de omni consequentia secundum si afferatur, fiet, ut aliqua consequentia, quæ apud summulistas est formalis, sit merè identica, & inepta. Etenim à causali hypotheticaad categoricam præjacentem est formalis juxtà omnes consequentia, ut, *lux est, quia Sol*

 est;

est, ergo lux est. at si in hac etiam repetatur motivum, fiet manifestè consequens, identicum antecedenti suo, nihilque re ipsa inferetur, dum sic inferetur: *Lux est, quia sol est; ergo lux est, quia sol est*.

Conf. ex duplici alio in summulis absurdo, quod inde sequeretur. 1. quod ex categoricis non inferretur categorica, sed causalis hypothetica: v.g. ex istis, *omne rationale est risivum, omnis homo est rationalis*, non sequeretur hæc, *ergo omnis homo est risivus*, sed illa, *ergo omnis homo est risivus, quia est rationalis*: quod nemo hactenus Dialecticus somniavit. 2. medium ingrederetur indispensabiliter conclusionem adversus vulgatissimos canones summularum. Quod si vitiosa hæc sunt in vocali syllogismo, quid ni pariter in mentali?

§. II.

Contrariis objectionibus fit satis.

OBiic. 1. Ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantùm 3. Top. c. 2. at conclusioni assentimur propter præmissas. ergo uno actu assentimur & conclusioni, & præmissis. Conf. ex D. Th. in 3. d. 14. ar. 1. q. 4. ubi ait, quod *ratio cognoscendi est forma rei in quantum est cognita, quia per eam fit cognitio in actu, unde sicut ex materia, & forma est unum esse, ita ratio cognoscendi, & res cognita sunt unum cognitum; & propter hoc utriusque in quantum hujusm. est una cognitio*. Una igitur est cognitio conclusionis, & præmissarum, quæ sunt rationes cognoscendi conclusionem.

Resp. unum propter aliud potest haberi in objecto attacto cum expressa habitudine ad aliud: atque hoc pacto attingens unum verum propter aliud verum, necessariò utrumque attingit, unum propter aliud potest rursus habe-

ri in actu, qui alium actum prævium sequatur; atque hoc pacto non est necesse, imò non est possibile, ut sit unus actus. conclusio autem non attingit verum propter verum, sed est attingentia unius veri sequens attingentiam alterius. atque ex hoc ordine sequelæ sine ulla reflexione fit etiam suo modo unum, unus scilicet syllogismus. Ad conf. dico D. Th. ibi loqui non de ratione *ex qua*, sed *in qua*; loquitur enim de iis, quæ videntur in Verbo non discursivè, sed per simplicem intuitum.

Obiic. 2. Voluntas non potest amare media, quin eodem actu amet finem, quia media non amat, nisi propter finem. ergo non potest intellectus asentiri conclusioni, quin actu eodem asentiatur præmissis; quia conclusioni non assentitur, nisi propter præmisas.

Arriaga censet posse negari paritatem; quià, inquit, tota bonitas, & amabilitas medii est ordo ad finem: at veritas conclusionis non est ordo ad præmisas, sed ad objectum suum, cui conformatur. Quidquid sit de ista disparitate (quæ poset facile urgeri, quia licet veritas conclusionis non sit ordo ad præmisas, est tamen talis ordo, & connexio tota conclusionis affirmabilitas) nego equidem antecedens, de cujus falsitate agam in Ethicis ex professo.

Obiic. 3. Scire est rem per suas causas cognoscere. at non potest sciri hoc propter hoc, nisi per actum, qui attingat hoc, & hoc. ergo conclusio scita attingit & veritatem illatam, & rationem inferendi.

Responsio patet ex dictis ad 1. distingue igitur inter has propositiones: *Propter causam scitam scio effectum*, & *scio effectum esse propter causam* primum pertinet ad demonstrationem, qua intellectus ab uno cognito transit ad aliud cognoscendum. Secundum potest pertinere ad altiorem sciendi modum, qualis est in angelica, & divina scientia, quæ dicit etiam lucem

esse propter Solem, & creaturam propter Deum; sed non progreditur à notitia Solis, & Dei ad notitiam lucis & creaturæ: qui est noster modus cognoscendi discursivus, & imperfectus. Major igitur intellecta de scientia, quæ est demonstrationis effectus, ut sit vera, debet facere primum sensum, in quo falsa est minor.

Obiic. 4. intellectui non modò proponitur veritas conclusionis, sed etiam ratio ejusdem veritatis. ergò cum utraque evidenter in demonstratione proponatur, utramque debet, dum concludit, amplecti.

Resp. confici dumtaxat necessitatem assentiendi tum præmissis, tum conclusioni: sed non video, quo pacto vel apparenter conficiatur necessitas assentiendi præmissis per actum conclusionis. Sic dum assentitur intellectus minori, stat evidentia majoris, nec tamen debet per minorem iterum assentiri majori, idem dic de assensu conclusionis, quem ingredi ut objectum non potest evidentia præmissarum, quin iterum necessitetur intellectus ad assentiendum præmissis, quod si iterum, cur non tertiò? cur non quartò? frustranei ergò sunt alii assensus, ad frustraneum autem necessitas esse non potest.

Obiic. 5. Conclusio est actus rationalis. sed si nesciret rationem, propter quam assentitur, rationalis non esset. ergò scit rationem suam, adeoque attingit objecta præmissarum.

Aliter esse debet rationalis potentia, aliter actus præsertim illatus, & imperfectus, potentia est rationalis cognoscendo rationem, à qua movetur; actus est rationalis supponendo cognitam à potentia rationem motivam.

Obiic. 6. Achillem adversariorum. actus conclusionis est intrinsecè, & essentialiter actus conclusionis, cum sit tertia intellectus operatio,

tio, adeoque specie differens à prima, & secunda. ergò intrinsecè reflectit in præmissas; aliter non esset, nisi merum judicium simplicis veritatis assertivum: in quo à præmissis non differret.

Conf. 1. particula *ergo*, quæ ponitur in conclusione, & est nota rationis, denotat aliquid quod per assensum illatum cognoscatur præter veritatem ipsam illatam. atqui hoc aliud non est, nisi præmissarum obiectum. ergo hoc etiam per conclusionem attingitur.

Conf. 2. scit quisque per suorum actuum experientiam, ex tribus actibus constantibus syllogismum quis sit conclusio, quis præmissa. at si conclusio in præmissas non reflecteret, scire id non posset. ergo min. prob. est syllogismus, in quo potest indifferenter præmissa quævis transire in conclusionem, & conclusio in præmissam; ut videre est in hoc expositorio in prima figura, *Petrus est Rex, hic homo est Petrus, ergo hic est Rex*. qui potest sic mutari in secunda figura, *Petrus est Rex, hic homo est Rex, ergo hic homo est Petrus*: vel sic in tertia, *hic homo est Rex, hic homo est Petrus, ergo Petrus est Rex*. Jam quæritur, dum istos tres actus simul habes, unde nosti, hunc esse conclusionem, hunc præmissam? quod est quærere, quid nosti in actu determinans ejus indifferentiam? non aliud certè, quam reflexionem ab adversariis intentam.

Antecedens argumenti probavit mihi superius conclusionem in præmissas non reflectere hoc enim dato, jam constat, quo pacto propositio nota per aliud sit essentialiter propositio secunda, adeoque essentialiter illata. cum non involvat aliam notam per se; & per consequens indiget actu prævio, quo attingatur nota per se.

Quod si ulterius inquiras, in quo stet ratio propria conclusionis, ut à judicio quà tali di-

stincta, & explicata per particulam ergo; quæ est difficultas proposita in prima confirmatione; Resp. constitui conclusionem proportionaliter ad modum, quo explicata est constitutio judicii lib.2. q.3 c.1. ut enim ibi dixi judicium involuere de materiali duas cognitiones, de formali autem intentionale, quoddam signum syncategorematicum quod sit nota trahens eas cognitiones in identitatem, aut alietatem, suppositionis expressa per verbum *est*, aut *non est*: ità nunc censeo, discursum importare de materiali judicium, de formali autem propoitionale syncategorema, quod sit nota rationis, seù dependentiæ judicii ex judicio expressa per particulam *ergo*, & dependentiam quidem ista, quam notat, non est merè physica, qualis est lucis à Sole, sed præterea intentionalis consistens in progressu à veritate una cognita, & affirmata ad aliam cognoscendam, & affirmandam. Frustra igitur sunt adversarii, si speciale quærunt obiectum particulæ *ergo* correspondens.

Ad 2. conf. jam patet ex dictis, adversarios hærere nobiscum in eadem salebra; cum enim suus etiam ille actus possit non esse illatus, unde notum, hic & nunc esse illatum? Dico igitur primò posse id sciri quandoque ex natura veritatum, quarum alia est prima, & per se nota, alia secunda, & nota per aliud. 2. ex posterioritate temporis unius ad alium actum; quamvis enim in discursu attendendus sit ordo non tam temporis, quam naturæ, hic tamen ab illo tanquam à signo sæpè dignoscitur. sic quod ignis *a* sit effectus, & ignis *b* sit causa, ex eo unicè habemus, quia ignis *b* tempore præcessit ignem *a*, unde arguimus in igne *b* independentiam, dependentiam in *a* ad alterius præsentiam geniti. idem valet in actibus nostræ mentis. 3. id ipsum potest innotescere ex natura præmissarum, quæ quidem non sunt duo

actus

actus omninò disparati, cum minor debeat aliquo modo reflectere suprà majorem, non solum scil. affirmando medium de minori extremo, sed etiam cognoscendo, medium, quod est prædicatum minoris, esse idem cum eo, quod est majoris subjectum, aliter non habetur motivum sufficiens concludendi. illæ igitur sunt præmissæ, quarum una tendit in extremum alterius, altera talem tendentiam terminat quæ neutrum habet, conclusio est.

Instabis tamen adhuc ex hac doctrina. videtur enim debere conclusio reflectere in præmissas, uti minor in maiorem, ut sciat scil. easdem esse extremitates, quæ invicem in conclusione, & quæ seorsim in præmissis affirmantur.

Resp. non oportere. reflexio enim minoris est necessaria, ut teneatur motivum, quod non est, nisi identitas medii. Scito autem motivo veritatis cuiuspiam naturaliter ad illam determinante, eo ipso talis veritas innotescit. nec oportet scire ulterius signatè quod illa ipsa est veritas, ad quam tale motivum determinat. quamvis possit, & sæpè soleat per alium actum reflexum id ipsum sciri: sed talis reflexus actus ad conclusionem non pertinet.

CAPUT VI.

An ad assensum conclusionis prærequiratur judicium de bonitate consequentiæ.

DIco 1. ad conclusionis assensum non est opus universim præmitti iudicium de bonitate consequentiæ.

Reiicienda prius est communis quorundam ratiocinatio, qua dictum istud stabilire contendunt: non quòd aliorum probationes reiicere quidquam pensi nunc habeam; quod

cæteris non curo; sed quia opus in præsenti id est ad sensum conclusionis enucleandum. Sic igitur arguunt. antecedenter ad conclusionem, nec debet, nec potest præmitti ipsa conclusio. at iudicium de bonitate illationis est indivisum judicium de veritate illati, in quo stat formalis conclusio. ergo. probant min. stantibus his præmissis. *Omnis homo est rationalis, Petrus est homo*, iudicium de bonitate consequentiæ affirmaret, sequi ex his, quod *Petrus est rationalis*: quod iudicium manifestè affirmat, quod Petrus sit rationalis; adeoque iudicat consequentis veritatem.

Falsa tamen est minor. aliud siquidem ex genere est veritas consequentis, aliud bonitas consequentiæ; nec solum aliud, sed etiam mutuò separabile; contingit enim ut consequens sit verum, sed non sequatur ex præmissis; rursus ut sequatur ex præmissis, & tamen sit falsum. quamvis autem, dum præmissæ sunt veræ, & in recta forma dispositæ, stare non possit bonitas consequentiæ sine veritate consequentis, cum ex vero non sequatur nisi verum ex hoc tamen non fit, ut eadem sit formaliter, etiam in hoc casu bonitas consƒ. cum veritate consequ. sed solum quod una sit virtualiter altera: quemadmodum quod veritas præmissarum stare non possit sine veritate conclusionis, non fit eandem formaliter esse utrarumque veritatem, sed solum quod veritas conclusionis virtualiter contineatur in veritate præmissarum, quod ipsum inde constat, quia bona est, & formalis: non vero identica ea illatio; *Petrum esse rationalem sequitur ex præmissis veris, & rectè dispositis, ergo Petrus verè est rationalis.*

Probatur iam nostra conclusio ex eo, quod nulla apparet eius iudicii necessitas. Et quidem nec Philosophus inter præcognitiones, & præcognita demonstrationis bonitatem illa-

illationis usquam numerat: nec experientia id docet. Rurius adversarii tenentur concedere non duas sed tres præmissas necessarias esse syllogismo. Demum illa eadem universalia principia evidentia, quæ regulant in universali syllogismum, contracta ad particularem materiam regulant eundem in particulari, sivè ergo syllogismus reguletur per *dici de omni*, ut veteres Logici omnes volunt, sivè per illud, *Quæ sunt eadem uni ꝫ sunt eadem inter se*, ut communiter Recentiores; sivè per utrumque, quia utrumque est evidens; illud idem, quod est satis ad affirmandam in simplici judicio veritatem eorum principiorum, satis erit ad inferendam in discursu unam veritatem ex alia. atqui ad ea principia affirmanda non est opus alio judicio prævio, quo judicetur terminorum connexio, aut identitas. tum quià sic illa non esset per se nota, sed ab alio deducta. tum quia ex dictis cap. 8. de universalibus in communi constat, nec debere, nec posse ante affirmationem attingi connexionem, seù identitatem intercedentem inter subiectum, & prædicatum. ergò similiter ad concludendum præmitti non debet judicium de connexione inter antecedens, & consequens; sed hoc fiet exercitè per ipsam illationem, qua sibi intellectus manifestat veritatem ex veritate, quemadmodum per formale judicii sibi loquitur identitatem subiecti cum prædicato.

Dices cum Arriaga, impossibile est judicare, quod non est apprehensum, at per conclusionem affirmatur non modo identitas inter subiectum, & prædicatum, sed etiam connexio veritatis illatæ cum ratione inferendi. ergo talis connexio præcognoscitur.

Argumentum primò peccat in minore, cujus falsitas satis est superiori capite declarata. Deindè judicium connexionis, si quod esset, perinde se haberet ut judicium identitatis; ad quod

 non

non est opus prævia cognitio identitatis, quoad an est, sed solum quoad quid est, quatenus qui affirmat prædicatum de subiecto, non debet præcognoscere, quod prædicatum insit subiecto (hoc enim esset affirmare antè affirmationem) sed solum debet scire in universum, quid sit identitas. idem dic de connexione veritatis cum veritate, quæ ab illam affirmante non scitur, nisi per actum, quo affirmatur; aliter ipsa etiam affirmaretur priusquam affirmaretur.

Dico 2. judicium de bonitate illationis non fertur ne per actum quidem ipsum conclusionis.

Conclusio præsens est manifesta ex probatis superiori capite; si enim conclusio judicaret illationis suæ bonitatem, attingeret sui connexionem cum præmissis, in qua stat illa bonitas. adeoque reflecteret in præmissas, cum attingi connexio non possit sine termino connexionis.

Conf. non potest in conclusione affirmari, nisi veritas, quæ sequitur ex præmissis rectè dispositis. atqui ex his sola veritas illati deduci potest, non verò bonitas illationis. ergò bonitas illationis non potest in conclusione affirmari. min. prob. consequentiam esse bonam, & consequens esse verum sunt duæ veritates distinctæ, & demonstrabiles per distinctos syllogismos, secunda scilicet per syllogismum directum, prima per reflexum, in quo regulæ logicæ in præmissas assumantur. Neque valet, quod bonitas consequentiæ trahat in aliquo casu veritatem consequentis; quamvis enim admirativum, & risibile sint perfectiones connexæ, & illud trahat homo: non idcircò syllogismus probans de homine admirativum, probat indivisim risibile, sed debet novus syllogismus construi ad hoc probandum; Dum ergo sic arguo; *Omne rationale est admirativum, omnis*

omnis homo est rationalis; non possum hinc inferre, nisi quod *omnis homo sit admirativus*. & hoc est facere exercitè bonam consequentiam. cognoscere autem signatè, quod hæc consequentia sit bona, est opus alterius syllogismi, quo ostendatur is esse in debito modo, & figura.

CAPUT V.

Num positis assensibus præmissarum necessitetur intellectus ad assensum conclusionis.

PRæsens difficultas consurgit ex definitione syllogismi, in qua dicitur, quod *quibusdam positis, aliud*, quid à positis *necesse est* contingere: quod perindè est, ac conclusionem necessariò sequi ex præmissis. Porrò duplex est necessitas, (ut & duplex proportionaliter libertas) altera contradictionis, seù exercicii, altera contrarietatis, seù specificationis, prima necessitas est, cum potentia ità necessitatur ad actum, ut non possit illum non ponere; ut si voluntas ita necessitetur ad amandum, ut non possit non amare, altera, cum potentia ità necessitatur ad actum, ut possit illum non ponere. suspendendo omnem actum, sed non possit tamen ponere actum oppositum; ut si voluntas ità necessitetur, ut possit quidem suspendere amorem, sed non possit ponere odium. De utraque necessitate procedit quæstio præsens. Itaque potest quæri primò, utrum, positis assensibus præmissarum, possit intellectus dissentiri conclusioni: quod si non potest, habebit necessitatem, specificationis, seù contrarietatis. potest quæri secundo, utrum, stantibus præmissis, possit suspendere assensum conclusionis: quod si non potest, habebit necessitatem contradictionis, seù exercitii. Ve-

rum quià censeo in hac re aliter philosophandum in demonstrativo, aliter in probabili syllogismo, de utroque seorsim agam.

§. I.

Statuitur, quid dicendum de assensu demonstrato.

DIco 1. Positis præmissis evidentibus, non potest intellectus dissentiri conclusioni, adeoque conclusio demonstrata est necessaria necessitate specificationis. Conclusio hæc est omnibus certa; conclusio enim in demonstratione trahit à præmissis evidentiam; evidentia autem ponit in actu impossibilitatem falsitatis. ergò ponit in eodem impossibilitatem dissensus, qui non est nisi ad falsum; ut odium in voluntate non est, nisi ad malum.

Dico 2. Positis præmissis evidentibus, non potest intellectus non assentiri, adeoque conclusio demonstrata habet necessitatem contradictionis etiam, seù exercitii. Conveniunt in hujus dicti veritate approbanda D. Th. Scotus, Durandus, Fonseca, & alii. quos citant, & sequuntur Conimbr. 1.post.c.1.q.4 ar.4. quod notasse non frustra est; non parum enim juvat consensus authorum in re, quæ maximè pendet ab experientia nostrorum actuum.

Prob. ex ipsa natura evidentiæ, cujus est determinare potentiam ad assensum veritatis, cui inest, etiam quoad exercitium. cum ergo certum sit ex præmissis evidentibus sequi evidens etiam consequens, certum etiam erit, non posse intellectum suspendi ab assensu consequentis antecedens prob. 1. experimur enim in veritatibus primis, ac per se notis assensum suspendi non posse. nàm quis, proposita hac veritate, *duo & tria faciunt quinque*, poterit ex arbitrio nihil affirmare; ac proinde remanere dubius

bius de ea veritate? Profectò post ejusmodi veritates propositas, si se interroget, nemo sibi poterit respondere, *nescio*. Signum ergo est, omnino necessarium iis præstari assensum. Neque vero quod ea sit evidentia prima, conclusionis autẽ sit evidentia secunda, apta est ad rem disparitas, primitas enim ad summum facit evidentiam majorem, ut sit ergo in conclusione minor evidentia, verè tamen est evidentia: quæ una facit assensus necessitatem, majorem ad summum si sit major, & prima: minorem, si sit minor, & secunda.

2. In obiectis evidentibus convenit planè intellectus cum sensu; at non alia ratione sensus rapitur ab obiecto, quin possit in suo actu impediri à voluntate, quàm quia obiectum intuitivè, & evidenter proponitur. ut ergò non potest vi arbitrii oculus præsentem lucem non videre, tactus præsentem calorem non sentire, & sic de aliis: imo nec potest intellectus ipse cum sensu, & phantasia non operari ad judicandum obiectum à sensu experimentaliter exhibitum; aliter posset molestum, aut jucundum præsens non judicare, adeoque impedire tristitiam, & gaudium inde resultans: quod experientiæ refragatur: ità nec poterit universim ab obiecto quocumque sub evidentia proposito resilire, nihil penitus judicando,

Dices, paritatem sensuum probare nimis. probat enim, non posse intellectum munitum specie evidenti non actu cognoscere. oppositum tamen constat in speciebus rememorativis, evidentibus quidem, & experimentalibus, sed quæ perseverant in nobis, etiam nil cogitantibus, ac dormientibus.

Resp. species etiam rememorativas necessitare ad cognitionem, & assensum, ubi intellectus est ab aliis cognitionibus expeditus, & illæ sunt excitatæ; qua excitatione omninò indigent propter debilitatem, cum sint species abstra-

ctivæ

ctivæ de obiecto jam præterito; & præterea sensim cum tempore infirmentur, ac pereant. Contrarium accidit in iis ipsis, cum recentes sunt, & fortiter satis impressæ; tunc enim quantumcumque laboremus ad avertendam cognitionem, recurrunt tamen usque, nobis etiam invitis, ut videre est in memoria recentis gravioris offensæ, quam excutere licet velimus, non tamen possumus. Quod si aliquando species istæ sopiuntur, ex eo est, quod vim per se sufficientem ad movendum non habent: cujus oppositum accidit sine dubio in præmissis. Confirmat ergò potius instantia conclusionem, quàm evertat.

3. Probatur idem antecedens à priori; quia imperium voluntatis in intellectum ad ipsum à veritate evidenter proposita avertendum, chimæricum planè est; quod ut ostendatur, notanda est ex D. Th. ratio, cur voluntas in reliquas potentias naturaliter dominetur. Sic. n. habet 1.2. q 9 ar. 1. o. *Utimur aliis potentiis, cum volumus; nàm fines, & perfectiones aliarum potentiarum comprehenduntur sub obiecto voluntatis, sicut quadam particularia bona. semper autem ars, vel potentia, ad quam pertinet finis universalis, movet ad agendum artem, vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis sub illo universali comprehensus.* Ex hoc fit, ut dominium voluntatis in exteriores potentias non sit despoticum, & tyrannicum, sed regale, ac politicum, ordinatum scilicet in bonum non voluntatis dominantis, sed potentiarum subditarum. Unam excipe potentiam loco motivam, quæ quia habet rationem non finis, sed medii, estque universale instrumentum, quo utitur appetitus ad inferiores potentias regulandas, debuit posse illa uti etiam in malum ipsius potentiæ motivæ.

Hinc est primò, posse à voluntate impediri indirectè actus omnium potentiarum inferiorum:

rum: quod constat tum ab experientia : facit enim voluntas, ut oculus non videat, auris non audiat, &c. non quidem præsente obiecto: quod est impedire directè: sed avertendo potentiam ab objecto, ut claudendo oculos; aures, &c. quod est impedire indirectè: quo etiam pacto potest impedire assensum intellectualem veritatis etiam evidentis, intellectum distrahendo ad veritatis alterius considerationem. tum à priori ex modò dictis; pertinet enim ad bonum, & perfectionem potentiæ cognoscitivæ, ut possit se convertere successivè ad multa, quæ simul considerare non potest.

Est secundò, non posse à voluntate impediri directè actus evidentes inferiorum potentiarum. illatio in sensibus est manifesta; & probatur universalius à priori ex dictis; quia si hoc posset voluntas, cederet in malum potentiarum; non vis enim diverti potentiam ad aliud obiectum; non vis averti ab omni obiecto ad quietem; sed vis obiectum potentiæ propositum, nec tamen à potentia attactum, & possessum; quod est privare potentiam perfectione hic, & nunc debita, non quia hoc est potentiæ bonum, sed quia sic placitum voluntati. hoc autem est voluntatem exercere in potentias non imperium, sed tyrannidem.

4 Demum arguo à paritate voluntatis, quæ sanè, ut fert communior, meliorque sententia, à bono summo clarè proposito necessitate exercitii movetur. ergò item movebitur necessariò intellectus à vero summo. atqui omne verum evidens est verum summum. ergò ab omni vero evidenti necessariò, quoad exercitium intellectus movetur. subsumpta prob. quia bonum est summum per necessariam exclusionem omnis materiæ. atqui omne verum evidens necessariò excludit omne falsum. ergò omne verum evidens est summum verum.

Obi-

Obiic. 1. potentiæ naturales, & operantes ex omnimoda necessitate naturæ non sunt capaces habituum facilitantium; aliter poni potest habitus in igne ad comburendum. atqui intellectus est capax habitus etiam relatè ad conclusionem demonstratam. ergò non assentitur eiusm. conclusioni ex omnimoda necessitate naturæ, sed habebit in hanc quoque libertatem aliquam saltem exercitii.

Si nomine habitus arguens intelligat qualitatem à speciebus rememorativis distinctam, & mortuo quodam modo potentiam inclinantem, nulla est in meis principiis potentia capax habitus; quia nullos tales habitus agnosco. quod si veniant, ut debent, species ipsæ rememorativæ, manifestum est, quod intellectus sit capax habitus, etiam ubi naturaliter operatur. neque verò is erit frustrà; inserviet enim ad facilius operandum, sublevando potentiam defatigationis capacem; inserviet ad potentiam alliciendam, inclinandamque; nam quamvis eiusm. inclinatione non sit opus, dum positæ sunt præmissæ, habitus tamen movet ad ipsas præmissas ponendas ex amore conclusionis. inserviet demum, ut possit intellectus assentiri conclusioni, etiam dum præmissas non considerat; cum sit sufficiens motivum assentiendi meminisse, quod assensus aliàs sit.

Obiic. 2. aliundè est necessitas specificationis, aliundè necessitas exercitii. prima est ab obiecto; secunda ab ipso exercitio, quo potentia fertur in obiectum; & in quo, ut ab eo cesset potentia, videat oportet rationem aliquam mali, aut impedimentum maioris boni. Et hoc voluit D. Thom. loco nuper cit. dum ait, quod *Voluntas indiget movente quoad duo, scil. quantum ad exercitium, vel usum actus, & quantum ad determinationem actus: quorum primum est ex parte subiecti, aliud autem est ex parte obiecti, &c.* Et ex hoc probat videntes Deum.

necessitari quoad exercitium ad Dei amorem 3. contra Gentes cap.62. rat.6. Atqui potest intellectus in assensu conclusionis apprehendere rationem mali, lassitudinem nim. ex attentione simultanea ad tot obiecta, & impedimentum majoris boni; impeditur enim, quo minus attendat ad alia, quæ sunt quandoq; perfectiora, & quorum proinde notitia magis perficit intellectum, ergo potest suspendere assensum conclusionis.

Si hæc doctrina sit vera, de quo non disputo non lædit, sed roborat potius nostram sententiam, etenim veritas evidenter proposita non potest apparere, ut imperfectiva intellectus, qui scil. & à veritate perficitur, & à pura veritate, cui nihil falsitatis ne suspicio quidem subest, pure perficitur, neque potest in hoc apprehendi lassitudo, ut non potest apprehendi lassitudo in oculari visione, stante potentia obiecti; est enim ità vehemens motio evidentiæ, ut laborandum sit potius in non assensu, quam in assensu, potest quidem aliqua lassitudo haberi in continuatione eorumdem actuum; & propterea debet solum posse voluntas alio divertere, & sensum, & intellectum, quod ipsum ex eo patet; quia qui non vult finem, tollit medium, præmissæ sunt medium ad assensum conclusionis, ergo qui vult suspendere conclusionem, tollit præmissas. Deinde nec potest impedire aliam, maioremvè perfectionem, quæ scil. impeditur ab ipsis præmissis, cum quibus stare non possunt cognitiones aliæ disparatæ.

Obiic. 3. si intellectus necessitaretur ab evidentia vera, necessitaretur etiam ab evidentia putata consequens est falsum, ergo & antecedens, probatur sequela; evidentia vera necessitat, quia excludit omne dubium, omnemque suspicionem de opposito, adeoque facit apparere verum sub pura veri ratione, at Putata evidentia hoc idem præstat; impossibile enim est,

ut A putetur evidens, & simul sit aliqua suspicio in oppositum. Et quidem ut voluntas est ad bonum apparens, ita & intellectus ad apparens verum, ut ergo voluntas æque movetur à bono apparente, sivè illud sit re ipsa bonum, sivè secus; ità & intellectus equè movebitur à vero sive realiter, sive apparenter evidenti. Accedit, quod si esset libertas in assensu evidenti putato, & necessitas in vero, haberemus manifestum discerniculum evidentiæ putatæ à vera: quod tamen falsum esse docet experientia. Falsitas autem consequentis ex eo patet, quod indè fieret, ut intellectus necessitaretur ad falsum putatum evidenter verum: necessitas autem ad malum suum à natura esse non potest. Hinc ad probabile, ut mox dicam, necessitas assensus non est; cum enim probabili possit subesse falsum, noluit natura ut ipsi tribueretur, atqui id ipsum militat à fortiori in evidentia putata, ergo sub hac non potest esse necessitas assensus.

Totum argumentum instrui potest ad probandum, evidentiam nec inducere necessitatem quoad specificationem. Nego igitur minorem, ad probationem dico necessitatem ad falsum non posse esse à natura per se, posse tamen esse per accidens. Sic voluntas à puro bono sive quoad specificationem, sivè quoad exercitium determinata, eandem habet determinationem, sivè illud sit re ipsa tale, sivè tantum appareat; adeoque potest etiam ipsa necessitari ad malum suum non per se, & sub ratione mali, sed per accidens, quatenus ex defectu notitiæ præviæ induit rationem boni. Hoc idem contingit juxta omnes in intellectu necessitato quoad specificationem ab evidentia vera, quam eandem necessitatem accipit similiter ab evidentia putata. Quid ni ergo necessitatus ab evidentia vera quoad exercitium, necessitetur pariter sine absurdo à putata? cum in utroque casu sit necessitas

ad

ad falsum, h. e. ad malum suum non per se, sed per accidens, quatenus hoc accipit veri, h. e. boni sui apparentiam. Quo autem pacto una necessitas alteri non officiat, & evidentia putata vitium non inferat veræ, declarabitur infra c. 1. quæstionis 5.

Unum tamen adverto, aliter induci necessitatem à vera, aliter à putata evidentia, à vera inducitur ex præcisa vi motivi: à putata inducitur ex vi motivi non per se spectati, sed ut substantis judicio reflexo erroneo de ejusdem evidentia hinc sequitur aliud discrimen quod vera ità firmat assensum, ut per nullum superveniens motivum in oppositum possit ab eo intellectus recedere, falsa & putata ità firmat assensum, ut licet non possit ab eo recedere intellectus, dum stat existimatio illa, possit tamen per superveniens motivum deturbari ab existimatione simul, & ab assensu. Hinc fortasse defendi posset non esse bonam consequentiam à necessitate inducta per evidentiam veram ad eandem inducendam pariter per putatam; cum sit argumentum à maiori ad minus, constat enim ex modo dictis longè fortiorem esse motionem evidentiæ veræ, quam putatæ. Prior tamen responsio, & solidior multo, & verior est.

§. II.

Decernitur quid dicendum de assensu conclusionis probabili.

DIco 1. stantibus præmissis probabilibus, in recta forma syllogistica dispositis, non potest intellectus conclusioni dissentiri; adeoque conclusio probabilis est necessaria necessitate specificationis.

Hæc conclusio à nemine hactenus, quod sciam, fuit in controversiam adducta, præterquam

quam à nuperrimo Recentiore, qui censuit posse negari conclusionem syllogismi probabilis, quod probat 1. ex D. Th. 1. Periher. lec. 14. non procul à fine, ubi, *Quædam*, inquit *sunt, quæ non ex necessitate consequuntur ex principiis, ita scil. quod possent esse falsa principiis existentibus veris: sicut sunt opinabilia, quibus non ex necessitate assentit intellectus, &c.* Si ergo opinabilia possunt esse falsa, præmissis etiam veris, poterit iis non solum non assentiri, sed etiam positivè dissentiri intellectus. 2. probat id ipsum à priori; quia Probabile ex Philos. est, quod plerumque contingit, dum ergo formatur hic syllogismus, *Omnis mater diligit filium, Berta est mater, ergo diligit filium*; maior eo ipso quod probabilis est non distribuit omninò subiectum secundum universalitatem metephysicam, sed solum secundum universalitatem topicam, secundum quam *omnis mater* idem sonat, ac *pleraque mater*, hoc posito, manifestum est consequentiam negari posse; quia major re ipsa particularis est, non universalis.

Sed neque D. Thomas aliquid habet pro ista sententia; nec ratio valet; & traducitur quæstio ad alium sensum ab eo, quem communiter intendunt authores. Et quidem qui præsentem quæstionem instituunt, de conclusione loquuntur illata per syllogismum ritè dispositum, adeoque regulatum per *dici de omni* in toto rigore sumptum, ac plenè distributum; in quo sensu posse formari syllogismum etiam probabilem negari non potest, ut mox dicam. Deinde D. Th. loco cit. non intelligit utramque simul præmissam, sed majorem tantum universalem, ac per se in suis terminis probabilem, quæ una venit ratione principii, & qua supposita ut vera, adhuc sæpè contingit conclusio propter contingentiam minoris.

Ratio demum peccat primò, quia non rectè accipit notionem probabilis à Philosopho allatam,

tam, quæ si intelligatur, ut vult hic author de contingentia ut plurimum obiecti, non amplectitur omnem propositionem probabilem, tum quia sæpè probabilis est propositio, quæ non in plerisque, sed aut in omnibus, aut in nullis verificatur, sic est probabile cælum esse fluidum, essentiam creatam non distingui ab existentia, & aliæ hujusm. sexcent. tum quia sæpè utraque contradictionis pars est probabilis, ut Doctores omnes supponunt, at non potest utraque plerumque contingere, ut est evidens; aliter pars A frequentius contingeret, quam pars B, & rursus B, frequentius, quam A: quod est ex terminis repugnans.

Peccat secundè, quia etiam data notione probabilis in eo sensu, secundum quem restringitur ad certas propositiones, ut ad illas *omnis mater diligit filium*; aliud est, quod contingentia in plerisque est motivum assentiendi propositioni illi universali, aliud, quod propositio illa non universaliter, sed solùm ut in plerisque enuntietur, primum est verum, sed non ad rem; alterum est falsum, quod ex eo demonstro; toties enim fieri potest propositio metaphysicè universalis, quoties prædicatum distribui potest in singula, nullo excepto, in subiecto contenta, atqui ita est in casu; ut enim possum ex eo, quod plerumque contingit à matribus filios diligi, de singulis matribus seorsim affirmare, quod diligant suos (quod ab ipsis adversariis conceditur, & negari non potest; aliter ex illo universali principio utcumque sumpto numquam vel probabiliter inferri posset, quod hæc, vel illa mater diligat filium) ità & possum de omni matre in metaphysica distributione id affirmare. Quod ipsum ostenditur ex eo, quia illa propositio non est, nisi probabilis, adeoque negari potest, at si non faceret sensum, nisi ut in plerisque, negari non posset; cum sic constet ab experientia, & sit

phy-

physicè, aut saltem moraliter evidens, sensus ergo ipsius est universalis metaphysicè, & non solum topicè.

Probatur ergo iam posita conclusio 1. ex Philosopho definiente syllogismum, ut genus est ad probabilem, & demonstrativum, per necessitatem consequentis; ait enim, quod aliud quid à positis necesse est contingere, est ergo aliqua necessitas consequentis, positis præmissis, in quolibet syllogismo, adeoque saltem necessitas specificationis. 2. nullus intellectus bene dispositus, & penetrans terminos, potest ut veras simul amplecti duas contradictorias; at si intellectus negaret conclusionem in topico syllogismo: admissa veritate præmissarum, duas contradictorias simul esse veras assereret; si enim iudicat verum quod omnis mater diligit filium, & quod Berta mater non diligit, simul iudicat verum, quod omnis mater diligit, & aliqua mater non diligit filium.

Dico 2. stantibus præmissis probabilibus, potest intellectus non assentiri conclusioni, adeoque conclusio probabilis non est necessaria necessitate exercitii.

Prob. 1. ad assensum probabilem non potest intellectus quoad exercitium necessitari. Sed stantibus assensibus præmissarum probabilium, assensus conclusionis illatæ non est, nisi probabilis, ergo non potest ad illum intellectus quoad exercitium necessitari, minor est certa; quæcumque enim perfectio assensus illati in præmissis inferentibus præsupponitur, præmissæ ergo probabiles cum nec certitudinem, nec evidentiam habeant, sed solam probabilitatem, hanc unam refundent in assensum illatum, maior constat ex communi sensu, iuxtà quem intellectus voluntati subiicitur quoad probabilia; ut enim voluntas, ubi est admixtio boni cum malo, non necessitatur; ità nec potest necessitari intellectus, ubi est admixtio

veri cum falso, seu verius cum falsi suspicione, ac formidine, seù actuali, seù radicali. Hinc potest intellectus conclusioni probabili etiam dissentiri, nisi obstaret evidens repugnantia in assertione duplicis contradictoriæ, ut dictum est.

Prob. 2. non potest esse in consequente major probabilitas, quam sit in præmissis, ut est certum, cum potius semper sit minor, at si consequentis esset necessitas simpliciter, qualis certè non est in præmissis, major esset probabilitas in consequens derivata, quam sit in ipsis præmissis, sumo enim propositionem per se ex suis terminis probabilem, & propositionem probabilem ex præmissis, nunc sic. Probabilitas est vis suasiva, & major probabilitas vis major suasiva, seù tractiva intellectus ad assensum, at probabilitas propositionis primæ si stat cum libertate assensûs, cum qua non stat probabilitas propositionis secundæ syllogizatæ, minus suadet, cum minus trahat, ergo illa erit minor; hæc major probabilitas.

Prob. 3. non magis veritas consequentis continetur in antecedente, quam antecedens unum in altero secundum numerum distincto; illud enim virtualiter, hoc etiam formaliter continetur, at si possibile sit intellectum pluribus numero actibus eidem veritati probabili assentiri, poterit ex nutu voluntatis unum ponere, alium suspendere, quamvis non possit simul ponere actum oppositum; hoc enim fert libertas assensus. Et quidem da, cognitiones etiam intendi per additionem partis ad partem; cum possit in casu intellectus assensum remissiorem ponere, non posito intensiore, ut voluntas potest amorem, si bonum sit mixtum; poterit unum actum ponere sine alio individualiter distincto, ergo à fortiori poterit præmissarum assensum ab assensu conclusionis separare, quamvis non possit illum conjungere

cum

cum conclusionis dissensu. Conf. quia ubi actus est, solo numero distinctus, habetur omnimoda veritatis identitas; ubi actus est illatus, habetur solum veritatis connexio, plus autem ex genere potest identitas, quam connexio, ergò si identitas utcumque evidenter ostensa non facit in uno casu necessitatem alterius actus, nec illam inducet connexio quamvis evidenter apparens. Conf. iterum, ubi est actus solo numero distinctus, non est novum, sed idem periculum errandi, at in conclusione cum sit nova veritas, novum est errandi periculum, ergo à fortiori poterit ab hac intellectus resilire.

Prob. demum 4. stantibus præmissis, aut potest intellectus de opposito consequentis formidare, aut non potest; secundum tollit ab actu rationem opinionis, quæ stat in eo, quod sit compossibilis cum formidine de opposito, quare juxta omnes formido si minus actualis, certe radicalis est de essentia opinionis. Primum destruit omnia argumenta adversariorum, quæ fundantur in consequentiæ, seù illationis evidentia, si enim assensus inducitur vi talis evidentiæ, manifestum est, quod excludit omnem formidinem de opposito; circa verum enim evidenter propositum tam est impossibile non assentiri, quam formidare.

Obiic. 1. assensus conclusionis virtualiter continetur in præmisis etiam probabilibus, ergo post assensum præmissarum non potest non sequi assensus conclusionis.

Nego conf. contineri virtualiter est contineri ut in causa, causa autem non semper est necessaria, nec semper necessitans, sic peccatum mort. continet virtualiter in genere causæ meritoriæ pænas inferni; nec tamen qui peccat, tenetur ex hoc velle pænas inferni, quamvis ergo probabiles præmisæ conclusionem contineant, non idcircò intellectus ab iis ad con-

conclusionem necessariò descendit; cum enim in præmissis bis se exposuerit errandi periculo, poterit id nolle tertium.

Obiic. 2. Aequè evidenter ex præmissis probabilibus sequitur conclusio probabilis, ac ex evidentibus evidens. at in evidentibus non est libertas exercitii in assensu conclusionis: ergo neque in probabilibus.

Nego cons. quæ ut sequatur, debet in minore addi, evidentiam sequelæ esse rationem, cur sit necessaria, quoad exercitium conclusio demonstrata; quod est falsum, & probandum; quia vera ratio est evidentia consequentis. Itaque ex toto argumento nihil fit, nisi esse in intellectu vi syllogismi probabilis necessitate assentiendi evidenti cons. non verò probabili consequenti; veritatem autem consequentis, & bonitatem consequentiæ esse duas veritates distinctas, & separabiles, & unam proindè affirmabilem sine alia, certum mihi est, & cap. superiori sufficienter ostensum.

Obiic. 3. Veritati evidenti simpliciter non potest intellectus non assentiri simpliciter. ergò veritati evidenti ex suppositione tenetur assentiri ex suppositione, at veritas conclusionis probabilis est evidens ex suppositione, quod sint veræ præmissæ, ergo ex suppositione, quod intellectus iudicaverit præmissas veras, non potest non iudicare cons. verum.

Arg. primò probat, ex suppositione præmissarum intellectum non posse formidare de veritate consequentis. 2. dist. cons. veritati evidenti ex suppositione tenentur, &c. secundum id, quod est evidens; concedo: secundum, quod est solum probabilis, nego cons. deindè dist. subsumptam; est evidens evidentia consequentiæ conc. evidentia consequentis, nego subs. ex hoc autem non sequitur, nisi necessitas iudicandi bonam consequentiam, non verum consequens, ut dictum est.

Obiic. 4. non poteſt intellectus aſserere, quod detur neceſſitas, ut A ſit verum, quin ſimul iudicet A verum, ſed in aſsenſu præmiſsarum iudicat dari neceſſitatem, ut concluſio ſit vera. ergò iudicat neceſsariò concluſionem vera; ergò iudicat neceſsariò concluſionem veram.

Primò minor eſt falſa; quia concluſionem non debet præire iudicium de bonitate illationis, ut dictum eſt. 2. etiam hoc dato, dicendum quod maior ſit vera, ſi neceſſitas iudicetur evidenter; falſa, ſi ſolum iudicetur probabiliter. ſi oppoſitum ſine probatione aſſumatur, punctum quæſtionis præcipuum aſſumitur.

Obiic. 5. cum Arriaga ſenſum omnium Doctorum, apud quos eſt certum, quod ſi quis in ſyllogiſmo ritè diſpoſito concedat præmiſsas iam cenſetur convictus, & coactus concedere conſequentiam, quamvis præmiſsæ non ſint, niſi probabiles. aliter is poſset vim argumenti evadere dicendo, ſuſpendo aſsenſum concluſionis.

Reſp. præmiſsas probabiles conceſsas ſatis convincere per hoc unum, quod non ſinant negari concluſionem; cum tamen adverſarius, qui oppoſitam aſtruit, ut eam tueatur, debeat poſſe concluſionem negare:

Obiic. 6. voluntas liberè, & efficaciter amans finem, non poteſt non eligere medium unicè neceſsarium ad talem finem. ergò intellectus liberè aſsentiens præmiſſis probabilibus, non poteſt non aſsentiri concluſioni ex iis neceſsariò conſequenti.

Sed 1. antecedens non eſt verum, niſi dum urget executio præintenta; antecedenter autem poteſt voluntas ſuſpendere unici medii electionem retardata à medii difficultate, quæ tanta poteſt eſse, ut retractet intentionem. ergo ſimiliter, ſi quid paritas probat, poterit intellectus ſuſpendere aſsenſum concluſionis pro-

probabilis ad tempus, retardatus à voluntatis contumacia, quæ tanta potest esse, ut retractet assensum præmissarum. 2. non omnis intentio id habet, sed solum efficax, ac firmans voluntatem in fine: assensus autem probabiles prævii potius comparantur affectui inefficaci, cum non firment intellectum in vero. 3. quæcumque afferuntur in loco ad probandam necessitatem electionis unici medii pro re nostra non faciunt; sicuti quæ pro libertate conclusionis attuli, libertatem electionis non probant, ut patebit applicanti. Frustrà ergò disparitas à nobis quæritur, dum paritas ab adversariis non ostenditur.

Obiic. 7. tota ratio, cur stet libertas conclusionis probabilis, est ipsa probabilitas, seù periculum falsitatis in actu. at hæc ratio nulla est. ergò. min. prob. stante contemptu periculi, non potest à periculo retardari, ne assentiatur sed periculum errandi in conclusione est jam contemptum in præmissis, in quibus virtualiter continetur. ergò periculum errandi non potest facere libertatem assensus probabilis.

Resp. negando min. ad probationem 1. est instantia per tertiam probationem conclusionis & efficacior per quartam, quod scilicet non posset intellectus cum assensu conclusionis conjungere formidinem, ad quam deberet moveri à periculo errandi, & non posset, quia hoc est jam contemptum. 2. ut contemptus periculi est liberè in præmissis, ità potest liberè etiam non haberi in conclusione; neque enim qui contemnit A, debet eo ipso contemnere B quantumvis connexum cum A, ; ut videre est in exemplo ad primum dato, quod qui contemnit malum culpæ, illudque amplectitur, non contemnit eo ipso malum pœnæ cum illo connexum, nisi solum virtualiter, & in causa; & uno hoc pacto contemnitur in præmissis periculum errandi in conclusione: cum quo stat,

ut idem formaliter in se non contemnatur, & moveat non quidem ad reiiciendam, sed ad non amplectendam conclusionem. quod ipsum dicendum esse in casu ab adversariis, manifestum est ex data instantia de formidine.

QUÆSTIO SECUNDA

De Demonstratione.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex sit demonstratio.

GEminam demonstrationis definitionem tradidit Arist. 1. post. c. 2. alteram per effectum sic. Demonstratio est syllogismus faciens scire. alteram per partes ipsius constitutivas sic: Demonstratio est syllogismus ex primis veris, immediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis.

Quæ ut intelligantur, dividenda est prius demonstratio in demonstrationem *propter quid*, & demonstrationem *quia*, inter quas duplex est discrimen. 1. quod prima est à priori, & ex causa manifestat effectum, ut si Lunæ defectum ex terræ interpositione dignoscas. altera est à posteriori, & ex effectu ostendit causam, ut si terræ interpositionem ex Lunæ defectu demonstres. 2. quod prima, quæ & potissima, extinguit una omnem inquisitionem circa conclusionem, quamvis maneat quandoque inquisitio circà præmissas. hoc autem ex eo est, quià procedit per causam proximam, & immediatam; cum tamen demonstratio *quia* procedat; & ipsa quandoque per causam, remotam tamen, & mediatam: ut si quis probet terram non respirare, quia non est animal; adhuc enim ulterior causa inquiri potest, quod

scil.

scil. caret pulmone: qua assignata, jam habetur demonstratio *propter quid*, & cessat ulterior inquisitio veritatis.

Explicatur nunc prior definitio demonstrationis. scire tripliciter stat. 1. pro comprehensione certa, & evidenti cujuslibet veritatis, seu necessariæ, seu contingentis: sic dum video Sortem scribentem, scio quod scribat; 2. pro comprehensione certa, & evidenti veritatis cujuslibet necessariæ, & immutabilis: & hoc modo sciuntur etiam principia. 3. pro simili comprehensione veritatis rei per suam causam: & hoc est propriissimum scire, quod est demonstrationis effectus. Porro cognoscere rem per causam contingit dupliciter 1. quia notitia unius causat notitiam alterius: & ità etiam scire pertinet ad demonstrationem *quia*.

2. Quia non solum notitia notitiæ, sed res, quæ assumitur in medium, est causa rei, quæ in conclusione probatur: & hoc est proprium demonstrationis à priori, quæ perinde & potior, & magis in rigore demonstratio est; gignit enim propriissimum scire, quod est rem per rei causam cognoscere.

Posterior definitio explicat proprietates; quæ inesse debent præmissis potissimæ demonstrationis. & 1. dicit, præmissas debere esse primas, h. e. non ulterius demonstrabiles à priori. Ostendit hic Philos. in propositionibus demonstrabilibus procedi in infinitum non posse, sed necessariò deveniendum ad primas, & per se notas. Omnis enim demonstratio constat duobus extremis, & medio. at neque in extremis, neque in medio est abire in infinitum. non in extremis; aut enim in sursum, dum à subiecto progredimur ad superiora prædicata; & hoc non, tum quia omnia prædicata terminantur in decem prædicamentis, ac demum in ente, tum quia infinita essent de definitione unius; quo posito, nihil posset sciri;

adeoque nihil demonstrari . aut in deorsum ; dum a primo summoque prædicato descendimus ad inferiora subiecta ; & hoc non ; quia certum est dari singularia, quæ sunt prima subiecta, quæ proinde terminant descensum à supremis, aut demum circulariter, ita ut quodlibet sit superius, & inferius, pars, & totum relatè ad idem ; & hoc non. omnia enim prædicata vel accidentalia sunt, vel substantialia. non circulantur in infinitum accidentalia ; accidens enim de substantia, ut de subiecto dicitur, cuius scilicet ens est ; adeoque prædicatio accidentalis, & denominativa in substantia terminatur ut in subiecto, in accidente, ut in forma. Nec circulantur in infinitum substantialia ; si enim progressus in his à sursum in deorsum, & contrà, finitus est, non potest in his circulus esse infinitus : ut si prædicas directè animal de homine, & indirectè hominem de animali, iam conficis omnem prædicationem hominem inter, & animal. Rursus licet sit possibilis aliquis circulus in prædicatis, non tamen in eodem genere prædicationis ; aliter idem assumeretur ut notius, & ignotius eodem, ut totum potestativum, & pars subiectiva secundum idem, quod repugnat.

Hinc autem conficitur nec in mediis posse in infinitum procedi. si enim ab A, quod est subjectum infimum, usque ad C, quod est prædicatum supremum, media essent infinita, ascendendo ab A, nunquam esset devenire ad C ; quia medium est infinitum, & infinitum numerando pertransiri non potest. ergo C non erit ultimum prædicatum contrà suppositum. impossibile igitur est media esse infinita, si extrema sunt determinata ; esset enim, ut ait Themistius, sicuti qui diceret, esse numerum finitum ab unitate usque ad denarium ; & tamen inter ea extrema intercedere numeros medios infinitos.

Ex

Ex his tria corollaria sequuntur. 1. in demonstrationibus esse devenire ad prima principia indemonstrabilia: secus enim omnes propositiones esse demonstrabiles, adeoque inter cujuslibet propositionis extrema daretur medium & per consequens extrema, & media irent in infinitum. 2. Omnis propositio, quæ habet medium inter prædicatum, & subjectum, est propositio demonstrabilis: propositio autem, quæ medio caret, & dicitur immediata, demonstrabilis non est. Omnis enim demonstratio est per medium. ibi ergo capacitas, aut incapacitas demonstrationis est, ubi est capacitas, aut incapacitas medii. 3. cum in propositionibus subordinatis, in quibus ex una demonstratur alia, ut ex prima secunda, & ex secunda tertia, & sic usque ad centesimam, centesima h. e. ultima demonstratur per omnes propositiones antecedentes, quæ omnes sunt una demonstratio. quare totum aggregatum ex præcedentibus rectè dicitur ab Alberto de Saxonia *Syllogismus unus compositus ex præmissis multis præsyllogizatis* atque ita verificatur, quod omnis demonstratio, h. e. integra, & completa sit ex primis.

Deinde dicit definitio, præmissas debere esse *veras*; quia per eas scitur, adeoque vera res per veram causam cognoscitur: *causas*; quia facit scire, hoc est rem per causam cognoscere. *priores*; *& notiores*; causæ enim priores sunt effectibus suis, atque etiam notiores saltem in quæstione, propter quid res est, in qua causa notificet effectum.

CAPUT II.

De Propositione per se nota,

ubi

An Præmissæ notiores sint conclusione.

QUia non desunt, qui propositionem per se notam confundunt cum immediata (quod si est verum, jam omnis demonstratio debet constare ex per se notis) breviter videndum quid sit propositio per se nota, & an cum immediata coincidat.

Equidem missis dissidiis, quæ super hac re plurima sunt inter scholas, propositionem per se notam sic definio: Est propositio, quæ ex propriis terminis cuilibet ratione utenti est naturaliter nota sine indigentia notitiæ alicujus extrinseci. Explicatur: multi putant, non propositionem, sed propositionis significatum propriè dici per se notum. sed nihil obstat, quo minus ipsa propositio dicatur nota per se, quia scilicet aliqua propositio est, in qua vi terminorum ritè penetratorum intellectus determinatur ad assensum, & simul certificatur de assensus ipsius veritate; & hoc est assensum per se innotescere; quod significatur per particulam illam, *in propriis terminis*. Additur, quod debet esse naturaliter nota *cuilibet* ad differentiam aliquarum propositionum, quæ primò & immediatè per experientiam uni innotescunt, ut mihi quod vivo, quod sentio, &c. Postremò debet esse nota *fine indigentia extrinseci* ad ostendendum, quod talis propositio innotescit ex solis suis terminis, qui sunt ejusdem partes intrinsecæ.

Porrò cum hac definitione coincidit, quæ à Philosoph ho affertur, dum ait, quod dignitas seu

propositio maxima (sic appellat per se notam) est propositio immediata non quæcumque, sed quam necesse est habere aliquem docendum, antequam doceatur. tales enim propositiones inquit Comment. 3. de an. absque doctrina cuilibet naturaliter veniunt in mentem. Consonat Boetius, dum ait per se notam esse, quam quisque probat auditam. Consonat Scotus, dum per se notam definit eam, quæ ex propriis terminis habet evidentem veritatem.

Habes hinc 1. nullam propositionem contingentem esse per se notam; quia nulla est cuilibet naturaliter nota, sed cuilibet fit nota per experientiam: hinc Philos. expressè ait omnem dignitatem esse necessariam.

Habes 2. nullam categoricam de inesse singularem esse per se notam; pariter enim omnis ejusm. propositio per solam experientiam manifestatur, nec cuiquam ante experientiam, naturaliter venit in mentem.

Habes 3. non omnem propositionem immediatam esse per se notam. Ita Philos. 1. post. ubi dividit propositionem immediatam in Dignitatem, & Propositionem. Ratio est; quia aliqua propositio immediata cognosci non potest, nisi per experientiam singularium, ut est ista, omnis calor est calefactivus, omnis equus est hinnibilis, & universaliter principia scientiarum particularia, quæ sumuntur per viam experientiæ, & probantur inductione, quæ propterea est demonstrationis subsidium.

Habes 4. non omnem propositionem per se notam esse immediatam. Prob. exposita notione per se notæ, quæ tota reperiri potest in propositione habente medium sivè intrinsecum per causam Metaphysicam, sivè extrinsecum per Physicam. quid enim repugnet extrema mediata suam connexionem suis ipsis notionibus manifestare? Certè id in habentibus causam extrinsecam communius conceditur; omnes

enim veritates creatæ; inter quas multæ sunt per se notæ, per Deum ipsum possunt à beato à priori demonstrari. quid ni ergo id poterit per intrinsecam sine violatione propositionis per se notæ? Ad hæc per se nota constat per notionem terminorum proportionaliter; ut singularis per experientiam, quæ & ipsa quodammodò per se facit rem innotescere: & tamen per experientiam quantumvis clarissimè nota possunt ulterius innotescere per causam. Sed de hac re iterum in Metaphysicis, ubi proponam rationem, cur creaturæ repugnet potentia creandi.

Hab. 5. non rectè definiri propositionem per se notam illam, cujus prædicatum includitur in definitione subiecti. 1. quia hæc est ad summum notio propositionis immediatæ, quam ostendi non debere confundi cum per se nota. 2. quia neque est communis notio propositionis immediatæ; nam propositio, in qua prima passio prædicatur de definitione, est immediata; & tamen prædicatum non includitur in subiecto. 3. hinc fieret, ut omnis propositio, in qua definitio prædicatur de definito, esset per se nota; quod est falsissimum; nam in notionibus, ac definitionibus tradendis plurimum est inter Philosophos dissidium: quod nullum esse potest in per se notis. 4. ista est per se nota, *homo est equus, vel non equus*: & tamen prædicatum in subiecti definitione non includitur.

Hab. 6. non rectè dividi propositionem per se notam in per se notam quoad se, & per se notam quoad nos. 1. quià per se nota, quoad se vocatur ab his authoribus immediata, quam tantum non esse per se notam ex mente Philosophi, & ipsa vocum significatione satis ostendi. 2. quià sicuti ly *quoad nos* facit sensum, quod propositio per se nobis innotescit; ita ly quoad se faceret sensum, quod propositio innotesceret sibi; vel si alicui intellectui, cui quæso, Angelico, an Divi-

Divino? neutri sane, quia in neutro est propositio, seu judicium compositum ex terminis, ex quibus innotescat.

Hab. 7. Demum, non omnem demonstrationem constare ex per se notis. 1. quia in demonstrationis definitione non ponuntur per se notę, sed primæ, & immediatæ. 2. quia plures sunt demonstrationes, quæ ex per se notis non constant, sed ex universalibus, quæ per singularium experientiam colliguntur. hinc Arist. inductionem statuit argumentationem, quæ subsidio sit demonstrationi, quatenus probat universales, & primas propositiones, quæ in demonstratione in majorem assumuntur.

Videndum nunc, utrum major sit notitia, seu evidentia tum in per se notis, tum in immediatis, quæ sunt demonstrationis principia, quàm in conclusione; quod pertinet ad explicandam illam particulam *notionibus* in definitione demonstrationis appositam. Affirmativam partem probat Arist. ex eo celebri principio, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. sed conclusio nota est propter pręmissas; ergo pręmissę sunt notiores conclusione.

Hoc principium ut sit verum, & probet intentum, indiget quibusdam limitationibus. 1. est, ut prædicatum, in quo aliqua duo comparantur, secundùm magis, & minus insit utrique. hinc non sequitur quod si homo est ebrius propter vinum, vinum est magis ebrium. 2. ut prædicatum sit capax suscipiendi magis, & minus. hinc non sequitur, quod si Sortes est homo propter Platonem patrem suum, Plato sit magis homo, quam Sortes. 3. ut quæ comparantur, unum sit causa alterius secundum esse, in quo comparantur. hinc non tenet: Sortes est propter Platonem patrem suum, & Sortes est doctus; ergo Plato est doctior Sorte. Plato enim est causa, cur Sortes sit, non verò, cur doctus sit. 4. ut causa, propter quam res est talis, sit adæqua-

ta, hinc nulla est ista consequentia: diligo Paulum propter Platonem, & Sortem, ergo magis diligo Platonem: aut ista, ergo magis diligo Sortem: sed solum ista, ergo magis diligo utrumque, quam unum Paulum.

Istæ conditiones ubi adsunt omnes, principium est verum; quia universim, ut recte ait Scotus qu. 12.1. post. *illud, quod reperitur in effectu, nobilius, & excellentius reperitur in causa; quià est de ratione causæ, quod excellat effectum.* quod & constat inductione in agentibus accidentalibus univocis, quæ nunquam effectum ponunt æqualem sibi; ut videre est in calido, lucido &c. Atqui omnes istæ conditiones reperiuntur in re nostra, ergò præmissæ notiores sunt conclusione, non quidem singulæ seorsim, sed ambæ simul, ut integrant unum antecedens.

CAPUT III.

De Medio, Præcognitionibus, & Præcognitis Potissimæ Demonstrationis.

POtissima demonstratio ea est, in qua propria passio probatur de subiecto per definitionem ipsius subiecti. Et quidem definitio, ipsa de subiecto demonstrari à priori non potest, cum nihil mediet inter rem, ejusque essentiam definitione explicatam: superest ergo ut solum accidens possit de subiecto demonstrari. Rursus, quià veritas demonstrata debet esse necessaria, & nullum accidens commune insit rei necessariò, superest ut solum accidens proprium sit de subiecto demonstrabile.

Præterea ejusmodi passio debet de subiecto demonstrari, cui primò inest convertibiliter. Sic quià habere tres angulos duobus rectis æquales est proprietas trianguli ut sic, non æquilateri, de illo, non de hoc debet demonstrari. aliter neque attingetur prima, & universalis ratio,

tio, cur ea passio triangulo competat; & dabitur occasio errandi; si quis enim audiat eam probari de æquilatero, putabit fortasse aliis triangulis non convenire.

Demum demonstrationis potissimæ medium assigno definitionem subiecti, non passionis: quæ est communis sententia contra Zabarellam l. 1. de media demonstr. c. 3. Prob. Illud est medium potissimæ demonstrationis, quod est prima, & immediata causa, cur subiecto insit passio. sed sola rei essentia per definitionem explicata est ejusmodi. ergo. min. prob. quia propria passio fluit à principiis intrinsecis subiecti, ejusque essentia. ergo essentia subiecti est prima, & immediata causa passionis: essentia verò passionis cum sit accidens, ut est ipsa passio, adeoque supponat in priori suum substantiale exigitivum, non potest esse prima ratio, cur passio insit subiecto. Conf. illud est medium potissimæ demonstrationis, quod ità aliud demonstrat, ut ipsum non sit demonstrabile; aliter demonstratio ista non esset ex primis, & immediatis, at sola definitio subiecti est indemonstrabilis de subiecto, cum definitio passionis habeat causam in natura subiecti, adeoque per illam sit demonstrabilis. ergo.

Addo, quod si definitio passionis assumatur in medium, non demonstratio fiet, sed petitio principii; cum enim definitio passionis, & passio pro eodem stent, qui dubitat, utrum passio insit subiecto, dubitat pariter, utrum ejus essentia, ac definitio subiecto insit; adeoque qui hoc assumit, principium petit. Conf. esse passionis est inesse subiecto, cum universim omnis accidentis esse sit inesse. ergo qui assumit in medium esse passionis definitione explicatum, assumit, quod passio subiecto insit; adeoque assumit in medium veritatem demonstrandam: quod est petere principium.

Hinc ulterius fit, ut definitio non *quid nominis*,

nis, sed *quid rei* sit tale medium; aliter non sit demonstratio, sed principii petitio. Sic qui velit probare principium illud per se notum, *Omne totum est majus sua parte*, poterit illud probare Syllogismo constante ex veris, & necessariis, non tamen notioribus, assumendo in medium definitionem, quid nominis hoc pacto: *Omne quod continet aliquid, & amplius est maius eo. omne totum est continens suam partem, & amplius, ergò totum est majus sua parte.* Sed major non est conclusione notior; quià in majore probatur de definitione quid nominis id quod in conclusione de subiecto. & quia tam à demonstrante, quam ab eo; cui demonstrat, prænoscitur. ut dicam, quid nominis tum subjecti, tum passionis, consequens est, ut tam ignoretur ante demonstrationem, quod passio conveniat subiecto, quam ejus definitioni quid nominis. Accidit; quod medium debet esse causa, cur prædicatum subiecto insit: at non definitio explicans nominis potestatem, sed explicans rei naturam explicat talem causam. ergo non quid nominis, sed quid rei est medium potissimæ demonstrationis.

Ex his sequitur, rectè assignari à Philos. tria præcognita demonstrationis, & duas præcognitiones. præcognitiones sunt, altera, qua de re innotescit, quod sit. altera, qua innotescit, quid sit. prima adhuc est duplex, aut enim innotescit per ipsam, quod est rei, seù quod res verè sit in rerum natura aut possibilis sit; aut innotescit per ipsam, quod est principiorum, seu quod principia vera sint. Secunda etiam est duplex, quid rei scil. & quid nominis. Præcognita sunt Principium, Subiectum, & Passio: in quę sic distribuit Arist. pręcognitiones. De Principiis debet præcognosci, quod vera sint. De subjecto, quod sit, & quid sit. De passione solum quid nominis, quod enim sit, & quid rei sit, non præcognoscitur, sed per demonstrationem colligi-

ligitur: quem usum servant Mathematici, qui prius proponunt notiones subiecti, & passionis demonstrandæ, tum generalia quædam principia supponunt, unde conclusio deduci potest.

Porrò tam de subiecto, quàm de passione præcognoscendum esse quid nominis, certum est; quia nulla quęstio procedere potest inter non intelligentes nominum significationem. Rursus de subiecto præcognosci debet, quod sit; aliter erit quæstio de subiecto non supponente. hinc in physicis inutiles dicam illas quæstiones ex impossibili hypothesi, quæ non servant, sed destruunt quæstionis subiectum. Quid rei subjecti non debet præire demonstrationem, cum sit medium; & probatio passionis de subiecto; probatio autem probationem non præit. Philosophi enim omnes præsertim naturales non nisi ex notitia effectuum per experientiam accepta deveniunt in notitiam causæ. quod si non liceret à causis regredi ad effectus, possibilis non esset scientia, quæ est cognitio rei per causam. Neque verò in tali casu ut in conclusione expresso est circulus; quià non est idem notius, & ignotius eodem. ubi enim intellectus deprehendit causam ex effectu, tum verò causam attentius considerat, & penetrat; & ex ea aliunde iam notiore redit ad effectum.

Dico demum 4. possibile est regredi circulariter in eadem quæstione propter quid, dum sumus in diverso genere causæ, realis, scilicet, & intentionalis. Prob. ex possibilitate mutuæ prioritatis inter causas efficientem, & finalem: de qua in physicis. sic ex sanitate tamquam ex fine demonstratur à priori sanitas.

De passione demum debet præcognosci solum quid nominis; quod sit enim, per demonstrationem colligitur; dum enim colligitur passionem subiecto inesse, colligitur & passionem esse. Quid rei vero si sciri non potest, nisi suppona-

ponatur, quod sit quæstio enim, *quid rei est*, supponit quæstionem, *an est*.

CAPUT IV.

An sit possibilis Regressus Demonstrativus, & in quo differat à Circulo.

Regredi demonstrativè est, post factam unam demonstrationem, qua A probetur per B, alteram demonstrionem formare, qua B vicissim probetur per A. hoc quidem potest utiliter fieri, & appellatur Regressus; & potest fieri inutiliter, ac vitiosè, & appellatur circulus.

Dico nunc 1. impossibile est regredi circulariter demonstrando, dum conclusio unius demonstrationis assumpta in præmissam alterius non aliunde notificatur, quàm à *præmissis primæ demonstrationis*.

Prob. conclusio demonstrata debet esse ex præmissis notioribus se. si ergo non aliunde melius notificetur conclusio, semper remanet minus nota præmissis suis, adeoque numquam relatè ad illas præmissa evadere potest. aliter esset illis notior simul, & ignotior. Unde constat impossibilitas circuli ex natura demonstrationis.

Dico 2. impossibile est regredi circulariter in eadem quæstione propter quid, ut si effectus per causam à priori, & iterum à priori causa per effectum demonstretur in eodem genere causę realis, Conclusio hæc constabit ex dicendis in physicis de impossibilitate mutuæ prioritatis in eodem, aut diverso genere causæ realis, & hinc sequitur impossibilitas circuli ex ipsa natura rei.

Dico 3. possibile est regredi demonstrativè, dum conclusio assumpta in præmissam ali-

aliundè melius notificatur, quam à prioribus præmissis.

Probatur 1. ex Arist. 1. post. ubi approbat regressum, & exemplificat in Planetis, qui ex eo, quod propè sunt, arguuntur non scintillare: quod est demonstrare à priori: & rursus ex eo, quod scintillant, arguuntur propè esse: quod est demonstrare vice versa à posteriori. 2. Si universim regressus esset impossibilis; impossibilis nobis esset omnis vera scientia Philosophi.

QUÆSTIO TERTIA

De scientia Demonstrationis Effectu.

CAPUT I.

An sit Scientia, & an de novo.

SCeptici, qui & Pyrrhonici ab Eleo Pirrhone ejus hæresis authore, seu verius instauratore, promotorevè, scientiam eliminarunt, quare studium omne in aliorum dumtaxat dictis evertendis impendebant. Hæc secta degeneravit ab Academicis, Platonis nimirum discipulis, cæpitque seipsa ab Archesilao Polæmonis in Academiæ Magisterio successore, ut habet Varro apud Aug. 19. de Civ. c. 1. Adversus istos Academicos, ut aiunt, novos idem Aug. tribus libris disputat ex professo; illudque pulchrum inter cætera ostendit l. 3. *Quantò minus malum sit indoctum esse, quam indocibilem. Ex quo, inquit, deinceps Academicus ille iactanticulus de omnium scholis non ferulis, quod esset deformius, quam molestius, sed illorum palliatorum clavis, & fustibus proiicietur, non enim magnum negotium erit, contra communem pestem velut*

velut Herculea quadam postulare auxilia Cynicorum, tum ostendit, quàm inglorij isti sint, qui laudem affectant, in qua illis stultissimus quisque æquatur, Pergit porro demonstrare originem, unde tam absona sententia ortum suum traxerit, ex animæ nimirum credita mortalitate, opinioneque quod Deus alius ab igne non sit, quo fit, ut hæc secta sit maximè cum Atheismo coniuncta; destruit enim certas de Deo, de Anima, de Principiis Honestatis, ac Moralitatis persuasiones. Quæ quidem idcircò monui, ut videant isti, qui apud nos iam se Scepticos esse gloriantur, in quam se scolam seù imperiti, seù improbi dent.

Plato autem, à quo nomen, non doctrinam isti hauserunt, scientiam omninò admisit: negavit tamen illam acquiri de novo, sed voluit non aliam eam esse à reminiscentia, putavit enim animam nostram primum à Deo extrà corpus creari cum perfecta rerum omnium notitia; tum verò in corpus infusam ex materiæ contagione rerum omnium oblivisci. quarum deinde sensuum ope, studioque suo paulatim reminiscatur. Peripatetica, imò, & Catholica sententia est, scientiam dari, eamque de novo acquiri.

Probatur primum, aut enim scientia sumitur pro quacumque certa, & evidenti notitia, aut pro ea, quæ per demonstrationem acquiritur. Utramque certum est dari; & primam quidem; quam enim multa sunt, quæ se ita intellectui manifestant, ut omne dubium, omnemque suspicionem de opposito interimant? sic sunt ista, *idem non potest simul esse, & non esse: omne totum est maius sua parte: quæ sunt æqualia uni 3. sunt æqualia inter se; Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, &c. De quibus nemo sanus meritò dubitet. Sic quisque de se scit, se esse hominem (quid enim? dubitet, hominem se esse, an belluam?) se vivere, se cogitare, se hoc vel illud agere. Alteram verò itidem est

cer-

certum dari; quam enim multa ex primis principiis evidenter inferuntur tum in physicis, tum in Mathematicis, tum in Moralibus Deum esse, num erit, qui in dubium vocare audeat? amplectendam temperantiam, vitandam avaritiam cui non est evidens etiam eorum qui peccant, quibus numquam non oblatrat syndereſis?

Conf. non poteſt id eſſe impoſſibile, ad quod natura inclinat: nulla enim naturalis inclinatio fruſtrà eſt, ad ſciendum autem omnes inclinamur, ergo ſcire non eſt nobis impoſſibile. datur ergo de facto ſcientia; tum quia hanc non dari ex eius impoſſibilitate Sceptici colligunt. tum quia non eſt naturaliter poſſibile, ad quod numquam pervenitur.

Prob. ſecundum 1. quia falſum ſupponit Plato, dum animam vult extra corpus creatam: cuius ſcilicet oppoſitum definit Conc. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ.8. quod ipſum multis oſtendit D. Th. 2. contra Gentes c.83. & nos etiam in loco. 2. quia nullum habemus fundamentum aſſerendi rem tam mirabilem, quod cæco etiam ſit ſcientia de coloribus, Surdo de ſonis, & univerſim notitia de re qualibet plena ſtultiſſimo cuique. 3. Natura dedit homini ſenſus, ut eorum miniſterio acquireret rerum ſpecies, dedit, ut per actuum frequentationem ſe melius diſponeret ad eoſdem, alioſque actus eliciendos, ergo nec ſpecies, nec habitus habuit quiſque à principio, prob. conſ. nemo enim prudenter operans dat media ad acquirendum, quod iam ante fuit habitum. 4. inter notitiam, quam primò acquirimus, & quam per reminiſcentiam reparamus, hoc differt, quod per hanc non modo cognoſcimus obiectum ut in ſe, ſed ut cognitum olim à nobis, atqui evidens experientia docet, dum quis ad facultatem aliquam accedit, non meminiſſe alias eam à ſe cognitam. Scientia ergo,

quam

quam parat, reminiscentia non est;

Obiic. 1. pro Scepticis. Omnis notitia intellectiva est per sensitivam, sensitiva autem, ut plurimum est fallax; videmus enim remum fractum in aqua, solem parvum, cibum amarum, qui dulcis est &c. ergo fallax item est notitia intellectiva. Conf. 1. nihil est tam certum, quod ab aliquo non fuerit dubitatum; quid enim certius primo principio, *idem non potest simul esse, & non esse?* & tamen de eo dubitavit Protagoras apud Arist. 4. met. signum ergo est, nihil re ipsa certum esse. Conf. 2. sæpè putamus nos demonstrare, & scire, cum ita non sit, unde ergo distinguemus veram evidentiam à putata? ex eo igitur, quod deprehendimus, nos errasse, dum censuimus, nos scire, numquam nos quidquam scire discemus, si prudentes; sumus adeoque prudenter de rebus omnibus dubitabimus.

Ad arg. dico; quod circa prima principia, & conclusiones inde deductas non contingit intellectum errare ex errore sensuum, etenim in his intellectus à sensu non mutuatur nisi unas rerum apprehensiones, at non ex sensus fide, sed ex innato lumine, quod signavit super nos Deus, præbet assensum. Circa alia, quæ sensu percipimus, licet quandoque contingat errare ex defectu vel medii, vel organi, vel distantiæ obiecti, corrigitur tamen ab intellectu ex aliorum sensuum iudicio, aut evidenti ratione, nec tamen propterea de aliis omnibus dubitandum; præcipuè cum sensus rectè dispositus nunquam fallatur, ne in his quidem, quæ in argumento afferuntur, ut alibi dicam, certè non fallitur, ubi actus sunt multi, & uniformes idem omninò omnibus testantes.

Ad Conf. 1. resp. non propter paucorum seù contumaciam, seù inscitiam debere nos merito de qualibet veritate dubitare. Quod attinet ad primum principium, putat meritò Arist. illud

illud à veteribus nonnisi oretenus negatum? Quod & nos ostendemus in metaphys.

Ad 2. conf. ex eo, quod dormiens quis affirmet sine dubio se volare, & in hoc fallatur, non idcirco idem vigilans, & affirmans se vigilare, de hoc unquam dubitabit: imò & ridebit, si quis id velit ipsi in dubium revocare. Constat ergo unicuique ab experientia suorum actuum, quod aliter afficitur ab evidentia vera, aliter à putata, & quidem dum purè putamus evidenter nos aliquid scire, semper admiscetur aliqua non solum inconsideratio, sed passio, qua in nostris opinionibus obfirmamur. Si quis ergo placato animo rem à doctissimis viris, imo & ab omnibus acceptatam ut veram consideret, non video, quo pacto ex errore, in quem incidit aliquando possit de ea dubitare.

Obiic. 2. pro Platone. Si quis adolescens, vel rusticus, qui numquam Geometriæ operam dedit, rectè, & ordinatè interrogetur de multis veritatibus Geometricis aptè respondebit: quod fusè præstat Socrates in Menone, signum ergo est, quod habuit aliquando species earum veritatum; quibus per interrogationem excitatis, rectè respondet. Conf. 1. dum quis inquirit veritatem aliquam, aut illam prius novit, aut non, primum est intentum à Platone. Secundum dici non potest, quo pacto enim inquirit, quod nullatenus cognoscit? Conf. 2. Multi, dum primò veritas aliqua obiicitur, statim asserunt ita esse, at non possent ita dicere, nisi eam prius nossent. Quemadmodum si quis quærat hostem, nisi prius illum cognoverit, non potest, eo invento, dicere, hic est.

Ad arg. si rudis in Geometria de rebus Geometricis abstrusioribus interrogetur, ineptè respondet. Si vero de manifestis, ac per se obviis, rectè, non ergo apta responsio est à reminiscentia, quæ in utrisque veritatibus eadem esset, sed ex uno naturali lumine.

Ad

Ad 1. conf. dico, quod veritatem, quam quis inquirit, non tenet, nisi secundum terminorum notitiam, qui tamen, nescit, affirmandi ne sint invicem, an negandi, & hanc sibi dubitationem rationibus vult eripere. Ad 2. conf. Multæ sunt veritates, quæ quidem se ipsæ intellectui, manifestant sive evidenter, sive probabiliter. Nec est idem de hoste; nemo enim in sui notitia manifestat se esse amicum potius, quam hostem: & idcircò indiget alia notitia prævia manifestante.

CAPUT II.

In quo differat scientia ab opinione.

DUo sunt, in quibus scientia ab opinione, cæterisque intellectus nostri actibus discriminatur, Evidentia, & Certitudo: quæ si explicentur tum per se, tum per oppositas imperfectiones, naturam scientiæ, & opinionis, quorum actuum præcipue differentia hoc loco solet inquiri, sub aspectum ponent.

Solet evidentia describi, determinatio ad assensum. Rectè quidem, sed non dum plenè, principio enim ista determinatio non est formalis, & in actu secundo; quia sic omnis assensus etiam opinativus est formalis, actualisque determinatio potentiæ ad assentiendum potius, quam ad dissentiendum: nec propterea actus opinativus est evidens. Intelligenda igitur est determinatio causalis, & in actu primo, nec tamen omnis; assensus enim ipsi præmissarum probabilium determinant intellectum ad assensum conclusionis saltem quoad specificationem: nec tamen faciunt evidentiam. Pariformiter si Deus prædeterminaret intellectum ad actum Fidei, is quidem utcumque in suis principiis determinatus, inevidens esset, & obscurus. Quæ igitur determinatio evidentiam facit.

Equi,

Equidem rem istam non parum explicatu difficilem ita conficio. Evidentia ex vi vocis videntia quædam, seù visio est, itaque primò descendit in cognitionem intuitivam, & experimentalem, qualis est in sensibus præsertim in oculo; tum in simplicem intellectus apprehensionem, quæ una in rigore iuxta superius probata cognitio est, objecti scilicet sui repræsentatio, & expressio: & in hac proinde una sensum imitatur intellectus.

At vero actus omnes, quos vocamus evidentes, & nec cognitiones sunt simplices, nec intuitiones, ad istas, quotquot sunt, revocantur; aut enim determinatur, ac pendent immediatè à notitia terminorum, ut sunt propositiones primæ, & per se notæ; aut mediatè, ut sunt propositiones secundæ, & per primas demonstratæ: aut si sunt primæ, & immediatæ, non tamen per se notæ, colliguntur per experientiam singularium, adeoque à cognitione intuitiva determinantur. Itaque universim illum assensum evidentem appello, qui à cognitione, vel intuitione determinatur, denominatione desumpta scilicet à videntia, seu visione tamquam à causa. Hanc verò determinationem in nullo actu, qui inevidens dicitur, reperies, & quidem assensus opinabiles aut sunt primi, seù probabiles ex terminis: & ad hos quidem terminorum notitiæ inclinant, sed non determinant; quare manet intellectus liber, seu verius libertati subordinatus etiam ad dissensum, aut sunt assensus deducti in probabili syllogismo. & neque ad hos determinant, sed tantum inclinant præmissæ; quamvis enim his stantibus, non possit intellectus dissentire, hoc non accidit ex vi præmissarum in ratione causæ, sed solum in ratione formæ, quatenus si intellectus conclusioni dissentiret, duas simul contradictorias amplecteretur, ut dictum in superioribus est.

Hinc est non extrinseca solum, sed & intrin-seca distinctio assensus evidentis ab inevidenti : primus enim natura sua à cognitionibus uni determinatur, ab iisque proinde accipit, u formidinem omnem, ac suspicionem de oppo sito excludat, quandoquidem cum à natura si totus, infallibilis sit oportet; natura enim a malum non determinat. Contrà inevidem assensus cum pendeat ab arbitrio, fallibilitat obnoxius est: ejusque falsitas, si qua est ali quando, non naturæ, sed arbitrio determ nanti tribuenda.

Altera scientiæ perfectio est certitudo, qu tantum est ejus propria non quarto, sed secun do modo, quatenus omni convenit, sed no soli actui evidenti; Fides enim divina utcum que obscura, & inevidens, certissima tame est, Certitudo autem dividitur in obiectivam & subiectivam. Obiectiva rursus (quæ ita a pellatur, non quod sit in obiecto, ut perperat supponit, & ex hoc eam reprobat Arriaga, se quia est in actu ex natura non actus, sed obi cti) vel est ab obiecto, vel à motivo; cu enim talis certitudo non sit, nisi necessitas & infallibilitas veritatis, quæ quidem pote nasci, vel quia obiectum ipsum ita est, ut a firmatur, nec potest aliter esse; ut si quis enu ciet, Deum esse unum: vel quia licet obiectu sit contingens, & possit aliter esse, non p test tamen aliter esse, si consideretur ut sta sub infallibili motivo. Sic Anti-Christum e futurum, contingens est veritas, quæque ad poterit non esse: si tamen spectetur ut à D revelata, non potest non fore.

Subiectiva deinde certitudo est firmitas qu dam adhæsionis, qua mens ita complectit unam partem, ut omninò respuat non modo o positam, sed etiam oppositæ suspicionem H quidem firmitas vel est in ipsa natura actu vel ex imperio voluntatis, primo modo in

in omni actu evidenti; propria enim, & vera evidentia per se facit, ut non possit contrarium motivum supervenire, quod ab assensu suo intellectum ullatenus avertat. Secundo modo est in actibus etiam inevidentibus, vel ex pio voluntatis affectu iuxtà meritum motivi, ut in credentibus divina Fide, vel ex pervicacia, ut in hæreticis, &c.

Eiusmodi perfectiones in scientia repertæ opinioni desunt: quæ certè actus est inevidens, & obscurus, cum à præviis cognitionibus non determinetur, sed ultimam determinationem expectet ab imperio, aut permissione voluntatis. Est etiam actus incertus, non quidem semper obiectiva incertitudine ab obiecto derivata (de obiecto enim necessario dari potest opinio) sed semper incertitudine derivata à motivo, quod aut re ipsa intrinsecum, & connexum essentialiter cum veritate affirmata non est, aut si est, ut tale non apparet. quare actus ex modo suo imperfecto tendendi semper manet coniungibilis cum formidine de opposito.

CAPUT III.

Quid sit formido, & an sit de essentia opinionis?

Præsentis quæsiti decisio ad meliorem scientiæ notitiam ducit, cui scilicet formido opponitur. ducit etiam ad decisionem celebris illius quæstionis, in qua compossibilitas scientiæ cum opinione discutitur. Prius ergo videndum, quid alii de formidine sentiant: tum addendum, quod probabilius videtur.

Formidinem sunt 1. qui putent non esse actum, sed modum quemdam opinativi iudicii ab eoque planè indistinctum: quo scilicet intellectus dum veritatem probabilem iudicat, hæsitando, fluctuando, ac titubando id facit.

Sed isti non explicant formidinem, nisi per

Hinc est non extrinseca solum, sed & intrinseca distinctio assensûs evidentis ab inevidenti, primus enim natura sua à cognitionibus unis determinatur, ab iisque proinde accipit, ut formidinem omnem, ac suspicionem de opposito excludat, quandoquidem cum à natura sit totus, infallibilis sit oportet; natura enim ad malum non determinat. Contrà inevidens assensus cum pendeat ab arbitrio, fallibilitati obnoxius est: ejusque falsitas, si qua est aliquando, non naturæ, sed arbitrio determinanti tribuenda.

Altera scientiæ perfectio est certitudo, quæ tantum est ejus propria non quarto, sed secundo modo, quatenus omni convenit, sed non soli actui evidenti; Fides enim divina utcumque obscura, & inevidens, certissima tamen est. Certitudo autem dividitur in obiectivam, & subiectivam. Obiectiva rursus (quæ ita appellatur, non quod sit in obiecto, ut perperam supponit, & ex hoc eam reprobat Arriaga, sed quia est in actu ex natura non actus, sed obiecti) vel est ab obiecto, vel à motivo; cum enim talis certitudo non sit, nisi necessitas, & infallibilitas veritatis, quæ quidem potest nasci, vel quia obiectum ipsum ita est, ut affirmatur, nec potest aliter esse; ut si quis enunciet, Deum esse unum: vel quia licet obiectum sit contingens, & possit aliter esse, non potest tamen aliter esse, si consideretur ut stans sub infallibili motivo. Sic Anti-Christum esse futurum, contingens est veritas, quæque adeo poterit non esse: si tamen spectetur ut à Deo revelata, non potest non fore.

Subiectiva deinde certitudo est firmitas quædam adhæsionis, qua mens ita complectitur unam partem, ut omninò respuat non modo oppositam, sed etiam oppositæ suspicionem Hæc quidem firmitas vel est in ipsa natura actus, vel ex imperio voluntatis, primo modo est

in

in omni actu evidenti; propria enim, & vera evidentia per se facit, ut non possit contrarium motivum supervenire, quod ab assensu suo intellectum ullatenus avertat. Secundo modo est in actibus etiam inevidentibus, vel ex pio voluntatis affectu iuxtà meritum motivi, ut in credentibus divina Fide, vel ex pervicacia, ut in hæreticis, &c.

Eiusmodi perfectiones in scientia repertæ opinioni desunt: quæ certè actus est inevidens, & obscurus, cum à prævìis cognitionibus non determinetur, sed ultimam determinationem expectet ab imperio, aut permissione voluntatis. Est etiam actus incertus, non quidem semper obiectiva incertitudine ab obiecto derivata (de obiecto enim necessario dari potest opinio) sed semper incertitudine derivata à motivo, quod aut re ipsa intrinsecum, & connexum essentialiter cum veritate affirmata non est, aut si est, ut tale non apparet. quare actus ex modo suo imperfecto tendendi semper manet coniungibilis cum formidine de opposito.

CAPUT III.

Quid sit formido, & an sit de essentia opinionis?

Præsentis quæsiti decisio ad meliorem scientiæ notitiam ducit, cui scilicet formido opponitur. ducit etiam ad decisionem celebris illius quæstionis, in qua compossibilitas scientiæ cum opinione discutitur. Prius ergo videndum, quid alii de formidine sentiant: tum addendum, quod probabilius videtur.

Formidinem sunt 1. qui putent non esse actum, sed modum quemdam opinativi iudicii ab eoque planè indistinctum: quo scilicet intellectus dum veritatem probabilem iudicat, hæsitando, fluctuando, ac titubando id facit.

Sed isti non explicant formidinem, nisi per

formidinem, assumptis quibusdam metaphoris, quæ rem non explicant, sed involvunt. Vel ergo assumunt, formidinem esse inexplicabilem (quod placitum satis infrà reiicietur ipsa formidinis explicatione) vel satis vitiosè procedunt.

Secundo alii formidinem explicant per judicium quoddam, quo judicatur utraque pars contradictionis, sed una simpliciter, altera cum addito *fortassè*; ut, Berta diligit filium, & fortasse non diligit.

Sed vel isti judicium illud negativum simpliciter judicium volunt: atque ita eorum sententia pugnat cum primi principii veritate, quæ negat contingere de eodem affirmationem, & negationem veram: quod ipsum cum evidenter constet intellectui, non poterit in tale judicium complexum erumpere. Vel additum illud *fortassè* distrahit propriam rationem judicii; atque ita nihil explicant, cum tamen debuissent ulterius actus istius non judicativi naturam manifestare.

Tertio. Alii formidinem putant esse iudicium quo dicatur, Res ità esse, & posse aliter esse.

Sed hic actus quandoque est scientificus, quandoque essentialiter falsus: quorum neutrum cadit in opinionem formidolosam, quæ ex genere, & de sua natura, nec debet coincidere cum actu evidenti, nec cum erroneo. Et quidem aut opinio est de contingentibus, v. g. quod Petrus currat: atque in his iudicium illud potest evidens esse: Deus enim sciens evidenter Petrum currere, scit simul ità illum currere, ut possit non currere. aut est opinio de veritatibus necessariis; atque in his fieret, ut quævis opinio esset essentialiter erronea: quod est absurdissimum. Restat ergo ut formido nec sit iudicium de opposito veritatis opinatæ, nec de potentiâ ad opposi-tum

Quar-

Quarto. Lugo existimat formidinem esse iudicium de motivo, de quo asseratur, non esse tantæ efficaciæ, ut non possit quandoque coniungi cum falsitate. Ripalda censet formidinem esse iudicium reflexum de ipso actu, de quo asseratur, habere modum tendendi non omninò securum, cum quo potest stare falsitas.

Neutra sententia placet, utraque enim statuit formidinem compossibilem cum scientia: quod vetat communis sensus. Et quidem ista iudicia, *Res quantum est ex vi motivi potest aliter esse*, seù: *motivum non est essentialiter connexum cum veritate actus*, & *Actus hic opinativus potest ex se esse falsus*, aliquando sunt iudicia evidentia, nec pugnant cum iudicio evidenti directo de obiecti veritate. Evidentia enim evidentiæ non opponitur, nec veritas veritati. 2. ut mox dicam, de multis veritatibus probabilitatem non excedentibus, formidinem non habemus: & tamen certo scimus, & motiva esse fallibilia, & actum incertum.

Aptissimè omnium, quos legerim, philosophatur Haunoldus noster l. 3 Theol. spec. tr. 1. cap 3. contr. 1. §. 2. cuius ego sententiam sic aliquantò penitius evolvo. Formido nomen est propriè spectans ad appetitum: idem enim est, ac timor, quod si ad intellectum in casu spectat, non est quià in intellectu sit actus, sed obiectum formidinis, quatenus formidatur de malo intellectus, quod est falsum. Minus propriè igitur formido potest pertinere etiam ad intellectum; estque ille actus, qui formidinem voluntatis, proprieque dictum timorem inducit; adeoque est formido non formaliter, sed causaliter. Porro timor ex imaginatione futuri mali est, non cuiuscumque sed propinqui; timemus enim, inquit Phil. 2. Rhet. c. 5. *ea quæ non longè absunt, sed prope videntur, ut jam impendeant, remota namque nimium non timent, omnes enim sciunt se morituros;*

ros: verum quoniam non prope, idcirco non curant: Quare illud iudicium timorem in casu determinabit, quo indicatur propinquitas erroris, & falsitatis, quæ & periculum dicitur, quod & describitur ibidem *timendæ rei appropinquatio*. Sit igitur formido intellectualis in re nostra iudicium, quo intellectus affirmat, versari se in periculo errandi.

Hinc habes 1. formidinem debere habere motivum. Prob. si enim iudicium est, motivo niti debet; siquidem intellectus est potentia rationalis, numquam asserens sine asserendi ratione. Habes 2. formidinem quandoque evidentem esse, ac necessariam, quandoque inevidentem, ac liberam. Prob. quià quandoque motivum iudicandi, quod versetur quis in errandi periculo, evidens est, ut si quis credat homini quidquam asserenti in materia, in qua constat illum sæpè mentiri, aut si quis quidquam asserat ex levibus motivis, quæ solent plerumque coniungi cum falsitate: & hoc ipsum evidenter innotescat. Quandoque verò motivum, quo iudicatur periculum, non est evidens, sed probabile; & tunc erit iudicium, adeoque formido inevidens, ac libera, ut dicam.

Habes 3. formidinem inevidentem aliquando prudentem esse, aliquando imprudentem, ac temerariam. erit prudens, dum motivum, ex quo periculum iudico, grave est; ut si homini aliquid testanti credam cum formidine ex eo, quod habeam vehemens argumentum: quod hic & nunc aut fallatur, aut fallat. quod si periculum iudico ex levi aliqua ratione, formido imprudens erit.

Habes 4. motivum formidandi sufficiens nunquam esse illud ipsum, cui nititur opinio directè affirmans obiecti sui veritatem. Prob. Motivum, cui nititur opinio, est unum rationis pondus, ac vis suasiva: fallibilitas autem eiusdem motivi, aut etiam motiva in

con-

contrarium trahentia non movent assensum, à quo scilicet retardant potius, ac repellunt. at judicium de periculo erroris, in quo formidinem reposui, à rationis pondere moveri non potest, nisi in quantum ea deficit. Sicuti ergo dum voluntas amat efficaciter medicinam, ut sanativam, eandemque inefficaciter odit ut amaram, sola bonitate movetur ad amandum, sola malitia, & defectu ad odio habendum: item intellectus dum assensu prosequitur verũ, idemque formidine quodammodò refugit, sola vi suasiva motivi inclinatur ad affirmandum: ad formidandum verò non suasionem motivi respicit, sed defectum.

Habes 5. solam motivi, præcisamque fallibilitatem non esse prudens motivum formidandi. Prob. Sola fallibilitas motivi non facit, nisi possibilitatem erroris. possibilitas una erroris non est periculum erroris, quod non in malo merè possibili, sed impendente, & appropinquante consistit. ubi autem non est periculum erroris, non est formido erroris prudens. ergo à primo ad ultimum sola motivi fallibilitas non satis est ad prudentem formidinem. Conf. si enim ad formidandum prudenter sola sufficeret motivi fallibilitas, formidaremus primò in naturaliter evidentibus, in quibus est possibilitas erroris Metaphysica. formidaremus in evidentibus moraliter, in quibus est possibilitas erroris physica. formidaremus semper in assensu fidei humanæ. quod est falsissimum; si quis enim viro valdè gravi quidquam credat creditu facillimum, v. g. quod mercator ierit ad nundinas, credit sine ulla formidine: imò verò formido potest esse in tali casu omnino imprudens, & dicenti injuriosa. Non ergo una est satis ad formidandum motivi fallibilitas; non enim illi, qui potest, sed qui solet fallere, creditur formidolosè.

Habes 6. opinionẽ posse separari à formidine.

Sunt. enim distincta judicia, distinctisque motivis nitentia; nihil ergo est, quod earum separationem impediat: & quidem ubi solum apparet motivum fallibile, haberi potest actus opinionis, ut constat; sed non actus formidinis, ut modo probatum est.

Conf. 1. aliud est motivum opinionis, aliud formidinis, ut patet ex 4. illatione: & neutrum movet necessariò, nisi dum motivum formidinis est evidens; quod non semper contingit, ut dictum est illatione secunda: poterit ergo ex voluntatis imperio intellectus unum amplecti, & alterum contemnere, adeoque opinari, quin formidet.

Conf. 2. etiam dato, quod formido nitatur sufficienter in sola fallibilitate motivi, adhuc potest dari opinio nitens motivo quidem fallibili, sed non cognito ut fallibili. at in tali casu esset opinio sine formidine, ut constat, quia nullum scilicet esset formidandi motivum. ergo. maior prob. 1. ex Arist. 7. eth. c. 3. ubi sic habet: *Nam si vera opinio, & non scientia sit, ex qua continenter agunt homines, nihil ad rationem id refert; cum nonnulli ex his, qui opinantur, non ambigant, sed certo se scire existiment.* in quo casu manifestum est non cognosci fallibilitatem motivi, cum qua existimatio scientiæ stare non posset. 2. si motivum probabile appareat cum tota sua vi suasiva, & simul intellectus eiusdem fallibilitatem non attendat, potest adhuc assentiri; si enim potest assentiri, cognita fallibilitate retardante, à fortiori potest, ea non cognita. Iste autem assensus opinio est, quis enim, quæso, alius actus? Præsumptuosus, inquiunt, ac temerarius. Sed contra est; quia manet totum id, ratione cuius opinio est prudens, pondus scil. ac vehemens vis suasiva motivi. non enim est intelligibile, quod sola fallibilitas non cognita detrahat suum motivo pondus, reddatque illud omninò leve,

nul.

nullius q; momenti: quod opus est ad actum imprudentem, ac temerarium. Certe nulla virtus minoratur, nisi per detractionem virtutis. fallibilitas autem, quæ à motivo separatur, non virtus est, sed virtutis potius impedimentum.

Habes 7. omnem opinionem compossibilem esse cum formidine. Patet ex dictis in calce capitis superioris. proprium enim est evidentiæ ita firmare intellectum in vero, ut à nullo superveniente motivo possit aut in oppositum assensum, aut in oppositi suspicionem induci: at opinio cum nitatur motivo dumtaxat fallibili, & quod cum veritate plerumque, non tamen semper; ac necessariò connectitur, consequens est, ut possit supervenire motivum, quo possibilis error propinquus jam esse ostendatur; adeoque fieri potest, ut intellectus opinans simul formidet.

Habes demum 8. de essentia opinionis non esse actualem formidinem, h. e. judicium illud de periculo errandi; sed solam formidinem, ut aiunt, radicalem, h. e. unam cum formidine compossibilitatem.

C A P U T IV.

An circà idem obiectum contingat eundem intellectum scire simul, & opinari.

RESolutio huius controversiæ affirmativa descendit ex modo dictis. nulla enim sunt in opinione prædicata, ratione quorum illi repugnet stare cum scientia circà idem. ad summum hinc fieret, quod opinans non formidaret. atqui satis ostensum est formidinem separari ab opinione. cadit ergo præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum; alia enim, quæ aliundè afferuntur, ut constabit, levia sunt.

Obiic. 1. Scientia non est, nisi de necessariis. opi-

opinio est etiam de contingentibus. Idem verò non potest simul esse necessarium, & contingens. ergo non potest idem sub scientiam simul, & sub opinionem cadere.

Poterat etiam inferri, quòd neque seorsim. Dico igitur hoc argumento conclusionem non tangi; neque enim omnem opinionem compossibilem cum scientia assero, sed eam unam, cuius est obiectum scibile, adeoque necessarium. Ex eodem capite aliqua scientia stare non potest cum opinione, quia obiectum non est opinabile, ut sunt fortasse veritates per se notæ, aliæque valde evidentes, qualis est cuique, quod cogitet, quod vivat, &c.

Obiic. 2. actus scientiæ est evidens, & certus; actus opinionis inevidens, & incertus; adeoque intellectus sciens, & opinans idem, illud evidenter, & non evidenter, certò, & non certò cognosceret.

Sexcentæ sunt instantiæ; quibus evidenter argumentum redarguatur. nam apprehensio judicativa non est, ut est enunciatio, adeoque intellectus apprehendens simul, & enuncians judicat, & non judicat. volitio expressiva objecti sui non est, ut est cognitio; adeoque anima volens simul, & cognoscens, exprimit & non exprimit. Dico igitur, repugnantiam nullam in eo esse, quod intellectus sit certus per unum actum (idem dic de evidentia) & non sit certus per alium. quod est firmari in vero per unum, & non per alium actum. sic qui stupeo simul filo, & ferrea catena vinciretur, ab utroque quidem, sed infirmiter ab illo, ab hac firmissime vinciretur.

Obiic. 3. Actus opinionis est essentialiter in actu, & non solum in radice formidolosus. ergo stare cum scientia circà idem non potest. prob. antec. 1. omnis actus scientiæ nitens motivo infallibili est non solum radicaliter, sed etiam actualiter certus. ergo omnis actus opinionis ni-

nitens motivo fallibili est non solum radicaliter, sed etiam actualiter trepidus.

2. Quamvis sola fallibilitas motivi non pariat formidinem, parit tamen judicium nihilò minus incompossibile cum scientia. parit enim judicium saltem de erroris possibilitate, adeoq; de periculo aliquo erroris remoto: quod etiam judicium à scientifico motivo repellitur, sub quo scilicet errari nullatenus potest,

3. Quoties aliquod genus est contrahibile per duas differentias virtualiter contradictorias, impossibilis est sub eo species non constituta per alterutram ex iis differentiis, ut patet inductione. nam ex hoc impossibilis est linea, quæ neque recta sit, neque curva: impossibile judicium, quod neque assensus sit, neq; dissensus: impossibilis voluntas, quæ neque amor sit, neque odium. atqui actualis certitudo, & actualis formido sunt rationes virtualiter contradictoriæ contrahentes idem genus judicii. ergo impossibile est judicium, quod neque certum sit actualiter, neque actualiter formidolosum. quare cum opinio non sit actualiter certa, restat ut sit actualiter formidans.

Nego maiorem. ad 1. prob. nego consequentiam. disparitas ex dictis est manifesta. 1. actus scientiæ nititur in ipsa motivi infallibilitate, quæ scilicet, & perfectio est motivi quà talis, ipsumque reponit in propria ratione motivi scientifici. at opinio, ut probavi, nec nititur, nec niti formaliter potest in motivi fallibilitate; nemo enim ad assentiendum movetur à possibilitate falsi, quæ est vis non motiva, sed remotiva, sed solum à connexione cum vero, quæ est unicè vis motiva: ex quo superius arguebam separationem opinionis à formidine. 2, infallibilitas est motivum certitudinis actualis, ut constat: fallibilitas non est motivum sufficiens actuali formidini, ut & suprà ostendi. 3. fallibilitas potest non cognosci in motivo opinionis, abs.

basque eo quod violetur opinio. non est ergo mirum, si in opinionem quandoque non influit formidinem: infallibilitas non potest non cognosci in motivo scientiæ, & idcircò scientia semper habet actualem certitudinem. Omnia constant ex dictis.

Ad 2. resp. judicium illud de possibilitate erroris posse multipliciter deesse. 1. ex fallibilitate non cognita. 2. ex fallibilitate cognita, sed non evidenter; tunc enim posset intellectus ad nutum voluntatis nihil de illa judicare. 3. ex consortio motivi scientifici: quod quidem ut juxtà adversarios impedit amplexum motivi opinabilis; ità & juxta me impediet à fortiori amplexum fallibilitatis, quatenus ea probat veritatem ipsam esse fallibilem; cuius oppositū à motivo scientifico evidenter ostenditur.

Ad 3. maior ad summum est vera in rationibus contrahentibus essentialibus, non vero accidentalibus, ac denominativis: qualem esse denominationem formidantis in opinione jam supra demonstravi. Deinde major illa non videtur universaliter vera; quia nec probatur à priori, nec inductione sufficienti. non à priori; cum enim differentiæ sint ambæ positivæ, non est, cur sub eodem etiam genere non possit inter eas dari medium per utriusque remotionem siquidem virtualis contradictio id unum præstat, ut non possint in eadem entitate coadunari. non inductione; ut enim sit verum in linea, quod nec possit simul habere curvitatem, & rectitudinem, nec possit simul utraque carere, cùm semper sequatur eadem contradictio, recessus scilicet, & non recessus ab eodem medio: in aliis vero eadem contradictio non sequitur. hinc admittitur à multis optimæ notæ authoribus actus voluntatis, qui neque amor sit, neque odium: à Nominalibus secunda intellectus operatio, quæ neque assensus sit, neque dissensus, &c.

Obiic.

Obiic. 4. motivum opinativum in consortio motivi scientifici motivum amplius non est, quòd vires omnes movendi. ut enim parvæ candelæ minima lux solis ad præsentiam non illuminat, ita nec probabilitas ad præsentiam evidentiæ. quamvis ergo simul obiiciantur motiva scientificum, & opinativum, vi tamen huius opinio elici non poterit.

Argumentum probat non modò opinionem, sed scientiam etiam pugnare cum scientia; cum enim evidentia suscipiat magis, & minus, poterit intellectus habere de eodem obiecto ex uno motivo evidentiam ut duo, ex alio evidentiam ut centum: quæ evidentiæ juxtà arguentem incompossibiles erunt. ex quo fiet, ut malè Theologi in Christo scientias beatam intuitivā & abstractivam infusam constituerent. Rursus hoc idem solvendum à plerisque adversariis, qui censent posse intellectum assentiri obiecto per actum non fluctuantem, sed simul nitentem duplici motivo, altero certo, altero fallibili. Directè dico motivum opinabile retinere semper suam vim alterius rationis à vi motivi scientifici. nec obstat paritas de luce; parva enim lux non illuminat in eo casu, quia reperit passum illuminatum ultra suam intensionem: nullum autem agens intrà suam speciem agit in passum aut æquè intensum, aut intensius. hinc autem solum fit, ut motivum opinabile non possit augere actum scientiæ, non vero ut non possit gignere opinionem, quæ est actus alterius non speciei modò, sed generis.

Obiic. 5. authoritatem Philosophi 1. post. c. 24. ubi, *Manifestum est*, inquit, *quod neque opinari idem simul, & scire contingit; simul enim haberet existimationem, quod aliter se habere idem, & non aliter posset.*

Resp. opinionem ibi accipi à Philosopho non pro quocumque actu infirmo, & inevidenti, qui præstatur veritatibus etiam necessariis ex fal-

fallibili motivo: sed accipi opinionem, in quantum est existimatio veritatis contingentis, & obiecti, quod potest aliter se habere, ut constat ex toto contextu eius capitis. quamvis enim exemplificet de opinione etiam in materia necessaria; subdit tamen, tunc esse in hac materia opinionem, cum veritas necessaria sumitur non ut necessaria, sed ut contingens. ait enim t.c.200. *consimiliter autem & scientia, & opinio est eiusdem, ut quod homo sit animal: sed illa sicut non contingat non esse animal: hæc vero ut contingat.* manifestum est autem, quod scientia, quæ affirmat veritatis necessitatem, & opinio quæ affirmat ejusdem contingentiam, non possunt stare simul; aliter intellectus judicaret idem obiectum & necessarium esse, & contingens. Nos vero de opinione aliter loquuti sumus, eam scil. sumendo ut affirmat etiam necessitatem obiecti, ex motivo tamen fallibili, & modo quodam tendendi imperfecto, ac patiente falsitatis. Nihil ergo contrà nostram sententiam habet Arist. quin & aliquid expresse habet pro nostra 7. eth. c. 3. superiori capite recitatum.



Finis Tomi primi.